

BIBLIOTHECÆ VETERIS HISPANÆ

LIBER DECIMUS.

DE SCRIPTORIBUS DECIMI QUINTI SÆCULI.

PRÆLOQUIUM.

DEVENIMUS ferè iam ad carceres post circundatam continuo cursu sæculorum quatuordecim in hoc Musarum circo metam : quæ quidem nunc sequitur decimum quintum & ultimum huius partis. Porrò æquales huic fuere moderatores Hispanarum rerum in Castellæ ac Legionis regnis Henricus III. cognominatus *Æger*, qui anno VII. Ioannes II. qui LIV. Henricus IV. qui LXXIV. vitâ functi sunt : quorum postremo absque prole demortuo, Elisabetha germana soror cum coniuge Ferdinando (Aragoniæ Catholici Rex & Regina) maximo rerum nostrarum compendio successêre.

2. Et quidem in Aragonia Ferdinandum præcesserat Ioannes parens demortuus anno sæculi septuagesimo nono ; & hunc Alphonsus frater germanus, Neapolitanus primus Aragonensis Rex familiæ, qui diem suum obiit quinquagesimo octavo ; & hunc Ferdinandus I. quem decimus sextus huiusmet sæculi annus sustulit, Martini illius qui hoc ipsum inchoavit successorem.

3. Portugalliæ autem Ioannes I. iam superioris sæculi Rex, usque ad huius tricesimum tertium : Eduardus usque ad trigesimum octavum : Alphonsus V. usque ad octogesimum primum : Ioannes II. usque ad nonagesimum quintum ; Emmanuelque abhinc, præfuêre.

4. Navarrense obtinebat regnum anno MCD. Carolus III. *Nobilis* dictus, qui MCDXXV. diem suum obiit, Blancâ filiâ herede, Ioannis Aragoniæ II. coniuge : quibus successit anno septuagesimo nono Eleonora filia, Gastonis Fuxii Comitis vidua ; eodemque anno Eleonoræ Franciscus Phœbus nepos, atque huic Catharina soror anno octogesimo tertio, quæ Ioanni Albretano nupta sæculum absolvit.

CAPUT PRIMUM.

De PETRO LUPI DE AYALA, *eiusque gestis & honoribus. Regum quatuor historiæ ab eo scriptæ, item alia.* RODERICUS GUNDISALVUS A CLAVIJO *Henrici Regis Castellæ III. ad Tamberlanem legatus, historiæ huius legationis Scriptor.* ANONYMUS *Scriptor epitomes Regum Hispaniæ à Pelagio usque ad Henricum III.* PETRUS MAZA *Dominicanus.* FERDINANDUS NONIUS DE CUENCA *Henrici dicti Regis chronographus.* MARTINUS ALPALTILIUS *canonicus Cæsaraugustanus. De* PETRO ALBERÎT, *eiusque opere genealogico. De* BERNARDO DE RIERA *Mercenariorum sodali.* IACOBUS CALICIUS *iurisconsultus Catalanus magni nominis.* PETRUS DE FONTE-LUPORUM *Dominicanus.* HIERONYMUS DE SANCTA FIDE, *sive* IOSIAS LURKÎ, *ex Iudæo Christianus. Disputatio contra Iudæos coram Benedicto XIII. & quinam ei adfuerint, aut de ea scripserint.* BARTHOLOMÆUS PEYRÒ *Carmelita.* VINCENTIUS ARIÆ DE BALBOA, *sive* VALBUENA, *Placentinus Episcopus.*

5. PRINCIPIUM ferè huius sæculi virum Hispaniæ fortissimum, nec minus doctum atque disertum, pace ac bello parem eripuit. PETRUS LUPI DE AYALA hic est, Ferdinandi Petri de Ayala Adelantati (ut cum vulgo loquar) Murciæ regni filius, matre Elvira de Zavallos, domina Vallis *de Escalante*, Excellentissimorum Comitum *de Fuensalida*, Hispaniæ nunc magnatum, ex coniuge sua Leonora Guzmana propagator inclytus. Quatuor hic Castellæ Regibus, quos per ætatem adeptus fuit, Petro cognomento crudeli, Henrico II. eius fratri, Ioanni I. Henrici, & Henrico III. Ioannis filiis, non minùs ob sanguinis & munerum apud eos gestorum commendationem, quàm ob eximias animi & corporis dotes carus in paucis vixit. Iuvenis Petro æqualis, nec ingratus dum tolerari potuit ei adhærens, Henricum postea secutus fuit, qui adversus fratrem toti regno perosum Gallorum ope usus prævaluit. Repetente autem, cum Anglorum & Navarræorum exercitu unde electus fuerat regnum Petro, & cum Henricianis iuxta urbem Naxaram anno MCCCLXVII. commisso feliciter prœlio, captus noster, ingentisque summæ redemtus pretio, Henricum rebus in melius mutatis imperio cum fratris cæde restitutum, obnoxium sibi semper habuit, eique à consiliis fuit.

6. Nec minùs Ioanni I. successori Henrici patris in bello Lusitano fortissimam, licèt improsperam, navavit operam. Vexillifer enim signi, quod ab ordine quodam equestri *de la Vanda* nuncupabatur, in sæva decretoriaque illa, quæ de *Aljubarrota* audit, pugna, secundùm à Lusitanis fuit captus, postquam nihil quod strenuo esset milite ac fortissimo duce dignum prætermisisset. Quibus gestis pares eum obtinuisse honores, ius & æquum erat.

7. Castellæ igitur [t] Cancellarius, ut vocant, maior, archimetator, &, quod etiam legimus, Comes cubiculariorum [u] Regibus fuit : quorum primo dicto munere conspicuum omnes nôrunt, qui à Ferdinando Perezio Guzmanio confectum lectissimi huius viri elogium aliaque historiarum æqualium monumenta consuluêre. Alterum ipse præfert regia privilegia confirmans. Ultimum tandem genealogici nostri auctores produnt [x].

[t] *Canceller mayor de Castilla.*

[u] *Aposentador mayor, Camarero. Sumiller de Corps.*

[x] Haro *Nobiliario genealogico* lib. 5. c. 17.

8. Procero fuit & pulcro, licèt gracili, corpore, summa vir auctoritate atque prudentia, sapientique seu bellum seu pax esset consilio, benignus idem & comis ac Dei timens. Nec dictu facile, quibusnam, aulæne ac militiæ rebus an literis ac libris magis aptus. Vehementer enim studia, præsertim moralis philosophiæ, rerumque olim gestarum, in illa bonarum omnium artium quæ tempore suo apud nos vigebat egestate, amavit ferè solus excoluitque. Titum Livium præcipuè in profanis, & Sanctum Gregorium in sacris Scriptoribus caros & assiduos habuit.

9. Idem tamen, ut sacrorum & profanorum Scriptorum illustri gentis nostræ honore augeret numerum, Regum quatuor Castellæ & Legionis, Petri nempe, Henrici II. Ioannis I. & Henrici III. res gestas eleganti, quem ætas ferebat, stilo, summaque fide historicæ telæ commisit. Quas ei historias disertè attribuit laudatus antea Ferdinandus Perezius. Editæ sunt earum tres priores sub his titulis :

Coronica del Rey D. Pedro.
Coronica del Rey D. Henrique II.
Coronica del Rey D. Juan el I.

tum aliàs, tum Pampelone MDXCI. in folio. Duas posteriores continet codex MS. in bibliotheca Villumbrosana Matritensi : in quo notatur, originale seu exemplar historiæ Ioannis Regis apud Hieronymianos Guadalupenses exstare. Immo omnes, huncque Guadalupensem codicem emendatissimum, inde fuisse mutuò acceptum Regis Ferdinandi iussu à Laurentio Galindi Carvajalio anno MDX. eoque hunc esse usum, constat ex nota eidem codici apposita, cùm post viginti octo annos è manibus heredum laudati Carvajalii recuperatus fuisset, & ad monasterium reductus operâ Fr. Didaci de Cazeres. Quam notam vidimus in volumine 9. *Miscellaneorum* eiusdem bibliothecæ transcriptam. Hunc tamen codicem mutuò datum Caravajalio, & ab eius heredibus restitutum Guadalupensibus cœnobitis, continuisse veram quam appellant historiam Petri Regis, à Ioanne de Castro Giennensi conscriptam Episcopo, non autem hanc Ayalæ nostri, olim iactatum fuit ab his qui de amissione illius dolebant valdè. Nec destiterunt ita opinari ex quo curiosis quibusdam hominibus innotuit ex relatione Guadalupensi nîl aliud continere codicem istum sibi restitutum, quàm Chronica vulgaria Regum Petri, Henrici, & Ioannis, quæ Ayalæ præ se nomen ferunt.

runt. Reponunt quippe, coniecturæ nimium dantes, alterum codicem mutuatum à monachis, & alterum iis dolosè restitutum: priore illo Ioannis Castrii, posteriore Aialæ diversam prorsus historiam Petri Regis contentam. His tribus historiis, & quartæ (de qua statim dicemus) additiones seu Notas fecit magnus vir Hieronymus Surita, quæ in eadem Bibliotheca MSS. asservantur in folio; quasque Cæsaraugustæ in lucem post hæc scripta dedit Didacus Dormêr Aragoniæ chronographus anno MDCLXXXIII. Attamen Henrici III. quarta, usque ad annum eius sextum sive sæculi superioris nonagesimum quintum, ab eo perducta, in schedis manfit. Vidimus eam nos ita inscriptam & annotatam:

10. *Historia ò Chronica del Rey D. Henrique el III.* Quæ incipit: *La desastrada muerte del Rey D. Juan el I.* &c. & in fine post annum sextum sequitur hæc vulgaris linguæ nota: *Hasta aquì el noble cavallero Hernan Perez de Ayala* (error est pro Petro Lopez de Ayala, Ferdinandi Petri filio, quem fortè harum historiarum auctorem existimavit) *desde la muerte de D. Alonso XI. sobre Gibraltar hasta este lugar. Desde aqui se añade, aunque en suma, del noble cavallero Hernan Perez de Guzman señor de Batres, que escrivio los illustres varones de este tiempo; e de Mossen Diego de Valera, e de Alvar Garzia de santa Maria e del Obispo D. Alonso de Cartagena su hermano. Añadiò lo que se sigue Francisco de Medina y de Mendoza, natural de Guadalaxara.* Quibus significatum videtur ex quatuor his, Ferdinando Perezio Guzmano, Didaco de Valera, Alvaro Garzia, & Alphonso fratribus de S. Maria sive de Carthagena, quod reliquum fuit Henrici Regis Vitæ usque ad initium anni MCDVII. laudatum nuper Franciscum de Medina & Mendoza suppleviſſe (1). Quod quidem latuisse videtur diligentissimum *Rerum Segoviensis urbis* historicum Didacum Colmenares, qui de continuatore nihil certi esse affirmat [y]. Immo ne quidem in literis esse hanc continuationem Stephanus novit Garibaius, dum lib. 15. cap. 47. *Compendii* sui *historialis* non le-

[y] *Historia de la Ciudad de Segovia* pag. 318.

vi-

(1) Quatuor Petri Lupi de Ayala Chronicorum, plurima apud nos exstant exempla, tum in Regia Matritensi, tum in Escurialensi, & in privatis aliorum Bibliothecis. Escurialensis *Lit. Y. Plut. II. n.* 9. (T. II. p. 362.) exhibet: *Las Cronicas de los Reyes Don Pedro: Don Henrique segundo: Don Juan el primero, y Don Henrique tercero asta el año sexto de su reinado*, id est, ad annum Christi MCCCXCV. qui aliis est *nonagesimus sextus*. In eiusdem Bibliothecæ codice *Lit. X. Plut. II. n.* 5. (T. II. p. 407.) exstat: *Eiusdem La Cronica del Rey Don Henrique Tercero*, scilicet ab anno MCCCLXXXIX. quo regnum auspicatus fuit, usque ad MCCCXCV. eius regni sextum, *cum supplemento usque ad eiusdem mortem*: quo loco in nostra Escurialensium MStorum. ann. 1763. recensione hæc è prælaudato codice ad literam descripta reperi: *De aqui adelante no se falla que el Coronista escribiesse los fechos que despues de esto sucedieron en el reino; y es de creer, que quando Pedro Lopez de Ayala que tuvo el cargo de ello estuvo absentado de estos reinos, como lo dice en la rubrica del capitulo proximo passado* (missus eo tempore Petrus fuerat Lutetiam Henrici ad Regem Francorum Legatus): *despues que vino cessò de escrevir por vegez: segund que lo pone el Coronista que despues de el tuvo, en su prologo de la Coronica del Rei Don Juan fijo de este Rei Don Henrique* (III) ::: *Mas porque estos años que faltan asta la muerte del Rei Don Henrique no quedasen del todo vacios, se continua la historia tomando lo que se fallò en algunas sumas mui breves que hablan de este Rey Don Henrique en la forma siguiente.* Ex quibus elicitur Henrici III. historiam in hoc codice contentam usque ad annum MCCCXCV. (aliis XCVI.) omnino Petri Lupi Ayalæi esse, quamvis non ita incipiat: *La desastrada muerte del Rei Don Juan el primero* &c. ut illa cuius exemplum Noster sub finem n. 9. huius capitis se vidisse perhibet; sed ita: *Luego que se supo la muerte del Don Juan* &c. Suspicor autem vehementer hunc esse codicem cuius exemplum penes Ioannem Lucam Cortesium exstitisse Idem affirmat *num.* 10.; cum in eo post res eatenus, id est ad annum Christi MCCCXCV. ab Henrico gestas, habeatur itidem ANONYMI (nimirum Francisci Medinæ Mendozæ Guadalfaxarensis): *Supplementum perbreve historiæ Henrici III. usque ad eius mortem Toleti obitam ipso recurrente festo Natalis Domini die, anni MCCCCVII.* Exstat quoque huius Henrici III. historiæ cum Francisci Mediniæ Mendozæ supplemento exemplum alterum in eadem Bibliotheca Escurialensi *Lit. X. Plut. II. n.* 9. (T. II. p. 415.) Item aliud Quatuor Chronicorum, *Lit. X. Plut. I. n.* 5. (T. II. p. 390.) trium autem scilicet Petri, Henrici II. & Ioannis I. sæpius repetitum *Lit. Z. Plut. III. num.* 15. ::: *Lit. I. Plut. I. num.* 14. ::: *Lit. Q. Plut. I. n.* 3 :: *Lit. M. Plut. I. num.* 10. Item Chronicorum Ioannis I. cum aliis ad Reges Petrum & Henricum II. spectantibus *Lit.* X. *Plut. II. n.* 1. (T. II. p. 403.) ac demum unius Petri Regis Chronicon *Lit.* K. *Plut. II. n.* 20. (T. III. p. 351.) ac repetitum in Regia Bibliotheca Matritensi, in maximæ molis codice chartaceo sæculi, ut videtur XV. non multum adulti. Omnia autem hæc coniunctim edita fuêre Tomis I. & II. *Sylloges Chronicorum Hispaniæ Regum* Matritensis ab anno MDCCLXXIX. cum emendationibus Hieronymi Suritæ, notisque & correctionibus Cl. Eugenii de Llaguno Amirolæ ex equestri Sancti Iacobi Ordine, primariique è X. viris Supremi R. P. C. quod Status vocant, Ergasterii. In Bibliotheca Ducis olim Olivarensis *pag.* 221. *lit. P. MS.* legitur: *Don Pedro Rei de Castilla, su Chronica mui antigua.* 4. *D.* 31:: *Otra mui antigua sin principio fol. A.* 4:: *Otra, cajon* 14. *n.* 18:: *Otra con la de Don Henrique y Don Juan.*

viter lamentatur, quo desiit loco Ayala noster, sibi quoque opus fuisse rerum Henrici filum abrumpere; neque enim vidit unquam audivitve, quantumvis sedulò conquisitum, quem in prosequenda huius Regis historia ducem sequi posset. Mstam. Matriti habet hanc historiam D. Ioannes Lucas Cortesius, amicus & civis noster, cui adiungitur *Tractatus genealogicus*, is forsan, de quo statim agemus.

11. II. *Libro de linages* MS. quem penes Petrum Salazarium de Mendoza, indeque in bibliotheca D. Petri de Roxas Comitis de Mora olim fuisse, credimus amico nostro D. Iosepho Pellizerio id affirmanti [z]; subtractum tamen vero auctori, dum præsefert titulus *Didacum Lopez de Ayala Vicarium Toleti*, qui nescio quid antiquis novi adiunxit. Immo se iam esse huius libri possessorem idem Pellizerius alio loco ait [a]. In eorum quidem auctorum elencho, quibus se usum fuisse ad scribendam *Nobilitatis Bæticæ historiam* Gundisalvus de Argote & de Molina ait, *Linage de la casa de Ayala, escrito por D. Pedro Lopez de Ayala el gran Canciller*, legimus.

Biblioth. vet. Hisp. Tom. II.

[z] *En el Memorial por el Marques de Ribas* fol. 48.

[a] *Memorial de los Martesers.*

12. *Libro de cetreria*, sive *de la caza*. Hoc est, de re accipitraria, cuius meminit in eodem elogio toties memorato Ferdinandus Perezius Guzmanus, eiusce rei bene peritum fuisse Ayalam nostrum adiungens. Hunc & laudat, inter libros quos ad manum habuit, Gundisalvus idem Argote. Exstareque Hispanum quoddam eius exemplum MS. in regia bibliotheca Regis Galliarum cod. 2170. docet Labbeus in *Bibliotheca manuscripta* [b]. (1)

[b] Pag. 305.

13. *Libro llamado Rimado del Palacio.* Cuius rei testis est idem Ferdinandus Perezius: metricum ut videtur opus, fortè deperditum. Coniectabatur tamen vir magnus Surita [c] huc deveniens, *Primado*, non autem *Rimado* legendum, quasi ordinationes Palatii (2). Laudantur & eiusdem nobilissimæ optimorum auctorum ex Latino in vernaculum Castellæ sermonem interpretationes,

[c] Vide epistol. procœmial. libri *Enmiendas y advertencias à las Coronicas de D. Pedro Lopez de Ayala*, de Surita.

14. *Decades* nempe (quod usus introduxit temporum barbarorum dicere) seu potiùs Titi Livii historiarum libros, qui tunc noti erant, nondum tamen typis mandati (prima enim huius historiæ editio Pauli Papæ secundi nomine insignitur circa MCDLXX. [d]) (3) manu scilicet exaratos

[d] Vide Ioannis Frederici Gronovii *Præfationem* ad Amstelodami Livii editionem anni MDCLXV.

(1) Frustra in Regis Galliarum Bibliotheca MSS. hoc n. 2170. atque in Indicibus hunc librum quæsivi. Exstare tamen bina eius exempla MSS. in Bibliotheca Matritensi Illustris Feminæ Comitis de Campo-Alánge, atque apud Cl. Eugenium de Llaguno Amirolam paulo ante laudatum, notat D. Thomas Antonius Sanchezius *T. I. Syllog. Poemat. Hispan. ant. ann. sesquimilles. pag.* 107. *n.* 4. *Not.* In Regiæ Bibliothecæ Matritensis codice chartaceo sæculi XV. inscripto: *Juan de Sant Fagún, De Cetreria*, cum commentario *Bertrandi de la Cueva* (quem utrumque Nostro indictos Hispanis Scriptoribus suo nos loco adscribemus), habetur fol. 88. Tractatus Hispanicus *De re accipitraria* à Petro Lupi de Ayala dum in carcere detineretur ad Gundisalvum (de Mena & Vargas) Episcopum Burgensem directus, hoc titulo: *De la caza de las aves. & de sus plumages è dolencias è amelezinamientos.* Incipit nuncupatio: *Al muy honrado padre & Señor Don Gonzalo por la gracia de Dios, Obispo de la muy noble cibdat de Burgos. Pero Lopez de Ayala vuestro humill pariente & servidor me encomiendo en la vuestra merced. Señor, dice el Filosofo Aristotiles en el ochavo libro de las Ethicas en la filosofia moral, que à los verdaderos amigos de buena è honesta amistança non los departe la distancia de logares ::: E Señor gran tiempo ha que fui è soy alongado de la vuestra presencia & vista por grandes departimientos de tierra: empero Señor la vuestra buena verdadera è honesta amistança tovo siempre en mi toda su virtud. E Señor, como en las quexas è cuidados sea grande consolacion al paciente haver memoria de sus amigos: por ende Señor en la mi grand cuyta & quexa que tove de tiempo, aqui en la prision dò estò, hove por consolacion acordarme de la vuestra verdadera amistança::: E como por muchas vegadas fui alegre & consolado de vos en la caza de las aves asi como de aquel que tove siempre en ella por maestro & por Señor. E por quanto, Señor, en esta arte è ciencia de la caza de las aves oŷ è vi muchas dubdas ::: por esto acordè de trabajar por non estar ocioso, de poner en este pequeño libro todo aquello que mas cierto fallé assi por los libros como por las opiniones de los caçadores, segund la esperiencia que de este fecho prouè è vi. e fecho este pequeño libro acordé de vos lo enbiar asy como à mi Señor è mi maestro para que vos lo veades emendédes è tirédes è añadádes lo que à la vuestra merced ploguiere* &c. Continet autem LXIV. maioris formæ folia.

(2) Exstat in Bibliotheca prælaudatæ Comitis de Campo-Alange, hoc titulo: *El libro de Palacio*, ut notat D. Thomas Ant. Sanchez *Syll. Poetar. Hisp. ant. ann. sesquimilles T. I. p.* 109. *n.* 169. quo loco & eius argumentum exponit. Est autem opus metricum, & *rhythmicum*, *Rimado* propterea, ut coniicimus, à Ferdinando Perezio Gusmano Hispanicè appellatum; non *Primado*, ut magnus olim Surita coniiciebat apud Nostrum hoc loco; neque *Metro de Palacio*, ut Cl. Sarmientus apud D. Sanchezium *pag.* 112. *n.* 173.

(3) Maittairius *Ann. Typ. part. I. pag.* 66. *not.* b. de Romana omnium principe Titi Livii Conr. Sweynheim & Arn. Pannartz editione loquens: *Nullum* (inquit) *gerit editio hæc anni indicium; sed coniicio prodiisse anno* 1469. *quòd Liviana Vindelini editio quæ* 1470. *prodiit, eandem quam illa habeat Episcopi Alerienſis epistolam. Oportet itaque huic illam antecessisse.* De Veneta Vindelini, idem Maittairius *part. I. pag.* 69. *not.* g. in cuius fi-

Hiſpaniæ invexit primus, eodem Ferdinando Perezio teſte, & in Hiſpanam linguam convertit. Quæ quidem interpretatio Salmanticæ abſque auctoris nomine anno MCDXCVII. in folio prodiit, rurſuſque additis quinque libris poſtremis quintæ decadis, alio quodam interprete qui & ipſe nomen ſuum reticuit, ex officina Arnaldi Birchman Colonienſis typographi anno MDLII. ſeu MDLIII. Philippo Hiſpaniarum principi Caroli Cæſaris filio dicata. Auctorem verò fuiſſe huius interpretationis Petrum Ayalam, idoneo ſatis comprobamus teſte Ioanne Alphonſo de Zamora Ioanni Regi II. à ſecretis, de quo ſtatim dicemus: qui in præfatione quadam ad verſionem aliam eiuſdem auctoris mox laudandam, integrum Livium ab eo Hiſpanè converſum [e] diſertis verbis annotatum reliquit. Qua in gloria Latinum Romanæ hiſtoriæ principem vulgaribus linguis communicandi, alios omnes ceterarum Europæ nationum antevertiſſe is videtur (1).

[e] Verba Hiſpana: *Romanzò enteramente el Tito Livio, los Morales de Job, y otras algunas obras.*

15. *Los Morales de Job.* Ita effert laudatus iam Zamora, rem ipſam adſtruens. Quod intelligo de Commentariis moralibus in Iobi librum S. Gregorii Magni; hos enim cum Livio & aliis aliorum auctorum operibus, communicâſſe eum ſuis Hiſpaniæ civibus, Ferdinandus ait Perezius toties à nobis advocatus Didaci (*Petri Lupi Ayalæi*) rerum teſtis (2). Hanc autem interpretationem ſive ignoravit ſive inſuper habuit ut novam procuderet, Alphonſus Alvari à Toleto, quum eidem verſioni *Moralium* S. Gregorii ſeſe accinxit, quæ anno ſuperioris ſæculi decimo quarto Alphonſo Manriquio S. R. E. Cardinali & Hiſpalenſi antiſtiti nuncupata, Hiſpalenſibus poſtea Ioannis Barba de Salamanca prodiit typis, anno eiuſdem ſæculi triceſimo quarto (3).

16. *La caida de principes de Juan Boccaccio* ex parte etiam vulgarem fecit. Ioannis Boccaccii *De caſibus virorum illuſtrium* ad inſignem militem Machinardum de Cavalcantibus, præclarum regni Siciliæ Mare-

fine habetur: M.CCCC.LXX. In Bibliotheca Ducis olim de la Valliere num. 4852. extitiſſe dicitur T. Livii editio altera Romana MCCCCLXX. ex recenſione Ioann. Ant. Campani apud Udalricum Gallum 2. vol. fol.

(1) De Hiſpana Titi Livii Hiſtoriarum Petri Lupi Ayalæi verſione ita Noſter hoc loco diſputat, quaſi is primus inter reliquas Europæ nationes hanc aream triverit, aut è Latio Livium ad Hiſpaniam tranſtulerit; cum Ipſe variis in locis ingenuè profiteatur facem ſibi in hoc ſtudio præluxiſſe Petrum *le Berceur* (Berchorium) Gallum Sancti Hilarii monachum. Regius Matritenſis Hiſpanicus Petri Lupi Ayalæi codex, anno, ut mox dicemus, MCCCCXXXIII. exaratus in eiuſdem limine: *Aqui comiença el libro primero de Titus Livius de las eſtorias & coronicas Romanas: el qual libro traſladò de Latin en Frances maeſtre Pedro Berceur monge de Sant Ylario en Paris: & traſladòlo à peticion & mandado del Rey Don Juan de Francia* (Philippi ſcilicet Valeſii filii, qui Ioannes ab anno MCCCL. Gallorum imperium tenuit). Atque in eiuſdem verſionis prologo Petrus ipſe Lupus Ayalæus his verbis Henricum III. Caſtellæ Regem alloquitur: *Porende la vueſtra Real Mageſtat ::: fue movida con neceſſidad loada de mandar à mi vueſtro homil ſubdito & muy natural pedro lopes de Ayala vueſtro cancellêr maior, que de la dicha ordenança è deciplina de caualleria que traſladaſſe un libro que es eſcripto por un yſtoriador antiguo è famoſo del qual faze mencion Sant geronimo en el prologo de la Vibria loando la ſu alta manera de fablar: el qual es llamado Titus Livius: & plógo vos que lo tornaſſe en lenguaje de caſtillaz el qual eſtaba en Latyn por vocablos ignotos & eſcuros: & deſpues por mandamiento del muy excelente Don Juan Rey de Francia fue traſladado en frances* &c. In eius autem codicis fine, folio nimirum 290. legitur: *Eſte libro & coronica ſe eſcribio en la Villa de haro lugar del muy alto principe Señor Don Pedro Ferrandes de Velaſco Conde de haro en el año del Señor de mill CCC6.XXXIII. años à ſervicio del Señor Dios è*

redel dicho Señor Conde: el qual fue eſcripto por ſu mandado & lo eſcribio martin ſanches de tricio eſcribano vecino de la dicha Villa de haro, vaſſallo & ſervidor del dicho Señor Conde. Laudetur Deus. Eadem fere in aliis Hiſpanicis codicibus legas. Quod autem Henrici potius tertii iuſſu quam alterius è Caſtellæ Regibus quorum ætate Interpres noſter floruit iiſque indivulſus adhæſit comes, verſionem quade agimus aggreſſus fuerit (cum Regis nomen expreſſum non exſtet in prologo): elicitur ex eiuſdem verbis in quo Alfonſus qui Mauros ad Tariſam inſigni clade afflixit, undecimus nimirum huius nominis: eius Regis quem Interpres alloquitur proavus, Henricus autem alter, ſive ſecundus eiuſdem avus enumeratur.

(2) D. Th. Sanchezius *T. I.* ſylloges, *pag.* 107. *n.* 166. *not.* 2. occaſione unius forſan 87.[ae] Petri Lupi Ayalæi ſtrophæ è libro *Rimado de Palacio*, in qua de ſe ipſo loquens in *Gregorii Moralia* inciditſſe, & Iobi librum expoſuiſſe affirmat: enatam opinionem exiſtimat Hiſpanicam eidem Moralium Gregorii verſionem tribuendi: quod verum fortaſſe fuerit; mihi certe quid reponam in numerato nihil eſt, niſi quod in recenſione Eſcurialenſis codicis *Lit.* H. *Plut. III. n.* 19. (T. II. p. 122.) in quo ſub ANONYMI titulo varia Petri Lupi Ayalæi opera & poematia exſtant, hæc olim à me notata legam: *Librum denique Iob occaſione codicis Moralium Beati Gregorii forte fortunà eidem oblati longo atque eleganti carmine exponit παραφρασικῶς*: quæ utut à me raptim in eo temporis articulo ſcripta, non tamen de nihilo ſunt. Viderint quibus is codex ad manum eſt.

(3) Exſtant in Regia Bibliotheca Matritenſi tria membranacea ingentis molis volumina, ſæculo ut videtur XV. ineunte exarata: in quibus integra Hiſpanica *Moralium Sancti Gregorii* verſio atque expoſitio continetur ANONYMO ſeu potius INCERTO Interprete; bona enim prologi pars initio primi voluminis, quo loco Scriptores nomen ſuum profiteri ſolent, forſice abſciſſa eſt. Videntur autem ex armorum ſtemmate ad oram alterius eorum dépicto pertinuiſſe olim ad Petrum Ferdinandi de Velaſco Comitem de Haro.

reſchallum, audit opus in exemplo, quod MS. vidimus Romæ in Altempſiana bibliotheca. Habet & aliud Vaticana MS. cod. 2030. Quibus quidem ſimilia exſtare alia in Oxonienſi & Lincolnienſi, ex Thoma Iameſio didicit Gerardus Ioannes Voſſius [f]. De editione autem eius operis nuſquam audivimus. Edita autem hæc Hiſpana interpretatio fuit primùm Hiſpali anno MCDXCV. in folio typis Meineardi Ungut Germani & Lancalai Poloni, atque iterum Compluti apud Ioannem Brocâr MDLII. in folio (1).

[f] *De Hiſtor. Lat.* lib. 3. c. 1.

17. Non tamen ea tota Petri noſtri eſt. Cùm enim ipſe ex decem libris octo integros, nonique uſque ad id caput, quod de Arturo Anglorum Rege eſt, Hiſpano ſtilo percurriſſet, imperfectum opus reliquit: quod ſupervenienti eius morti ex coniectura imputat is, qui verſionem abſolvit, Alphonſus Garſias de Sancta Maria, Decanus Compoſtellanæ & Segovienſis Eccleſiarum, qui præſul deinde Burgenſis fuit, Pauli deceſſoris filius, de quo infrà latiùs. Conſtat hoc ex huius editionis Hiſpalenſis præfatione, quæ Ioannem Alphonſum de Zamora Regi Ioanni II. à ſecretis auctorem habet, qui quidem dictante iam laudato Alphonſo Decano, dum ambo regiis cum mandatis in Portugalliæ curia verſarentur, manu propria ſe id quod deerat Boccacianæ verſioni ſcripſiſſe ait. Manuſcriptum codicem huius interpretationis ſervabat Matriti Excellentiſſimus Comes Villumbroſanus: in cuius titulo [g] notatum legitur Ioannem Alphonſum prædictum edidiſſe opus hoc in lucem, hoc eſt, ut intelligo, aliis manu exaratum communicâſſe, anno MCDXXII.

[g] *Caida de Principes por Juan Bocacio, traducida de Latin en Romanze por D. Pedro Lopez Ayala por la mayor parte, y continuada por el Dean de Santiago el Doctor Alphonſo Garzia, ſacada á luz año de* MCDXXII. *por Juan Alphonſo de Çamora ſecretario del Rey D. Juan el II.*

18. Neſcio autem an de aliis eiuſdem translationibus intelligenda ſint quæ Ferdinandus Perezius in elogio ait, beneficio nempe eius cognitos fuiſſe in Caſtellæ regno quoſdam libros non antea notos, ſcilicet *Titi Livii Romanam hiſtoriam*: *Caſus Principum Ioannis Boccaccii* (ut vidimus): *Biblioth. vet. Hiſp.* Tom. II.

(1) Bina Hiſpanæ huius verſionis exempla exſtant in Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit.* L. *Plut. II. n.* 14. (T. III. p. 264.) & ſub ANONYMI HISPANI titulo *Lit.* E. *Plut. III n.* 7. (T. I. p. 433.) Item aliud in Bibliotheca Ducis olim Olivarienſis *Pag.* 173. C. MS.

(2) Iſidori *De ſummo bono*, & *Boetii* Hiſpanam verſionem Petri Lupi de Ayala nunquam me vidiſſe memini; Troianæ autem Guidonis de Columna Hiſtoriæ bina exſtant in Bibliotheca Matritenſi exempla: alterum Lemoſino ſermone circa annum MCCCLXXX. alterum Hiſpano, quem Caſtellanum vocant, ineunte XV. ut videtur ſæculo exaratum: utrumque tamen abſque Interpretis nomine. Habetur item Hiſpali edita MDXLV. fol. In Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit.* L. *Plut. II. n.* 16. (T. III. p. 265.): ANONYMI *Morales libros S. Gregorii: Iſidorum De ſummo Bono: Boetium, ac Troianam hiſtoriam* (2). Vix credo: maximè cùm viſi nuſquam ſint *Boetius* Hiſpanè olim converſus, ſed primùm ab Antonio Genebrada Dominicano; Guidonis autem de Columna *Troiana hiſtoria*, de qua una Perezius loqui videri poterit, ab extero homine in Hiſpanum translata, ignotum quo tempore, dicatur in fine editionis Toletanæ anni MDXII. quam Petrus Nuñez Delicatus procuravit, recognita à ſe & in pluribus locis meliore facta, atque peregrinis verbis, à peregrino interprete uſurpatis, expurgata verſione: ut in altera recentiorum Scriptorum parte annotatum fuit.

19. Obiiſſe noſtrum in Calagurritana urbe quinque annis ſeptuagenario maiorem, ſæculi huius ſeptimo, & in monaſterio de *Quexana* familiæ ſuæ ſepulcro conditum fuiſſe, in fine elogii ait Guzmanus: quod cum aliis aliorum ſui ferè temporis conſpicuorum ſanguine aut dignitate virorum in libellum coniecit *Las generaciones ó ſemblanzas*, nuncupatum, ad calcem *Hiſtoriæ Ioannis Regis II. Caſtellæ*: de quo, cùm ad Guzmanum devenerimus, congrua erit iterum quærendi occaſio. Huic & locum inter Hiſpaniæ viros illuſtres iure dedit meritoque Lucius Marinæus Siculus *De Hiſpaniæ laudibus* lib. 5. & Stephanus Garibaius lib. 16. cap. 3. Vide & magnum Suritam in *Prologo ad emendationes in eius hiſtorias, ſeu Regum Chronica*, quarum antea meminimus.

20. RODERICUS GUNDISALVI A CLAVIJO, ob legationem ad Tamberlanem initam Henrici Regis III. Caſtellæ nomine huius ſæculi initio apud nos fuit in celebri fama. Hic Matriti nobili loco natus eo loci habitâſſe dicitur, in quo nunc ſpectatur iuxta Eccleſiam S. Andreæ Apoſtoli ſacellum à Garſia de Vargas Placentino antiſtite conſtructum. Delegaverat Henricus, Tamberlanis, ſeu Timuri

Hiſtoriarum de bello Troiano verſio Hiſpanica male lacera & in fine mutila, ac præterea atramenti acrimoniâ exeſa, dimetro carmine, cuius guſtum ſiſtimus:

, *De Diomede cum captum à Troianis equum*
, *ad Calchantis filiam per puerum internun-*
, *tium miſit:*
, *El Doncêl de que fue entrado*
, *Y vio entrar á la Doncella:*
, *(Aſſi) como era enſeñado*
, *Los hinojos fincò ant' ella*
, *Et dixol' Señora mia*
, *Salúdavos Diomedes*
, *Et por mor de vos embia*
, *Eſte cavallo que vêdes &c.*

Tartarorum ducis famâ rebusque fortiter gestis permotus, ad eum Legatos Pelagium Gomezium de Sotomaiori, Ferdinandumque Sancium de Palatiolis : qui de bello adversus Turcarum Imperatorem suscepto, deque arreptis propria virtute insignibus & potestate vasti imperii regio nomine gratulati, ambitiosum hominem & gloriæ cupidissimum officiis ab extremo orbe mandatis compellarent. Qui cùm iniuncto munere perfuncti, cum donis literisque ad Henricum datis, atque insuper proprio Tamberlanis legato comitati rediissent : repetendum sibi grati animi officium, quâ erat regiæ dignitatis famæque ad exteros propagandæ curâ, legationemque alteram adornandam Rex duxit.

21. Delecti sunt gerendæ pro dignitate rei tres viri, Alphonsus Perezius à S. Maria Prædicatorum sodalis, Gomeziusque Salazarius Regis custodiam, tertiusque Noster cubiculi curam gerens. Hi commissum sibi opus omnes, prout tanti principis susceptæ vices postulabant, æque expediverunt. Rodericus autem itineris historiam, qua Tamberlanis imperium, resque in bello gestas nostris hominibus ostenderet, præterea scripsit : quam Gundisalvus Argote de Molina, huiusmodi monumentorum superioris ævi perstudiosus deque Hispana historia optimè meritus, adiecto rei & auctoris indicandi gratiâ proœmio, typis edi curavit. Inscriptio libri hæc : *Historia del Gran Tamorlan. Itinerario y enarracion de la embaxada que Rui Gonzalez de Clavijo le hizo por mandado del muy poderoso señor Rey D. Henrique terzero de Castilla.* Ad Antonium Perezium Philippo Regi II. à secretis, Hispali apud Andream Pescioni MDLXXXII. in folio. Qui commentarius quantivis pretii haberi debet iis, qui decantatissimi huius & invictissimi Imperatoris res gestas noscere cupiunt. Adiungendus Achmedis Arabschæ filii Arabicæ quam Golius edidit, Petri Perondini Latinæ, & Schiltbergeri cuiusdam Bavari Germanicæ historiis eiusdem argumenti; atque iis quæ latè ac luculenter de eodem Timure *Historiæ* suæ *Ecclesiasticæ* XV. sæculo cap. 5. sect. 2. Ioannes Henricus Hottingerus scripsit.

22. Triennio is cùm abfuisset, nempe è vicesima secunda Maii die anni MCDIII. usque ad Februarii quartam super vicesimam MCDVI. in patriam reversus apud Franciscanos fratres eiusdem Matritensis municipii sacellum templi maximum grandi sumtu ædificavit, sibique in eo marmoreum tumulum effigie sui imposita, exaratisque in circulum hisce literis :

AQVI IACE EL HONRADO CAVALLERO
RVI GONZALEZ DE CLAVIJO
QVE DIOS PERDONE, CAMARERO DE LOS REYES
D. HENRIQVE DE BVENA MEMORIA, E DEL REY
D. IVAN SV HIJO, AL QVAL EL DICHO SEÑOR REY
OVO EMBIADO POR SV EMBAXADOR AL TABORLAN.
ET FINO DOS DIAS DE ABRIL AÑO DEL SEÑOR
DE MIL Y QVATROCIENTOS Y DOCE AÑOS.

23. Hoc loco mansit conditum eius cadaver, usque dum, nullo ab eo herede relicto qui ius posset quæsitum prætendere, cœnobii illius sodales hinc deduxêre, Ioannam Reginam Henrici Regis IV. uxorem telluri apud se traditam honorificentissimo totius templi loco, ubi & nunc marmoreum eius sepulcrum conspicitur, accepturi. Exuviæ Roderici, monumentumque in alium locum, à quo deinde ad Ecclesiam mediam, rursusque hinc in proximum amboni parietem ante annum MDLXXX. fato quodam, insignique rerum humanarum inconstantiæ argumento, sedem mutârunt (1).

24. Sub Henrico III. Rege, qui anno septimo è vivis cessit [h], ANONYMUS quidam vixit, obscurus ad posteritatem derivatus, excepto quòd de munere ab eo gesto inter curiales constat. Dispensatorem enim

(1) Exstat in Regia Bibliotheca Matritensi huius legationis exemplum auctori ut videtur synchronum, sed ἐλλειπτικὸν, desinens his verbis : *Lunes en la noche postremero dia de Noviembre llegaron* (de Legatis loquitur) *á la isla de Cecilia è tomaron puerto en la Cibdat :* quibus prælaudatus D. Eugenius de Llaguno Amírola in nuper edito eiusdem Legationis opere Matriti apud Antonium de Sancha 1772. adiecit reliqua, nimirum à die ultima Novembris 1405. ad 24. Martii anni sequentis seu 1406. quo die Comptutum ubi tunc Henricus III. cum Regia Curia versabatur pervenerunt.

[h] De hoc ipso Anonymo iam suprà actum lib. VIII. cap. VI. num. 282. sed quoniam hic plenior eius notitia exhibetur, quodque ipsa auctoris mens repetita illius hic mentio, eam delere religioni duximus. CARD. DE AGUIRRE.

enim se appellat Eleonoræ Reginæ Ioannis I. Castellæ Regis coniugis ; non autem proprio nomine : quod suspicari possumus inter exscriptorum manus evanuisse. Nam cui fini reticere nomen & abscondere hominem, cuius aliàs indicium ex tam noto munere fecerit? Liber exstat ita inscriptus, propter quem hunc laudamus : *Sumario de los Reyes de España desde D. Pelagio hasta D. Henrique el III. compuesto por . . . . . defpensero mayor de la Reyna Doña Leonor muger del Rey D. Juan el I.* Brevis quidem historia est, sed bene ordinata. Exemplum huius vidimus anno MDLXXX. exscriptum ex antiquiore alio. Vidimus etiam typis editum opus vagientis adhuc impressoriæ artis in 4.° sine loci nota apud Excellentissimum Marchionem Mondexarensem. Meminit Ægidius Gundisalvi de Avila in *Historia Henrici III. Castellæ Regis* cap. 57 (1).

25. Circa hæc tempora PETRUS MAZA, Oscensis, Prædicatorum sodalis ex Aragoniæ provincia, uti Franciscus Diagus refert in eiusdem provinciæ *Dominicanæ historiæ* libro 2. cap. (*XCII. fol.* 269. *pag.* 2.) eruditum opus scripsit adversus Arnaldi Villanovani errores.

26. Anno septimo desiit mortalis esse Castellæ Rex Henricus, ob afflictam continuò valetudinem Æger sive Infirmus vulgò cognominatus. Huius res in historiam digessit FERDINANDUS NONIUS DE CONCHA, huius forsan nobilissimæ urbis civis, archicapellanus eiusdem Regis, quæ MS. adhuc à paucis legitur. Fuisse autem apud Carthusianos Hispalenses à multo tempore scriptum laudatum hoc aliudve Henrici III. Chronicon, indeque acceptum exemplum, ante aliquot annos in bibliotheca Comitis Ducis Olivarum, testes optimæ fidei habeo (2). Meminit huius auctoris & historiæ D. Didacus Sanchez Portocarrero in *Historia Molinæ, atque eius dominorum catalogo*, sæpiusque variis in locis D. Iosephus Pellizerius.

27. Glisebant apud nos initio huius sæculi animorum turbæ ob controversam magnis animis inter Gregorium XII. & Benedictum XIII. vulgò Antipapam dictum, atque utriusque asseclas, supremam Ecclesiæ dignitatem : quo tempore Benedicti, cuius adhærebant partibus Castellæ & Aragoniæ atque alii Reges, in familia fuit MARTINUS ALPARTILIUS Aragonensis, Cæsaraugustanæ S. Mariæ Virginis de Pilari Ecclesiæ, ut olim audiebat, Camerarius, fidus semper strenuusque Benedicti comes, quocum in Avenionensi palatio Gallorum Cardinalium & adversæ partis ducum obsidionem circa annum MCCCXCIX. diu pertulit; ab eo autem, dum in Nicensi (*Galliæ*) Provinciæ urbe ageret, aliquando (quinto nempe huius sæculi anno) ad Siciliæ Regem Martinum iuniorem, Martini alterius Aragoniæ Regis filium, destinatus fuit.

28. Huius passim in *Annalibus Aragonensibus*, atque huius temporis rebus meminit Hieronymus Surita [i] : ex quo eum in commentarios retulisse ait *Historiam huius schismatis*, unde plurium eventuum huius temporis æqualium deservire historiæ suæ mentionem fecit. Quo similiter in Latinis *Rerum Aragonensium indicibus* [k], uti solet, præcipuè circa finem, ubi ait Martinum Alpartilium *Operarium Cæsarauguſtanum, qui in intimis Benedicti erat, eius varios actus actioneſque ferme omnes conſiliorum & temporum, ex quo in ſummum Pontificem eſt evectus, diffusè complexum fuiſſe.* Alibi Dertosanæ Ecclesiæ Camerarium vocat, ad annum scilicet MCDVI. Nec tacuêre hominem, atque eius has lucubrationes, alter eiusdem regni chronographorum coryphæus Hieronymus Blancas, *egregium antiquarium* eum appellans; ac Didacus Espès, Blancæ (*Ioannis II. Aragonum Regis uxoris, an filiæ?*) præceptor, Cæsarauguſtanæ Ecclesiæ sancti Salvatoris portionarius & archivi custos, in prolixis suis, at eruditissimis ac diligentissimis rerum eiusdem Ecclesiæ Cæsarauguſtanæ nondum editis, à quibus tot alii profecerunt, commentariis. Meminit quoque Petrus Ribadeneyra in Vita S. Vincentii Ferrerii. Necnon & Escolanus *Valentinæ historiæ* decade 1. lib. 5. cap. 27. & logo materiarum Bibliothecæ Ducis olim Olivarensis *pag.* 270 exstat : *Genealogías de los Reyes de Castilla por el Despensero. F.* 24.

[i] Lib. 10 cap. 56. 61. 68. 74. 80. 85. & 88. lib. 11. cap. 31.

[k] Lib. 3. ad ann. MCDVIII. & MCDX.

(1) Hoc item *Regum Hispaniæ Summarium* è Bibliothecis Regia, Matritensi Escurialensi & aliis primus omnium in lucem protulit idem D. Eugenius de Llaguno Amírola in Sylloge Chronicorum Hispaniæ Matriti apud *De Sancha* 1782. cuius auctorem falso eatenus à nonnullis creditum *Gutterrium* quendam *de Guémez, Ioannem Rodriguezium de Cuenca* Eleonoræ Ioannis I. Regis uxoris, atque item Catharinæ Castellæ Reginæ Œconomum sive Dispensatorem verè appellatum fuisse statuit, illustris Marchionis Mondexarensis fide ac testimonio. In Catalogo Bibliothecæ Ducis Olivarensis *pag.* 270 exstat : *Genealogías de los Reyes de Castilla por el Despensero. F.* 24.

(2) Frustra hoc Enrici III. Chronicon in utroque & nominum & materiarum Bibliothecæ Ducis quondam Olivarensis catalogo sub *Ferdinandi Nonnii Conchensis*, ac sub aliorum Chronicorum titulis quæsivi. Tantum exstant *T. I. pag.* 174. *C. MS. La Chronica del Rey Don Henrique el tercero folio : : La misma Tom.* 14. *n.* 5.

& Ioannes Franciſcus Andreas Uſtarrozius in *Defenſione patriæ ſancti Laurentii* cap. 8. Natum verò eundem prope locum, quem *Pueyo de Aranda* vocant, alicubi [1] admonuit laudatus iam Surita.

[1] Lib. II. cap. 31.

29. Ad rem ac tempus eiuſdem Benedicti pertinet PETRUS ALBERÎT Aragonenſis, quo iuſſu laudati priùs Benedicti dum Cardinalis eſſet, *Genealogicum* de familiis eiuſdem regni Aragoniæ illuſtribus opus confecit. Quod laudat Ioannis Martini de Bahamonde in *Elogiis quorumdam Sanctorum*, elenchoque auctorum quibus uſus fuit, his verbis: *Pedro Alberit en el libro que hizo de linages iluſtres de Aragon por mandado del Cardenal Luna llamado Papa Benedicto XIII.* atque item tacito Alberiti nomine Alphonſus Lopez de Haro lib. 5. *Nobiliarii Hiſpaniæ* cap. 15. fol. 463 (1).

30. BERNARDUM itidem DE RIERA Mercenariorum fratrum ſodalem, atque eò quòd inſigne volumen *De laudibus Benedicti* eiuſdem XIII. aliquando edidiſſet ad collegium Cardinalium ab eo exaltatum, Hiſtorici huiuſmet religioſæ familiæ, cum aliis eodem honore mactis, laudant: quibus, cùm teſtimonia alia deficiant, non ſolidè credit Ciaconius Cardinalium ſedulus enarrator, aut ii qui Ciaconium locupletavêre [m].

[m] In editione Rom. an. MDC. LXXVII. *Vitarum Pontific. & Cardin.* tom. 2. col. 746.

31. Catalonia ſemper edidit egregios prudentiæ iuris & omnimodæ doctrinæ viros quorum auxit numerum celebris ſub Martino, ac Ferdinando & Alphonſo Aragoniæ Regibus, poſtremique huius conſiliarius & fiſci advocatus, IACOBUS CALICIUS, ſeu DE CALICIO, Vicenſis eques, monumentis pluribus à ſe relictis de patrio iure optimè meritus. Exſtant quippe eius

32. I. *In Uſaticos urbis Barcinonenſis* (leges municipales ita vocant [n]) commentarii, qui cum aliis Iacobi à Monte-Iudaico ſive de Mont-Juî, Iacobique, & Guilielmi de Valleſicca anno MDXLIV. in folio Barcinone prodierunt. Hos ſeſe conſcripſiſſe circa annum MCDI. admonitum idem voluit auctor in *Margarita fiſci* cuius infrà meminimus. Quo loco animadvertere æquum eſt quamplures Cataloniæ iuriſconſultorum hanc Spartam *Uſaticorum* explanandorum ſibi adornandam delegiſſe, quorum nomina, quia de eius monumentis aliàs obſcura memoria eſt, ex Andreæ Boſchi Perpinianenſis vernaculo *Admirabilium titulorum honoris Cataloniæ, Ruſcinonis, ac Ceritaniæ opere* [o] huc advocavimus. Laudat nempe is lib. 3. cap. 13. hos *Uſaticorum* gloſſatores, Raymundum de Area, Raymundum Baliſtarium, Iacobum de Faro, Petrum Terrenam, Petrum Deſpens, Bertrandum de Monte-Iudaico, Berengarium de Gualbis, Petrum de Ponte. Præter hos quibuſdam aliis teſtimonium tribuit Antonius Olivanus [p], nempe Bertrando de Seva, Guilielmo Dominico, Iacobo de Monellis, Iacobo Cardoni, Iacobo Matthæi, *qui omnes* (Olivanus ait) *partim ſcripſerunt obſervationes aliquas in noſtra iura: quas poſtea colligentes alii maioris nominis Scriptores, in ſuis commentariis, auctore quandoque expreſſo, quandoque tacito, continuarunt.* Hæc ille (2).

[n] De quibus vide Olivanum *De actionibus* parte 1. lib. 3. cap. 3.

[o] Summarii epitome admirabilium titols de honor Cataluny, ſellò, y Ceritania Perpin. editio MDCXIV.

[p] Tract. De actionibus ſuprà num. 56.

33. II. *Directorium pacis & treugæ.* Secutus in eo *Iacobi Cardoni* (ut idem Olivanus ait [q]) *Iuriſperiti, & egregii cauſarum patroni civitatis Vici, ut idem noſter Calicius teſtatur in præfatione huius tractatus* De pacibus & treugis, *quem dicit compleviſſe in anno MCD. ſub Rege Martino: in quo tractatu plures conſtitutiones, pragmaticas, privilegia declaravit.* Fuit MS. cum additionibus Thomæ Mieres, propria eius manu exaratis, in bibliotheca Antonii Auguſtini. Huic adiungitur

[q] Ubi ſuprà.

34. III. *Proceſſus ſoni emiſſi* (vulg. *Somatèn*) Quod peculiare genus eſt in Catalonia adverſus delinquentes procedendi, à Calicio conſcriptus MCDVI. Utrumque opus prodiit charactere Longobardico; typographus tamen & nomen & locum ſilentio preſſit. Tractatum hunc dicavit auctor Speranti-in-deo Cardona, Martini Regis Vice-cancellario.

35. IV. *Margarita fiſci.* In ea *propoſitis octo quæſtionibus explicat iura fiſci, & alia iura ad principem ſpectantia, pœnas pecuniarias, corporales, & alia id genus* &c. *Hæc ſub Alphonſo IV. edita eſt* (Alphonſum IV. Catalani vocant, quem Aragonenſes V. qui anno ſæculi decimo ſexto regnare cœpit) *ut idem ſcribit in præfatione num 5. & in fine operis, in anno ſcilicet MCDXXIV.* Hæc Olivanus.

36. V. *De prærogativis militaribus,* tractatus, anno ſcilicet MCDXIX. ſub eodem Alphonſo ſcriptus, *in quo iura huius patriæ* (ait iterum Olivanus) *communia & privata privilegia militum declarantur.* Thomas Mieres eiuſdem ſæculi auctor,

(1) Cave ne hunc *Petrum Alberît* Aragonenſem confundas cum *Petro Albertî* ſive *Albertini* Catalano Canonico Barcinonenſi Uſaticorum patriæ Gloſſatore: quode Noſter, noſque infrà *cap. ſequenti n.* 62. *Not.*

(2) Gloſſatorum in Uſaticos Barcinonenſes ſyllabum longe auctiorem dedimus ſuprà *Lib. IX. C. IV. n.* 240. *Not.* è Franckenavio *Sacr. Themid. Hiſp. Sect. IX. à n.* 13.

ctor, *collectione quarta Iacobi II. curiarum Barcinonenſium* cap. 27. circa finem, tractatum *De re militari* vocat, *ubi, opinor* (ait) *poſuit prolixiùs privilegia militaria, cùm ipſe fuiſſet etiam miles.* Sed cùm *Viridarium militiæ* vocatum ab auctore ibidem adiunxerit, referri ad ſequens opus teſtimonium hoc debet. Scripſit etenim Calicius etiam

37. VI. *Viridarium militiæ*, MCDXXIV. editum, à ſuperiore aliud opus, quod Olivanus diſertè aliique diſtinguunt.

38. VII. *De moneta* tractatus, anno MCDXXI. Hunc Thomas Mieres vocat *tractatum Seccæ, & monetariorum*, librum laudans, & auctorem in operis antea memorati collatione 4. cap. 11. num. 7.

39. VIII. *Extravagatorium curiarum.* Poſt curias generales per Alphonſum Regem celebratas anno MCDXIX. in monaſterio S. Cucuphatis del Vallès ſcriptum, quod eſt de curiarum celebratione ut idem in præfatione auctor ait, & Olivanus. *Curiale*, ſive *Exgravatorium*, diſertè vocat idem Mieres collatione 7. cap. 1. num. 7. Editum fuit Barcinone ſeorſum à Ioanne Guardiola anno MDLVI. uti ait Verderius in *Supplemento bibliothecæ Geſnerianæ.* Hæc omnia fuiſſe inter libros MSS. ſummi viri Antonii Auguſtini eius te docebit catalogus; ſed & alia iſta quæ ſequuntur:

40. IX. *Tractatus* ita inſcriptus: *Quis dicatur heres ſolidus.*

41. X. *De iuriſdictionibus*, quædam alia.

42. XI. *Additiones ſuper Directorio ſuo pacis; & poſtillæ, & quæſtiones, & concluſiones Doctorum ſuper proceſſu pacis & treugæ, cum variis pragmaticis de eadem re.*

43. XII. *Allegationes ſuper facto luitionis inchoatæ contra Eccleſiam in favorem eiuſdem.*

Calicii hæc opera, ſive eorum maior pars, Lugduni prodiere anno MDLVI. in folio (1).

44. PETRUS DE FONTE-LUPORUM Dominicanus, qui in domo Tarraconenſi profeſſionem emiſit, in Bilbilitana autem diem ſuum obiit, provinciæ ſuæ Aragoniæ præfectus fuit; tum Fidei cauſarum per integrum regnum cenſoriâ ſupremaque poteſtate ornatus. Scripſiſſe dicitur tractatum *De modo celebrandi comitia provincialia.* Laudatus ob id ſcriptum à Franciſco Diago in *Hiſtoria* ſua eiuſdem *provinciæ Aragoniæ Dominicanorum* (*Lib. I. c. XXXII. fol.* 59. *pag.* 1.), qui anno MCDXII. eum vitâ functum ait (2).

45. Benedicti Pontificis circa hæc tempora medicus fuit HIERONYMUS DE SANCTA FIDE, olim Iudæus, IOSIAS ſive IOSUA LURKÎ nomine; inde Chriſtianus, atque Iudæorum hoſtis acerrimus. Celebratur maximè diſputatio huius cum Hebræorum Hiſpaniæ totius doctiſſimis anno MCDXIII. iuſſu Benedicti habita. Cui quidem Hieronymus obtulerat, ſi ſapientiſſimos eorum quoſque acciret, ſe illis ex Talmude clariſſimè demonſtraturum Meſſiam iam pridem veniſſe. Eius aliqua pars legitur in epiſtola quadam Abunſtroci ad Geronenſe (Gerundenſe intelligo) Conciliabulum miſſa: quam *Hiſtoriæ* ſuæ *Iudaicæ* inſeruit Salomon filius Virgæ Hiſpanus, quam ex Hebraico in Latinum ſermonem non ita pridem Georgius Gentius convertit [r]. Huius tamen diſputationis verum eventum aliunde ſanè quàm ab Hebræo hiſtorico peti oportuerit.

[r] Edita fuit Amſtel. apud Pet. Nielliu MDCLI. in 4.

46. Meminit quidem ex noſtris Hieronymus Surita hiſtoricorum flos, *Annalium Aragonenſium* lib. 12. cap. 46. qui notat conveniſſe hunc cœtum in Dertuſenſi Cataloniæ urbe: quam *Romam*, ſolemni curiam Pontificiam ubi ubi eſſet appellandi more, Salomon ille Hebræus vocavit; cumque Hieronymo de Sancta Fide, pro meliori cauſa ſtetiſſe Garſiam Alvari de Alarcon Hebraicè, Chaldaicè Latineque doctiſſimum, & Andream Bertrandum olim Iudæum ex Valentia urbe, Papæ eleemoſynarium & aliquando Barcinonis præſulem, in iiſdem literis Hebraicis atque Chaldaicis verſatiſſimum. In Iudæorum nomenclatura, qui vocati convenerant ſectæ ſuæ principum, Salomon & Surita toto cælo differunt. Hebræus quidem aut verè ignoravit eventum rei, aut ſilentio involvere ſatiùs duxit; nam aliquot ſeſſionibus eorum deſcriptis, quibus omnibus interfuiſſe Benedictum diſertè ait, deficiente filo epiſtolæ, abrupit & ipſe narrationem; cùm ſanè conſtet ex eodem Surita Benedictum vices ſuas ut cœtui præ-

(1) Exſtant omnia ferè huius Calicii opera ac pluries repetita in Bibliotheca Eſcurialenſi: in quibus qui à Noſtro hoc loco *n.* 38. inſcribitur *Tractatus de moneta*, & à Thoma Mieres ibidem: *Tractatus Seccæ*, & *monetariorum*: in Eſcurialenſi codice *Lit.* E. *Plut. II n.* 18. (T. I. p. 427) hunc titulum habet: *Monetarium ſeu Liber Alcaldorum Seccæ Seccam* ſive *Zeccam* Lemoſini Officinam monetariam vocant, unde Italicum *Zecchini*, atque hinc *Zequines*, *Zequies*.

(2) Nihil præterea de eo Quetifus & Echardus, qui potius huius Scriptoris notitiam geſtaque è Noſtro, atque è Franciſci Diagi Hiſtoria Ord. Præd. Prov. Aragoniæ *Lib. I. cap. XXXII.* mutuaſſe videntur.

præeſſent Miniſtro Generali ordinis Prædicatorum, atque S. Palatii Magiſtro delegâſſe; atque huic ſementi meſſem admodum uberem felicemque ſucceſſiſſe, converſis integris aliquot Locorum ſynagogis, pluribuſque aliarum familiis, uſque ad trium ferè millium capitum; & inter alios Theodorum (*Todroz* vulgari nomine) Benveniſt Ceſarauguſtanæ præcipuum, cauſam Dei ſimul agente Vincentio illo Ferrerio, Prædicatorum ordinis clariſſimo huius temporis Evangelii præcone, nullius non ore prædicando.

47. Neque contentus noſter Hieronymus coràm cum Iudæis diſputâſſe, eiuſdem fortè Benedicti iuſſione, quicquid pro aſſerendo Meſſiæ vanè ab eis ſperato etiam nunc adventu, tam ex ſacris literis quàm ex Talmude ipſo Hebræorum obſervâſſet, in commentarium retulit: quem duobus libris diſtinctum, & *Contra Iudæos* inſcriptum, è manibus abire permiſit.

48. Hunc dimidium Tiguri editum anno MDLII. indeque Hamburgi, monet in prolegomenis ſuis [s] ad opus תשובה יהודה (*Texubáh Iehudáh*), ſive *De convincendis & convertendis Iudæis*, Ioannes Hoornbeckus, noſtri ævi heterodoxus, Calvini aſſecla, in hoc ſaltem laudandus, quod & hìc, & in opere alio *De convertendis gentilibus* catholicorum zelum æmulatus fuerit. Integer tamen commentarius prodiit [t], toto ſcilicet libro auctior, Francofurti anno MDCII. Cùm enim in primis duabus illis editionibus ſecundus dumtaxat de erroribus Talmudicis ſex capitum liber apparuiſſet: adiunctus fuit in hac ultima primus, duodecim capitibus pro convincenda Iudæorum perfidia contentus: quorum lemmata, cum aliis obſervatione dignis ex iſto opere, *Annalibus* ſuis *Eccleſiaſticis* [t] Odoricus Raynaldus intexuit. Extant hi duo libri *Contra Iudæos* in editionibus *Bibliothecæ veterum Patrum*, ſignateque poſtremæ Lugdunenſis XXVI. volumine.

[s] Pag. 6. editionis Lugduno-Batavæ an. MDCLV.

[t] Tomo 17. ad an. MCDXII. num. 8.

49. Codex autem MS. qui inter libros fuit Antonii Auguſtini, hiſtorica hac inſcriptione conſpicuus legebatur [u]: *Hieronymi à Sancta Fide artis medicinæ magiſtri, diſputatio contra Iudæos Dertoſæ habita præſente Papa Benedicto, & eius curia convocatiſque maioribus Rabbinis totius Hiſpaniæ, anno ſalutis MCDXIII.* Ms. codice hanc eandem ſervat controverſiam Bibliotheca Altempſiana Romæ, quem vidimus, ſed non antiquæ notæ. Adverſus quem ex Iudæis inſurrexerunt pro conſueta obſtinatione & animoſitate R. Vida Ben-Levi, ſcribens קדש קדשים (*Kodéx Kodaxîm*), *ſanctum ſanctorum;* atque item R. Iſaac Nathan תוכחת מתעה (*Thocachát methaháh*) *Redargutionem ſeductoris*: quem vulgatum fuiſſe librum poſt Hieronymi obitum Hottingerus in *Bibliotheca* monet *Orientali* [x].

[u] In cat... lib. MSS. ... nor. n. 1...

[x] Cap. ... Claſſe 4. ... 22.

50. Ad hanc Hieronymi cum Iudæis diſputationem pertinet, aut totus liber, aut pars ſaltim eius, qui in bibliothecæ Lugduno-Batavæ catalogo laudatur, ſic ס הכלימה (*Sépher hacelimâh*) *Liber opprobrii* (1): *Epiſtola Impourpet cum comm. Ioſeph f. Schem Tof: epiſtola Eſtrick* (videtur hic Aſtrocus Levita ex urbe Daroca, quem huic congreſui interfuiſſe docuit nos Salomon Virgæ laudatus) *ex Iudæo Chriſtiani ad Anſchaltiel Bonfos: Epiſt. Schelomoh Bonfed: Nachmanidis diſputatio cum Priſolo Iudaicæ fidei deſertore, in palatio Barcinonenſi, coram Rege & Magnatibus: Epiſtola Ioſiæ Lurki* (is eſt noſter Hieronymus) *ad D. Schelomoh Hallevi amplexum religionem Chriſtianam in urbe Avenionenſi: Literæ D. Schelomoh Levitæ ad D. Meir Alondilam: Expoſitio epiſtolæ Impourpet, cum refutatione dogmatum Chriſtianorum.* Hactenus libri ſeu codicis inſcriptio Lugduno-Batava (2).

(1) Fruſtra in Catalogo librorum Academiæ Lugduno Batavæ, 1716. inter Hebraicos Scaligerianos atque Warnerianos codices à pag. 404. ad 408. hunc titulum quæſivi; atque item in excuſis, à pag. 308. ad 323.

(2) Exſtant in Bibliotheca Eſcurialenſi huius diſputationis Acta in Membranaceo ſæculi XV. ineuntis codice *Lit. S. Plut. I. n.* 10. quem olim ego ita deſcribebam (T. II. pag. 545.)

, Magiſtri Hieronymi de Sancta Fide (1), (olim
, Ioſuæ Lurkî ex Hebræo Chriſtiani) Medici Domi-
, ni Petri de Luna alias Benedicti Papæ XIII. Acta
, diſputationum quas per LXIX. diætas habuit coram
, Domino Benedicto Papa XIII. & Cardinalium Colle-
, gio in urbe Dertuſenſi Provinciæ Tarraconenſis cum
, famoſioribus Synagogarum eius regionis Rabbinis de
, præcipuis Fidei noſtræ articulis, & ſignanter de adven-
, tu Ieſu Chriſti veri Meſſiæ & Servatoris generis hu-
, mani, ſcilicet anno Eiuſdem nativitatis MCCCCXIII.
, à die VII. menſis Februarii. Exemplum ſynchronum
, proque archetypo habendum.

, In Bibliotheca MStorum. Illuſtr. Antonii Au-
, guſtini Archiepiſcopi Tarraconenſis codex eâdem ſe-
, re inſcriptione recenſetur, binaque eiuſdem operis
, exempla in Vaticana atque Altempſiana Bibliothe-
, cis exſtare dicuntur. Cum autem conſtet Antonii
, Auguſtini Bibliothecam bona ſaltem ex parte in Re-
, giam Eſcurialenſem immigrâſſe, crediderim hunc
, eſſe eundem illum codicem qui olim ad incompa-
, rabilem Præſulem pertinuit; & maxime quòd eiuſdem
, initio antiqua manu legatur: *Eſte libro es de la*
, *Cartuja de Aula Dei*; ſubſcribitque: *Frai Simon*
, *Sebaſtian Prior*: ut pronum ſit coniicere ex eius
, Cœnobii in Antonii Auguſtini Bibliothecam con-
, ceſſiſſe.

, Bartoloccius *Biblioth. Rabb. Part. III. pag.*
, 776.

(1) Hunc Hieronymum Hebræi מגדף (*megadef*) vocant: quæ vox ipſis idem ac Latinis *blaſphemus*, *blaſphemator* valet; conflata autem eſt è capitalibus literis M. G. D. F. quæ plenè ſignificant *Magiſter Geronymus De Fide* (τῷ *Sanctâ* religionis causâ omiſſâ ... ſcilicet ... in eum ... chantes. Fa... re autem Hebr... eſt technica ... vocabula bre... tis cauſâ co... gere: RAMB... quo R. Mo... Ben Maim... RALBAG, ... R. Levi Ben G... ſonis ſignific...

51. In Carmelitarum laudatur monumentis BARTHOLOMÆUS PEYRÒ, cui patriam tam naturæ quàm religionis Perpinianum; Sedem à Gregorio Papa XII. (potiùs à Benedicto cui adhærebat Catalonia cum Aragonum Rege) ei commiſſam, El-

, 776. è libro inſcripto *Virga Iudæ* catalogum at-
, texuit Rabbinorum qui è variis Hiſpaniæ atque or-
, bis partibus evocati huic diſputationi interfuêre, ni-
, mirum: *E civitate Cæſarauguſtana Rabbi Za-*
, *rachia Hallevî*, & *Naſsî Princeps D. Vidal*
, (בנבנשתי) *Benbanaſte* (Hiſp. Benveniſte, Bien-
, venido): *E Calagurritana*, *Macaltia Præfectus*,
, *Don Samuel Hallevî. De civitate Ghoriſca* (Hueſ-
, ca, *Don Todrós Alconſtantîn*, *Theodorus Conſtan-*
, *tinopolitanus. De Alcaués* (Alcañîz) *Don Joſeph*
, *Aben* ארדוט *Ardut*, *Don Meîr* חליגוא *Chalegua.*
, *De Daroca Don Aſtrùk Hallevî*, *De Montalván*
, *R. Ioſeph Albo ::: qui non diu pòſt librum* עקרים
, *Ikkarîm*, *id eſt Fundamentorum ſcripſit. De*
, *Monçôn*, *Don Joſeph Hallevî*, & *R. Iom Tov*
, *Korkóſt. De Montalbano* (f. Montblanch Catalo-
, niæ) *Abuganda. Ex Malieſet* (f. Mallént) *Don*
, *Ioſeph Albalag*, & *Sapiens Bongua*, *cum R. To-*
, *dròs Aben Iachiia Gerundenſi;* atque his adiicit
, *R. Mathathiam Haïetzarî*, *R. Samuelem Levi-*
, *tam*, *R. Moſem*, atque innominatos alios.

, Nos autem perfunctoriè decurſo codice non-
, nullos præterea invenimus, nimirum *Rabbi Ferrer*:
, *Magiſtrum Salomonem Iſaaci Rabbinum Aliamæ*
, *Dertuſenſis: Magiſtrum de Gerunda: Bonaſtrum*
, *Gerundenſem*, diverſum *à Bonaſtrucko de Alca-*
, *ñicio: Rabbi Moſem Aben-abêz*, & *Mathathiam*
, *Cæſarauguſtanum.*

, Conventus autem ac diſputatio iſta per bien-
, nium continuata fuit, nimirum à die VII. Februarii
, MCCCCXIII. quo prima dieta fuit habita, uſque
, ad XII. menſis Novembris anni ſequentis, quo po-
, ſtrema omnium celebrata dicitur apud oppidum
, Sancti Matthæi Diœceſis Dertoſanæ in Regno Va-
, lentino.

, Prioribus autem huius diſputationis congreſſibus
, videntur Rabbini omnes poſtulatis atque argumenta-
, tionibus Hieronymi de Sancta Fide ordine ſuo, vel
, prout ſors illis obtulerat reſponſa dediſſe: dein ta-
, centibus aliis res ad triarios rediit, nimirum ad Rab-
, bi Ferrerium, Aſtruckum Darocanum, Mathathiam
, Cæſarauguſtanum, & Salomonem Dertoſanum; at-
, que ex iis Mathathias itidem diſceſſit dicens: *quod*
, *non intendebat amplius os ſuum aperire* (Cod.
, fol. 349.); Salomon autem & Aſtruckus veritati
, aperte cedere coacti ſunt, ut mox dicemus.

, *In eadem vero diæta*, ſcilicet x. die menſis
, Novembris MCCCCXIV. apud oppidum Sancti
, Matthæi habita (verba ſunt Actorum Codicis fol.
, 399. & ſeq.) lecta fuit quædam Cedula quam in
, præſentia Rmi. in Chriſto Patris & Dñi. Dñi. Car-
, dinalis Sancti Angeli Iudæi obtulerunt ſub tenore
, ſequenti: *Et ego Aſtruk Levî cum debita humili-*
, *tate ſubiectione & reverentia Rmæ. Paternita-*
, *tatis & Dominationis Domini Cardinalis*, *alio-*
, *rumque Rev. Patrum & Dñorum. hìc præſentium*
, *reſpondeo dicens: quod licet auctoritates Talmu-*
, *dicæ quæ contra Talmùd tam per Rev. meum*
, *Dominum Eleemoſynarium* (1) (Benedicti Papæ)
, *quam per Honoràbilem Magiſtrum Hieronymum*
, *allegatæ*, *ſicut ad literam iacent*, *male ſonent:*
, *partim quia prima facie videntur hæreticæ*, *par-*
, *tim contra bonos mores*, *partim quia ſunt erro-*
, *neæ; & quamvis per traditionem meorum Ma-*
, *giſtrorum habuerim*, *quod illæ habeant*, *aut poſ-*
, *ſint alium ſenſum habere: fateor tamen illum me*
, *ignorare. Idcirco dictis auctoritatibus nullam fi-*
, *dem adhibeo nec auctoritatem aliqualem*, *nec*
, *illis credo*, *nec eaſdem defendere intendo. Et*
, *quamcumque reſponſionem per me ſuperius datam*
, *huic meæ ultimæ reſponſioni obviantem illi*, *revo-*
, *co & pro non dicta habeo*, *in eo ſolum in quo huic*
, *contradicit. Omnibus Iudæis & Rabbinis totius*
, *Congregationis Aliamarum ibidem præſentium*
, (*Rabbi Ferrer*, & *Rabbi Iucef Albo* (2) *dum-*
, *taxat exceptis*) *magna voce clamantibus & di-*
, *centibus: Et nos in dicta Cedula concordamus &*
, *illi adhæremus*

, Die vero Lunæ XII. menſis Novembris apud
, præfatam Villam Sancti Matthæi Iudæi dictæ Con-
, gregationis vice & nomine omnium præfatam Cedu-
, lam obtulerunt. In eadem vero diæta SSmus. Dñus.
, noſter Papa ſententiam contra ipſum Talmùd per eun-
, dem Dñum. noſtrum datam & promulgatam; nec-
, non & quaſdam conſtitutiones vel ordinationes per
, præfatam Sanctitatem contra Iudæos factas & ordi-
, natas in generali Conſiſtorio mandavit publicari:
, quæ quidem ::: præfata die Lunæ & die Martis ſe-
, quenti publicatæ & recitatæ fuerunt ::: ſub hac forma:
, *Benedictus Epiſcopus Servus Servorum Dei* &c.

, Exiguum autem hoc tanti laboris atque operæ
, pretium cuivis meritò videri poſſet, niſi rei exitus
, copioſæ per Chriſtum redemtionis virtutem atque effi-
, cacitatem comprobâſſet. Tria fere Iudæorum millia
, poſt eam diſputationem Catholicam Fidem amplexata
, fuiſſe per gratiam illius qui potens eſt de induratis
, lapidibus ſuſcitare filios Iſrael, legimus in prælaudato
, Benedicti Brevi (3).

, In Actorum autem progreſſu nonnulla præter-
, ea obſervata à nobis fuere, hoc loco in Lectorum
, gratiam ſiſtenda,

, Fol. 47. pag. 2. *Perfecta dictâ diæta* (ſci-
, licet quæ die Mercurii primâ Martii habita fuerat)
, Divina gratiâ quæ illuminat omnem hominem ve-
, nientem in hunc mundum miſericorditer inſpirante
, in decem Iudæos notabiles, quinque videlicet de
, Aliama Montiſſoni, duos vero de Aliama Loci de
, Mora, unumque notabilem Studentem Talmudiſtam
, de Aliama Villæ Alcañicii (*qui*) à cunabulis de do-
, mo paterna ac Schola ſua continuè Talmút audien-
, do nunquam diſceſſerat: quendam etiam iuvenem de
, civitate Calataiubii ſe ipſam illuſtrative effudit; qui
, omnes pariter decem magna cum devotione magna-
, que cum humilitate genibuſque flexis ante ſcabellum
, pedum SSmi. Domini noſtræ Papæ proſtrati confeſſi
, ſunt dicentes unanimiter: *Evidenter enim videmus*
, *& clare cognoſcimus rationes Magiſtri Hierony-*
, *mi fore veras*, *& reſponſa Rabbinorum Iudæo-*
, *rum nullius penitus eſſe valoris. Ideo Sanctitati*
, *Veſtræ ::: ſupplicamus ac requirimus quatenus*
, *Veſtra Sanctitas benigniſſima nos faciat bapti-*
, *zari ut valeamus acquirere noſtrarum ſalutem*
, *animarum.* Quod Clementiſſimus Dominus noſter
, Papa pie ac diligenter attendens; viſaque devotio-
, ne ardentiſſima eorumdem, cum qua dicti decem
, pariter ad Fidem orthodoxam veniebant, honorificè
, ac ſolemniter fecit eos baptizari: quibus converſis
, laborantibus diligenter, uxores & eorumdem fami-
, liæ uſque ad numerum XXX. animarum & ultra
, in fonte baptiſmatis à lepra Iudaica fuerunt mundatæ.

Fol. 58. 'Eadem die XXV. Martii MCCCCXIII.
, venerunt aliqui Iudæi de Cæſarauguſta, de Turolio,
, &

(1) Hic fuit *Andreas Bertrandi Valentinus* ex Iudæo Chriſtianus in Hebraicis & Chaldaicis verſatiſſimus, Epiſcopus dein Barcinonenſis.

(2) Auctore Libri עקרים *Ikkarim*, ſive *Fundamentorum.*

(3) In codice noſtro. *Ultra tria millia hominum ad Fidem Catholicam converſa fuiſſe dicuntur*, (fol. 399. p. 2.) Odoricus autem Rainaldus Edit. Lucenſis Tom. VIII. ad ann. MCCCCXII. n. VIII. *quinque millia.*

nensem Eccleſiam, de literis autem meritum *De Sanctis* librum aſſignant; deceſſiſſeque aiunt anno huius ſæculi ſive decimo quinto ſive viceſimo. Conſtat Elnenſi Eccleſiæ præfuiſſe anno huius ſæculi ſexto (1).

52. VINCENTIUS ARIÆ (ARIAS noſtri eſferunt) DE BALBOA, ſive quod idem eſt VAL-BUENA, doctor iuris ſuo tempore clarus, archidiaconus in Toletana Eccleſia, domeſticus & à conſiliis fuit regiminis eximio viro Petro Tenorio, eiuſdem Primatis Eccleſiæ præſuli: in cuius elogio Vincentii noſtri Ferdinandus Perezius Guzmanus ad calcem *Hiſtoriæ Ioannis II.* Regis cum laude meminit; uti & Alphonſus Didaci à Montalvo in præfatione gloſſæ ad leges Fori regii, ſeu Fori legum Hiſpanarum, doctorem egregium appellans. Petrus quidem Tenorius vir fuit præſtanti doctrina Iuris, uti ſuo loco diximus, doctorumque hominum conſuetudine, quos ſecum habebat quibuſque in expediendis rebus utebatur, maximè gaudebat. Plures laudat iam dictus Guzmanus: nempe Gundiſalvum Epiſcopum Segovienſem *Peregrinæ* auctorem, Vincentium noſtrum, Ioannem de Illeſcas Seguntinum, & fratrem eius Burgenſem præſules, & Ioannem Alphonſum à Matrito iuriſconſultum maximum.

53. Placentinus antiſtes hic noſter fuit, non Palentinus, ut falsò legitur apud Montalvi gloſſam dicti *Fori legum*, & quidem ante annum MCDIV. ad eum honorem evectus, quod ex monumentis huius Eccleſiæ conſtat. Cum verò de ſucceſſione in Aragoniæ regnum à Martini obitu Ferdinandus Caſtellæ Infans Ioannis Regis patruus, anno ſæculi XII. iure acturus, conſilium doctorum quorumcumque virorum exquireret: coacto Hiſpali eorum cœtu, Vincentium Placentinum præſulem, ut ex Annalibus Suritæ lib. II. cap. 83. perſpicuum eſt, ante alios ſuffragatorem habuit: quibus ceteri ob eximiam doctrinæ auctoritatem facilè acquieverunt.

54. Memoriam ſui Epiſcopi, cum aliàs, tum in appellatione cuiuſdam Decimarum generis, quod *Rediezmos de Vicente Arias* vocant, Placentinos conſervare ait Guzmanus in Tenorii iam priùs laudato elogio. Deceſſit è vivis, ut ibidem legimus, Auguſto menſe anni MCDXIV. ſepulturæque locum (*delegit*) in eiuſdem Archiepiſcopi ſacello, quod intra pomœrium maximi templi eſt, marmorea eius effigie ornatum. Scripſit primus

55. *Ad Forum legum* (quod Alphonſum XI. aliàs X. Sapientem auctorem habet, diuque præcipuum Caſtellæ ac Legionis regnorum ius continuit) gloſſam vernaculo ſermone, quæ lucem nunquam vidit. Nec tantùm id compertum habemus ex Alphonſo Montalvo, qui in *Gloſſæ* ſuæ procemio ita ait: *Conſiderans quòd vir vitâ nobilis, ſermone ſcientiaque præclarus, Vincentius Ariæ, doctor egregius, Epiſcopus Placentinus* (ita legendum eſt) *ſuper hoc libro, qui* Forus legum *eſt, aliter* Forus Caſtellanus, *vulgariter appellatur, aliquod iam opus ſub brevi compendio deſudavit. Sed quia aliqua omiſit, quæ requiruntur explicanda*, &c. Immo *Gloſſa* ipſa manu exarata rei teſtis eſt, quam in Toletanæ Eccleſiæ bibliotheca adſervari, Ioannes Narbona in libello ſuo *De appellatione à vicario ad Epiſcopum* parte 2. fundam. 5. num. 19. ſcriptum reliquit. Sed & alium *Gloſſæ* huius codicem ferè eiuſdem cum auctore, quod è ſcriptura colligitur, temporis, contrectabamus, cùm de his commentaremur, nobis oſtenſum ab erudito viro D. Ioanne Luca Corteſio, criminalium rerum in curia & domo regia tunc XII. viro, poſtea Indiarum Conſilii regio ſenatore: à quo exſpectamus *De originibus Hiſpani iuris* libellum, huic operi adiungendum forte pro maiori eorum, quos frequenter laudamus, eiuſdem Hiſpani iuris tot diverſis compilationibus contenti, gloſſatorum, ſive interpretum cognitione (1).

(1) Nihil præterea de hoc Bartholomæo Anonymus Aurelianenſis Bibliothecæ Carmelitanæ 1752. editæ Auctor in eo, nimirum *T. I. pag.* 246. *col.* 1. niſi quod non à Gregorio Papa XII. neque à Benedicto (XIII. ut Noſter hoc loco) ſed à Clemente VII. in Epiſcoparum Helenenſem aſſumtus fuerit. *Excitato autem* (inquit) *perniciosiſſimo ſchiſmate Urbanum inter VI. & Clementem VII. huic cum ſuis Hiſpanis & Gallis adhæſit Bartholomæus noſter: qui poſt varia diſcrimina factus eſt Epiſcopus Elnenſis ſive Elenenſis in Catalonia, cum iam Avenionem ſe recipiens ibi teſtis fuiſſet examinatus in favorem Clementis VII. Sic enim* (pergit) *è Regiſtro Pontificio Romam Avenione tranſlato hauſit Illuſtriſs. Ioſeph Suarezius Epiſcopus Vaſionenſis* &c.

CAPUT II.

IACOBUS MAGNI *Auguſtinianus an noſter ſit non ſatis liquet.* ANONYMUS *auctor hiſtoriæ Ferdinandi I. Aragoniæ Regis.* PETRUS ALBERTUS *Barcinonenſis canonicus.* ANTONIUS TAJAL *Mercenariorum Generalis Præfectus.* ANDREAS *Cordubenſis medicus.* ALVARUS DE VILLASCUSA. S. VINCENTII FERRERII *geſtorum ſynopſis; & cuiuſnam ſint eius nomine vulgares ſermones; ac de aliis eius libris.* BENEDICTUS CRINIGANDUS, *ſeu* CRINIGRANDUS, *ordinis Prædicatorum,* & HIERONYMUS DE OCHON *Carmelitarum.* CLEMENS SANCII DE VERCIAL *archidiaconus de Valderas.* FERDINANDUS DE PAZOS *Mercenariorum ſodalis.*

56. IACOBUM MAGNI Auguſtinianum accenſeri frequenter Hiſpanis Scriptoribus potiùs novimus quàm probamus. *Sophologium* hic ſcripſit *De ſermone ſeu inquiſitione divinæ ſapientiæ*, Pariſiis editum à Gaſpare Philippo anno MDVI. in 4.° & Sereniſſimi ac Chriſtianiſſimi principis Cc2 Fran-

ADDENDI SUB INITIUM SÆCULI XV.

HVC refero *Ferdinandum Ioannis I. Caſtellæ Regis filium* Aragoniæ poſtea Regem, cuius ſcriptum: *Regla ò deviſa como Cofradía, que ordenò à honor de Nueſtra Señora de la Aſſumcion; y tomò ſu principio en Medina del Campo à XV. de Agoſto de MCCCCII.* Exſtat in Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit.* D. *Plut. III ſub n.* 25. (T. I. pag. 384.)::: ITEM *Petrum de Canalibus*, Antonii, Valerii Maximi interpretis, fratrem, ex Ordine Prædicatorum, qui ad annum MCCCCIV. ſcripſiſſe dicitur tractatum Hiſpanicum *Super antiphona Salve Regina, atque incerti argumenti alia* apud Vinc. Ximenum *Biblioth. Valent. T. I. pag.* 15. Diverſus eſt autem hic Petrus de Canalibus à cognomine Tarraconenſi Benedictino Cœnobii Sancti Cucufatis Vallenſis in Catalonia monacho itemque Scriptore, quode Noſter infrà *hoc libro cap.* 12. *n.* 707::: ITEM *Enecum de Vallterra*, equitem Valentinum, Gerundenſem primum ac Segobricenſem, mox Tarraconenſem Præſulem, cuius exſtant *Conſtitutiones Synodales Gerundenſes* incertum quo anno editæ; ac ternæ *Tarraconenſes Synodi Provinciales*, annis MCCCXCI. MCCCXCV. & MCCCCVI. celebratæ: apud eundem Ximenum *Biblioth. Valent. T. I. pag.* 16::: ITEM *Ioannem de Cuenca* Optenſem (*de Huête*) auctorem verſionis Hiſpanicæ operis Ioannis Goêr Angli cui titulus: *La Confeſſion del amante*, circa annum MCCCCIV. Habetur verſio in Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit.* G. *Plut. II. n.* 19. (T. II. p. 24.)::: ITEM *Michaelem Palomár* Archidiaconum Carthaginenſem eiuſque Diœceſeos Vicarium Generalem pro Paulo Epiſcopo apud Regiam Curiam agente, cuius ſunt *Conſtitutiones editæ in Synodo Carthaginenſi habita à die* XXIV. *Aprilis* MCCCCVI. atque ITEM *Gundiſalvum Martini* eiuſdem Eccleſiæ Cantorem & Vicarium Generalem auctorem *Conſtitutionum editarum in Synodo Carthaginenſi habita à die* XX. *Aprilis* MCCCCIX. ITEM *Nicolaum Epiſcopum Carthaginenſem, Conſtitutionum in Synodo Carthaginenſi* Murtiæ celebrata à die X. Maii anno MCCCCVIII. ITEM *Guillelmum eiuſdem Sedis Epiſcopum, & Ioannem de Befeteria Theſaurarium* aliarum itidem Conſtitutionum annis MCCCCVIII. MCCCCXV, MCCCCXVII. MCCCCXVIII. & MCCCCXX. in Synodalibus Comitiis editarum auctores: quæ omnia habentur in Eſcurialenſi codice *Lit.* l. *Plut.II. num.* 9. (T.III. p. 257. ſeqq.).. ITEM *Guillelmum Aventurér* (quod Catalanorum aut Valentinorum, certè Lemovicenſium proprium cognomen eſt) Medicinæ Doctorem Scriptoremque *Practicæ Medicinæ*, ſive *Antidotarii* in cuius fine legitur: *Expleta eſt practica Magiſtri Guillelmi Aventurerii in Medicina Profeſſoris extracta à principio Avicennæ uſque ad finem::: & G. Indiamidis::: & Rhaſis::: & Gilleberti::: & Alcaphaqui, ſecundùm quod eam audivit Petrus Sillemont Medicinæ ſtudens Bononiæ MCCCCVII.* In Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit.* O. *Plut. II. n.* 16. (T. III. p. 112.)::: ITEM *Ioannem Gundiſalvi* Canonicum Hiſpalenſem, Doctorem Sacri Palatii cauſarum Auditorem & *unum* (inquit Ioannes Dominicus Manſius in *Not. ad Fabricii Biblioth. med. & inf. T. III. pag.*754.) *de Regentibus Artium Iuris Canonici Cathedram in Univerſitate Salmantina, qui in vivis agebat tempore Concilii Piſani anno MCCCCIX. celebrati, auctorem Tractatus:* Contra duos Pontifices de Papatu inter ſe contendentes. Ad Patres Concilii Piſani.

Francorum Regis Confessori Episcopo Altisiodorensi dicatum ab auctore.

57. Item *Librum bonorum morum. Annotationes in omnes sacros libros. In Aristotelem* De anima *quæstiones. Compendium utriusque philosophiæ*, aliaque, Pamphilo, Stellartio, Elsio testibus, Augustinianorum historicis.

58. Et quidem ut non Hispanus sed Gallus fuerit Iacobus, facit quòd Altisiodorensi Episcopo, ut ex nuncupatione *Sophologii* patet, obnoxius: quòd Carolo VII. Gallorum Regi à ministerio confessionum sacramentalium, indeque Burdigalensis antistes electus, recusato tamen munere, Gallos inter, vixerit. Tolosanum credunt qui Gallis favent; sed Hispanum, & Toletanum, non Hispani modo [y], sed & exteri affirmant; nempe Ioannes Trithemius [z], Iacobus Philippus Bergomensis [a], Xystus Senensis [b], Antonius Possevinus [c], Lucius Marinæus Siculus [d], Conradus Gesnerus [e]; Gallus quoque Gabriel Lurbæus, qui in *Chronico Burdigalensi* confectum à se dedit catalogum eius urbis Episcoporum, notavitque *Iacobum de Eubio Toletanum cognomento Magnum Carolo VII. Regi à confessionibus auctorem* Sophologii *ordinis Eremitarum S. Augustini, in literis sacris versatissimum, postulatum fuisse ad infulas MCDXV. sed recusâsse*. Quæ verba ex Lurbæo sunt San-marthanorum fratrum in *Galliæ Christianæ* Burdigalensibus Episcopis. Necnon Renatus Chopinus lib. 1. *Monastic.* titulo 3. num. 14. Hispanum & Toletanum facit, *Sophologium* vocans *sapientiæ exquirendæ per accomodum* opus. Iosephus item Pamphilus in *Chronicis Augustiniani ordinis Iacobum Magnum de Eubio dictum Toletanum* laudat [f].

59. Nihilominus, cùm ex *Sophologii* opere iam laudato nihil pro Hispanis natalibus deducere possimus; cognomenta quoque, sive *Eubii* sive *Magni* haud nostra videantur, perpetuaque auctoris commoratio, ac munera gesta Gallicana sint: non temerè suspicamur inter Trithemii aut Bergomensis sphalmata haberi posse, quòd Toletanum, pro Tolosano Iacobum credederint, ac recentiores deceperint: quòd & docto viro arridet ex eiusdem familia, atque eius chronographo, Thomæ ab Herrera in *Alphabeto Augustiniano* [g]; & iterum in *Salmantinæ domus Augustinianorum historia* [h].

60. Sive Parisiensis fuerit, quod significatur antiquissima, & forsan prima *Sophologii* editione, quam habet Matriti amicus noster D. Ioannes Lucas Cortesius cum hac in fine notula: *Sophilegium editum à fratre Iacobo Magni de Parisius, ordinis Eremitarum S. Augustini, finit feliciter*, sine loco editionis (1).

61. ANONYMUS quidem huc loci pertinet, qui Ferdinandi I. Aragoniæ Regis res in commentaria retulit, quem in schedis habere se, in *Salmantinæ Ecclesiæ theatro* Ægidius Gonzalez Davila reliquit scriptum. Hic etenim Ferdinandus, ut in præloquio huius libri annotavimus, anno huius sæculi decimo sexto in vivis esse desiit. Nec si quis dicat historiam hanc esse illam, quæ auctorem habuit Laurentium Vallam, è Latino in sermonem Hispanum ab aliquo translatam, valdè resistam: aut si Ludovicus Pansanus sit, de quo nos infrà, ex eodem Ægidio. Exstabat ea olim in Bibliotheca Olivarensi D. Gasparis de Guzman Comitis Ducis de San-Lucar (2).

62. PETRUS ALBERTUS Catalanus, Barcinonensis canonicus, eiusdem Ferdinandi Regis tempore scripsit de municipali Cataloniæ Iure aliqua. *Commemorationes* appellavit Ioannes de Socarrats, qui ad eas commentaria elucubravit, ut in hoc dicemus (3).

63. ANTONIUS TAJAL Catalanus, Tarraconensis, Mercenariorum sodalium Deiparæ Virginis Generalis Præfectus, anno sæculi XVII. Constantiæ obiit in Germania, dum Concilium ibi œcumenicum pro danda Ecclesiæ pace, faciendaque summi Pontificis electione celebraretur. Electus hic anno MCDVI. è Barcinonensis Domûs in totius ordinis Præfectum: quibus aptum sese gerendis muneribus Salmanticæ professor philosophus atque theologus olim ostenderat, Martini Regis nomine Catharinam Henrici Castellæ Regis III. anno septimo defuncti viduam eo destinatus Christiana allocutione solatus est.

64. Post aliquot annos, cùm inter Sigismundum Imperatorem Ferdinandumque Ara-

[y] Romanus in *Chron. ord. Aug.* cen. 10. fol. 62. Ægidius Gonzalez Davila *Vida del R. D. Henrique III.* cap. 53.

[z] *De Script. Eccles.*

[a] In *supplem. Chron.* ad ann. MCDVI.

[b] In *Bibliothecæ* lib. 4.

[c] In *Apparatu.*

[d] *De laudibus Hispaniæ* lib. 6.

[e] In *Epitome Bibliothecæ.*

[f] Sub *Petro de Vena* Generali fol. 72.

[g] Tomo pag. 420.

[h] Cap. 2. pag. 190.

(1) Ioannes Albertus Fabricius *Biblioth. med. & inf. T. IV. pag.* 13. & Ioannes Dominicus Mansi in Not. *Tolosanum* volunt, Nostrum laudantes.

(2) In eius Bibliothecæ catalogo pag. 174. exstat hoc titulo: *Anonymi Chronica del Rei Don Fernando el primero. Fol. C.* 17.

(3) Habentur huius Alberti *Constitutiones feudales, & Usatici ac Consuetudines Cataloniæ* in Bibliotheca Escurialensi *Lit. Z. Plut. I. sub num.* 4. (T. II. p. 275.) ::: Item *Pragmaticæ sanctiones* complurium Aragoniæ Regum; &: *Stilus Curiæ Archiepiscopatus Tarraconensis tam in temporalibus quam in spiritualibus* Latino & Lemosino sermone, in eiusdem Regiæ Bibliothecæ optimæ notæ codice chartaceo anno MCCCCXXX. exarato *Lit. Z. Plut. II. n.* 10. (T. II. p. 224.) Vid. de eo Franckenavius *Sacr. Themid. Hisp. arc. sect. IX. num. XIX. p.* 208.

Aragoniæ Regem convenisset, ut communibus officiis Benedictum ad renuntiationem summi Pontificatus adigerent, atque ipse Sigismundus Perpinianum usque rei causâ accessisset: Antonius dicitur cum Benedicto sæpiùs, quantumvis frustrà, Ferdinandi iussu convenisse. Delegatus tandem ab eodem Rege unà cum Ioanne Raymundo Folchio Cardonæ Comite, Philippo Malla concionatorum illius ævi maximo, Gundisalvo Garsia de Sancta Maria Pauli Burgensis præsulis filio, & aliis, venit Constantiam, ibique rem Ecclesiæ ac principis, cuius gerebat vices, strenuè procuravit. Quin tamen eam ad exitum perductam videre posset ante absolutum Concilium electione Martini V. anno decimo septimo vitâ functus fuit; sepultusque in Petro Martyri sacra Dominicanorum domo eiusdem urbis: cuius corpus ad nostram usque ætatem incorruptum, non sine Constantiensium civium veneratione asservari, domestici aiunt Scriptores. Legationis quidem ad Concilium ab eo obitæ, atque mortis eius præterea meminit Hieronymus Surita lib. 12. *Annal. Aragon.* cap. 63. & 66.

65. Quatuor autem integris voluminibus comprehensum ab eo fertur quicquid *Circa unitatem Ecclesiæ, capitisque eius ac sponsi Iesu Christi præstantiam, obsequioque Vicario eius deferendo*, in literas retulit. Necnon & scripsisse dicitur *Rosam ad auroram*, seu de Mariæ Deiparæ conceptione intemerata; itemque *De institutione novitiorum*. Multi sunt Mercenariorum Historici in laudandis eiusdem Tajalis (quem Surita *Caxàl* vocavit, nisi non eius error sit) virtutum Christianarum, ingenii, prudentiæ, atque omnimodæ literaturæ dotibus.

66. Hoc eodem anno MCDXVII. ad superos abiit Gregorius XII. Papa, qui ante biennium solemni Pontificatus Romani facta in manibus Constantiensium PP. per procuratorem suum renuntiatione, viam Martini V. electioni, finique teterrimi schismatis straverat. Huius forsan medicus fuit ANDREAS CORDUBENSIS cuius *consilium* quoddam ad summum Pontificem Gregorium, qui renum dolore vexabatur, laudatum reperies in libello *De imaginibus astrologicis* Hieronymi Torrellæ medici Valentini, de quo ad finem huius sæculi agemus.

67. Sequenti MCDXVIII. ALVARUS DE VILLASCUSA, *baccalaureus* vocatus, dum Salmanticæ operam literis daret, Rabbi Samuelis *De Fide* ad R. Isaacum epistolam, quam ex Hebraico in Latinum Alphonsus Bon-hominis converterat, in Hispanum ipse, ut Ioanni à Villa-forti eiusdem urbis equiti morem gereret, vertisse dicitur. Rei auctor est Hieronymus Romanus de la Higuera in *Toletanæ urbis & regni historia* MS. (1)

68. Eiusdem anni, aut sequentis, quinta dies Aprilis Christiano eripuit orbi VINCENTIUM FERRERIUM Valentinum, ex urbe regni huius regia Dominicanorum ordinis magnum incrementum: qui ob sanctissimè actam, & portentosis miraculis clarissimam vitam, reductamque in concionibus per Hispaniam, Galliam, Belgium, Angliam, Scotiam, Hiberniam, Italiamque, Apostolico ritu habitis innumeram hominum, quâ Hebræorum & Saracenorum ad Christi gregem, quâ Christianorum à bona mente deerrantium, ad viam salutis multitudinem; coronatumque peregrinationis agonem felicissimæ in Deo mortis palmâ; confirmatam demum innumeris mirabilium signorum attestationibus beatissimæ eius animæ ad superos translationem, Calistus Papa III. in Sanctorum numerum, quos invocare ritè possumus, huius sæculi quinto anno super quinquagesimum retulit; literas tamen Pontificias eius apotheoseos testes Pius II. anno MCDLVIII. publicavit.

69. Natus Vincentius ex quorumdam opinione anno circiter MCCCXL. ex aliorum non ante annum MCCCLVIII. ex nostra post annum saltem MCCCLII. ut ex epistola eius ad Benedictum Papam liquidò constat; & ad Prædicatorum ordinem decimo octavo ætatis admissus: opere vir potens atque sermone, prophetici spiritus, mortuorum suscitator, nulliusque virtutis non dives affatim, novusque sui temporis Apostolus, in Britanniæ Armonicæ Venetica urbe, vulgo *Vannes*, diem suum obiit.

70. Hic, cùm ob Martini Aragoniæ Regis mortem absque ulla prole, in novem electores futuri Regis conventum fuissent: pro Valentino regno S. Vincentius noster, & cum eo Bonifacius eius germanus frater Carthusianorum Prior Generalis, tertiusque alius delecti, Ferdinando Castellæ Infanti potiore aliis iure regnum competere declaraverunt. Præterea Bene-di-

(1) Meminerat Noster huius Interpretis operisque ab eo ex Hebraico in Latinum sermonem conversi, suprà *Lib. VII. cap* 1. *num.* 8. quam versionem MStam. alicubi se vidisse ait. Nos editam in Bibliotheca Sereniss. olim Hispaniarum Infantis Ludovici Caroli III. Regis germani fratris exstitisse ibidem, atque item *Lib. IX. cap. V. n.* 250. diximus.

dictum Papam XIII. dum causam suam modestè agens tueretur olim secutus, præfractè atque obstinatè impedientem Ecclesiæ concordiam, surdaque renuntiationi obnitentem aure, palàm inde aversatus fuit, & ad Constantiæ magnæ Synodi iudicium se totum convertit. Ingentia hæc duo rerum ab eo gestarum capita ea propter attigimus, quòd relinquere aliis earum enarratoribus singula quæque referenda magis opportunum nobis videtur.

71. Plures enim Vincentius historicos sortitus est, qui consuli possunt. Petrus scilicet Ranzanus Siculus Lucerinus Episcopus, quem Surius olim, recenter autem Antuerpienses *De Actis Sanctorum* Scriptores dedere: Salvus Casseta Panormitanus Dominicanorum Generalis præfectus, Franciscus Castellionensis S. Laurentii Florentiæ urbis canonicus, S. Antoninus eiusdem Archiepiscopus, ferè æquales, Io. Antonius Flaminius Forocornelienſis, aliique: ex Hispanis Ioannes Marieta [i], Vincentius Iustinianus Antistius, Franciscus Diago, Ioannes Lopez Monopolitanus antistes, & alii: quos omnes, tam apud eosdem *De Actis Sanctorum* doctissimos Commentatores, quàm apud Ioannem Tamaium nostri *Martyrologii Hispani* Aprilis quinta die laudatos novimus. Præseferunt eius nomen, quibus maximè promovetur pietas, ascetica hæc:

[i] Lib. 12. *De SS. Hispaniæ.*

72. *Sermones*, tribus tomis comprehensi, quorum duo sunt *De tempore*, scilicet partes hyemalis, & æstiva; tertius *De Sanctis*. Prodierunt Lugduni anno MDXXX. in 8.° & MDXXXIX. & ex officina Iacobi Iuntæ MDL. in 4.° Antuerpiæ ex Philippi Nutii MDLXIX. Venetiisque ex recognitione Damiani Diazii Dominicani, typis Bartholomæi Rubini MDLXXIII. in 8.° Moguntiæque MDCXXI. Tandem Coloniæ MDCLXXV. tribus tomis in 8.° apud Ioannem Guilielmum Friessem. Suspicari utique possemus horum sermonum in unum collectione promisso se exsolvisse Vincentium Infanti Martino, deinde Regi, olim facto, de compingendo ac nuncupando ei concionum à se habitarum volumine: nisi vulgaris esset persuasio, doctrinam quidem sanctissimi concionatoris continere hos Sermones, minimè autem concepta verba; discipulorum enim eius, qui exceptorum loco essent, ea certò haberi debere; cùm & Vincentium ipsum in iisdem Sermonibus non semel laudatum offendas. Cùm enim is ubique, sive Anglis, sive Gallis, sive Italis sermonem haberet Valentinâ hoc est vernaculâ suæ gentis linguâ, quam omnes tamen certissimo miraculo caperent, uteretur, quod ex Petro Ranzano Vitæ auctore constat [k]: haud potuere iidem Sermones vernaculè concipi, & pronuntiari, Latinoque apparere eâdem occupatissimi hominis operâ, & qui extemporalia atque inspirata potiùs quàm meditata plerumque ad populum diceret.

[k] Lib. 2. cap. 3. §. 14.

73. Quare credendum est de his Sermonibus eundem Ranzanum loqui, dum, *Ne autem perirent ea* (inquit) *quæ de tanti viri ore emanabant: movit Deus animos nonnullorum ex auditoribus eius, ut quæ ipse prædicabat, utcumque possent conscriberent. Itaque composuerunt ex eis complura volumina, quorum aliqua sunt multis in locis divulgata, ex quibus nostri temporis concionatores multum utilitatis accipiunt. Sunt tamen multi* (adiungit idem) *qui & eum prædicantem audierunt, & nunc legunt* Sermones, *quos ipse suo tempore prædicabat, in scripta redactos; asserunt quòd vix consequuntur umbram eorum, quæ ipse suo ore resonabat.*

74. Coloniæ scimus prodiisse tomum quendam *Sermonum* hoc titulo insignem: *S. Vincentii Ferrerii tuba extremum resonans iudicii diem, sive conciones de Rosario*, apud Io. Guil. Friessem MDCLXXV. in 4.° Perusii quoque servari codicem sermonum nondum editorum eiusdem Sancti propriâ eius manu exaratum, iccircoque magna veneratione in sacristia Dominicanorum domûs cum aliis reliquiis habitum, quem ibi reliquit Leonardus Mansuetus eiusdem ordinis Magister Generalis Perusinus, refert Seraphinus Razzius *De viris illustribus Dominicanis* [l].

[l] Pag. 245. editionis Lucensis MDCCVI.

75. Eius magis certè sunt quæ sequuntur opuscula, quæ quidem Vincentius Iustinianus Antistius Hispanus Vitæ S. Vincentii Scriptor collegit, scholiisque explicata Valentiæ apud Petrum Patritium Mey anno MDXCI. publicavit. Hæc sunt:

I. *Tractatus De vita spirituali.* Quem cum SS. Augustini & Bernardi *Meditationibus* alicubi; solum, Venetiis anno MD. prodiisse audimus. At Franciscus Ximenius Cardinalis Toletanus in linguam Hispanam conversum typis edi curavit, quod Valentiæ factum dicitur. Tria is capita continet. 1. *De paupertate.* 2. *De taciturnitate.* 3. *De obedientia.* Incipit: *Ponam in hoc tractatu.*

76. II. *Tractatus consolationis in Fidei tentationibus.* Servabatur antiquis characteribus, partim in membrana, partim in charta, apud Carthusianos Scalæ-Dei Tarraconensis diœcesis, descriptus, ut ex titulo apparet, ante solemnem sanctitatis eiusdem declarationem; *Magistri* etenim *Vincentii Ferrerii* esse dicitur.

III. *Epi-*

stola ad Benedictum Papam, ex oppido *Alcañiz* regni Aragoniæ XXVII. Iulii MCDVII. directa, quâ reddit ei rationem uti supremo Christi vicario, prædicationis suæ de Anti-christi adventu. Inventa est in domo Carthusianorum Vallis-Christi Segobricensis diœcesis, manu Andreæ Martini S. Vincentii discipuli: qui susceptо ibi ordinis cucullo hanc in eo monasterio reliquit. In Hispanum sermonem convertit, atque in sua Hispaniæ *Historia Ecclesiastica* [m] Ioannes Marieta edidit.

[m] Lib. 11. c. 23.

78. IV. *Epistola* alia *ad Ioannem de Podio-nucis ordinis sui Generalem Præfectum* data Genevæ XVII. Decembris MCDIII. Hispanam fecit atque edidit idem Ioannes Marieta [n]. Comparuit ea quidem propria auctoris manu exarata in urbis Cataniæ cœnobio S. Mariæ maioris: ubi eam posuit idem Ioannes de Podio-nucis, cùm ex Præfecto Generali creatus fuisset à Martino V. Papa Catanensis antistes. Ex qua quidem epistola constat de conversione hæreticorum quamplurium in Sabaudiæ & Italiæ confiniis.

[n] Lib. 11. c. 24.

79. V. Fragmentum *Epistolæ ad Bonifacium fratrem Carthusianorum Generalem Priorem.* Autographum sanè, at præ vetustate lacerum iam & exesum, habetur in Portæcæli Carthusiano (*Valentini Regni*) monasterio.

80. VI. Fragmentum *Epistolæ ad Ioannem Gersonem cancellarium Parisiensem.* Habetur in huius operum 1. parte tract. 22. lit. E.

81. VII. *Epistolæ duæ ad Infantem Martinum* Petri IV. Aragoniæ Regis filium, deinde Regem, idiomate Lemovicensi, hoc est patrio Valentini regni, qui tunc in usu. Sed Latinè reddidit, ut cum superioribus simul ederet, Vincentius idem Iustinianus Antistius.

82. VIII. *Epistola ad Ferdinandum Castellæ Infantem*, primumque huius nominis Aragoniæ Regem, quam ad eundem Iustinianum remisit Ferdinandus de Castello, magnus ille Dominicanorum chronographus. Præter hæc in eodem volumine edita ab eo S. Vincentii opuscula & epistolas, Hispanam & hanc publicavit Marieta [o].

[o] Dict. lib. 11. cap. 21.

83. IX. *De fine mundi.* In quo agitur, primò de casu sive ruina Ecclesiasticæ dignitatis; præterea de impugnatione sanctæ Catholicæ Fidei; denique de duplici adventu Anti-christi, videlicet puro & misto. Editum sane opus Neapoli, quod & exstabat in bibliotheca sancti Severini: idem quod Antonius Senensis refert.

Fecerat olim dum docendæ philosophiæ operam daret,

84. X. *Suppositionum* librum.

Servatur item in cœnobio ordinis Pisarum urbis volumen grande eius effigie signatum, quod ita possumus indigitare:

85. XI. *Biblia, seu Promtuarium*, scilicet *locorum sacræ Scripturæ singulis diebus, sive de Tempore, sive de Sanctis usurpandorum.* Cuius initio affixa hæc legitur nota: *Hanc Bibliam inspirante Domino mihi Fr. Antonio de Auria reliquit beatissimus pater F. Vincentius.*

86. XII. *Liber de sacrificio Missæ, atque eius cæremoniis*, lingua Lemovicensi seu vernacula, teste Marieta.

87. In codice Vaticanæ bibliothecæ MS. num. 1043. fol. 246. sic legimus: *Incipit tractatus novus & valdè compendiosus contra perfidiam Iudæorum. Fuit editus & compilatus iussu Benedicti Papæ sic in sua obedientia dicti per quatuor famosos magistros in sacra theologia, quorum unus fuit Fr. Vincentius Ferrerius.* Incipit: *Prophetam suscitabo eis*, &c. In fine notatur: *Scripsit manu propria Fr. Ferdinandus Hispalensis Minor anno Domini MCDXL.*

88. *Sermones* item *S. Vincentii Ferrerii, distinctiones, & expositio præceptorum decalogi.* Lugduni MDXXIII. in 4.° edita exstant in Ecclesia Hispalensi.

89. Sepulcrum Apostolici viri magna religione in sua Venetensi urbe Britannia colit Gallica: in cuius principe Ecclesia olim sanctum corpus humo conditum, anno MCDLVI. scilicet post Callisti declarationem altero, in superiorem locum elevatum aliquando diu latuit, usque ad annum MDCXXXVII. quo honorificentiori quàm hactenus fuerat, conditæ sunt reliquiæ eius, quæ reperiri & coagmentari potuêre, capsâ argenteâ, & marmoreo tumulo in sacello à tergo maioris capellæ ædificato, uti lectiones huius translationis referunt, quæ Septembris VI. die celebratur. Rei testes etiam sunt Venetensis Episcopus illius temporis in epistola quam cum his lectionibus in *Actis Sanctorum* Henschenii & sociorum editam reperies [p]; atque insuper Petrus Lezin in *Vita venerabilis patris Fr. Philippi Thibaut Carmelitæ* [q] Gallicè edita (1).

[p] 1. Tomo April. pag. 526.

[q] Edit. Parisien. anno MDCLXXIII. in 12. cap. 26.

Ce-

(1) De Sancti Vincentii Ferrarii scriptis præstat silere quam pauca loqui, aut aliorum dicta recoquere. Videndus Vinc. Ximenus *Biblioth. Valent. T. I. à pag.* 24. qui minutiora alia eiusdem S. Doctoris opuscula undeunde corrasit.

90. Celebratur à Dominicanis per hoc idem tempus familiæ huius sodalis ex Aragoniæ regno BENEDICTUS CRINIGANDUS, seu CRINIGRANDUS, sacræ theologiæ magister Parisiensis, quem aiunt *In quatuor Sententiarum libros* scripsisse, Ioannes Marieta lib. 14. *Histor. Ecclesiasticæ*, sive *De Sanctis Hispaniæ*, Alphonsus Fernandez *De Scriptor. ord. Prædicatorum*, Antonius Possevinus in *Apparatu* (1).

91. Eiusdem Benedicti XIII. Papæ minister fuisse dicitur à confessionibus sacramentalibus, atque Helenensis Ecclesiæ præsul, anno MCDXX. HIERONYMUS DE OCON (ita enim Catalani efferunt, pro eo quod communiter audit OCHON, sive OCHUS) Carmelitarum cœnobii Perpinianensis, ex qua urbe fortasse fuit, sodalis, sacræque theologiæ doctor, moribus & scientiâ spectabilis, qui *In libros Machabæorum* eruditè scripsit.

92. Eidem *Acta* eiusdem *Papæ Benedicti XIII.* attributa novimus ab Emmanuele Romano in *Elucidationibus Carmeli*, & à Ludovico Iacobo à S. Carolo *Bibliothecæ Pontificiæ* [r] auctore. Et tamen *Acta* hæc, sive *De vita & moribus Benedicti XIII.* alterius Hieronymi Ochi esse, Navarri Pampilonensis, eiusdem ordinis Carmelitarum, Benedicto admodum cari, & in pretio habiti, ob insignem doctrinam & in rebus gerendis prudentiam dexteritatemque, Martinum Carrillum affirmâsse in suo *De vita S. Valerii Cæsaraugustani Episcopi* libello cap. 13. alicubi fingitur; cùm in dicto Carrilli loco nulla alia quàm Hieronymi Oconis Carmelitæ, Benedicti à confessionibus, *Actorum* eius auctoris, mentio fiat. Deest hic Helenensis Episcopus in San-marthanorum *Galliæ Christianæ catalogo*, aliàs parùm correcto (2).

93. CLEMENS SANCII DE VERCIAL Iuris legum, uti audit, baccalaureus, archidiaconus de *Valderas* in Legionensi Ecclesia, scripsit *Sacramentale* opus (vulgari an Latinâ linguâ non facilè dixerim): quod se inchoâsse in urbe Segontina tertia die Augusti anni MCDXXI. & in Legionensi exeunte Martio anni MCDXXIII. absolvisse, auctor ipse ait. In Escorialensi bibliotheca Regia antiquo charactere scriptum asservari *El Sacramental de Clemente Sanchez arcediano de Valderas*, fama est (3). Id opus in Lusitanum sermonem ut loco Catechismi esset fidelibus suæ diœcesis, Henricus Portugalliæ Infans, & Archiepiscopus tunc Bracarensis, atque aliquando eiusdem regni Rex, verti ac typis Bracaræ anno MDXXXIX. edi curavit, uti referunt Rodericus da Cunha in *Hist. Ecclesiæ Bracarensis*, & Antonius Macedo in *Lusitania purpurata* [s]. [s] Pag. 261.

94. Habet insuper eadem regia bibliotheca Escorialensis eiusdem auctoris alium librum: *Suma de exemplos del Arcediano de Valderas*, in folio antiquis literis scriptum (4).

95. FERDINANDUS DE PAZOS Lusitanus ex instituto Mercenariorum B. Virginis sub Antonio Taxal Præfecto Generali, quem diximus anno MCDXVII. Constantiæ Alemannorum decessisse, duabus redemtionibus Castellæ & Portugalliæ provinciarum ducenta quadraginta quatuor servorum Christianorum capita è Maurorum potestate, iuxta morem ordinis sui, propriorum redituum designata portione, piorumque eleemosynis, liberavit.

96. Eidem tribuitur liber *De primatu Romanæ Ecclesiæ*, quem scripsisse aiunt domestici; ac tunc maximè floruisse circa annum MCDXXIV. Sed quod adiungunt, sub Eugenio IV. Papa, non bene convenit cum huius tempore, quippe non ante annum MCDXXXI. creatus fuit in Christi vicarium. Nisi emendandum sit, MCDXXXIV. Rei auctores habeo Alphonsum de Roxas in *Catalogo virorum illustrium ordinis* sui *Mercenariorum*, ac Petrum de S. Cæcilio in tractatu, quem MS. vidimus, *De Scriptoribus eiusdem ordinis* (1).

[r] Pag. 338. edit. Lugduni MDCXLIII.

(1) Nihil præterea Quetifus & Echardus in eo, nimirum *T. I. pag.* 771. nisi quod nonnulli eundem solido sæculo recentiorem faciunt, ad annum MCCCXVI. referentes.

(2) Anonymus Aurelianensis Bibliothecæ Carmeliticæ 1752. auctor totidem atque ipsis verbis hoc loco Nostrum describit, nihil addens præterea.

(3) Huius Clementis Sancii *Sacramentale*, sive *Catechismus Parochorum*, Hispanicè primùm scriptum fuit; exstatque in Escurialensi Bibliotheca inter libros quorum lectio promiscue interdicta est *num.* 14. iisdem ipsis notionibus quas Noster hoc loco adducit. In Regia item Bibliotheca Matritensi habetur alterum eius operis exemplum chartaceum circa annum ut videtur MCCCCXX. exaratum absque titulo; in cuius tamen prologo legitur: *Et por quanto por nuestros pecados en el tiempo de agora muchos Sacerdotes que son Curas de animas no solamente son ignorantes para instruir y enseñar las cosas que pertenescen à nuestra salvacion ::: E por ende Yo Climen Sanches* (non addit *de Berceal*, quod ei cognomen à patria fortassis inditum fuit) *Arcediano de Valderas en la Iglesia de Leon maguer pecador indigno propuse de trabajar de facer una breve colacion de las cosas que necesarias son à los Sacerdotes que han curas de animas confiado en la misericordia de Dios* &c. Editum Hispali XXVIII. Maii MCCCCLXXVIII. apud Magistros Antonium Martinez, Bartholomæum Seguram & Alfonsum del Puerto *fol.* exstat penes Cl. Antonium Taviram, ex equestri Sancti Iacobi Ordine, Regium Ecclesiastam, Regiique Uclensis Conventûs Priorem, amicum in paucis nostrum.

(4) Frustra fui in exquirendo hoc *Summæ exemplorum* codice in Indicibus meis Escurialensibus.

CAPUT III.

PETRUS DE LUNA, *seu* BENEDICTUS XIII. *Antipapa. Eius libri inediti in Vaticana bibliotheca, & alibi. Vitæ eius Scriptor* LUDOVICUS PANSANUS. D. PETRUS GARZES DE CARIÑENA *Scriptor sub Benedicto XIII.* De familia de Luna. BERENGARIUS DE MONTRAVÂ *iurisconsultus Catalanus.* GUTERIUS DIDACI DE GAMEZ. ALPHONSUS CHIRINO, *seu* DE GUADALAXARA, *Ioannis II. Castellæ Regis medicus.* SANCIUS PORTA *Dominicanus, S. Palatii Apostolici Magister.* BONIFACIUS FERRERIUS *Carthusianus.* SANCIUS DE BESARAN *Dominicanus.* RAYMUNDUS SABUNDE *quinam homo fuerit ignorat. Biblioth. vet. Hisp.* Tom. II.

97. PETRUS quoque DE LUNA, idemque BENEDICTUS XIII. Papa Romanus, aliquod meritum erga literas habet, quo Scriptoribus annumeretur. Ex

(1) ADDENDI A SÆCULI XV. INITIIS AD ANNUM CIRCITER MCCCCXX.

Magister Didacus del Covo, Medico-Chirurgus, cuius in Regia Bibliotheca Matritensi exstat metricum opus Hispanicè inscriptum: *El segundo tratado en la Cirugia Rimada, que conpuso Maestre Diego el Covo Medico è Cirugiano: el qual tratado es de las apostemas, segund huniversal è particular fablamiento. Et el su prologo general comenzando por Rima es aqueste que se sigue:*

Despues del loor de Dios por loamiento
Por mi fecho sin numero è sin acabamiento,
Aqui comienza en las apostemas tratar
En quanto pudiere la mi fuerza bastar

Pergitque eodem metri sive rhythmi genere usque ad folium 82. in cuius priore pagina habetur operis epilogus, atque anni quo scriptum fuit nota, scilicet:

En veynte dias de Mayo fue el fenescimiento
Año de mill & quatrocientos & doze del nascimiento
De nuestro Salvador Jesu Christo & Señor del mundo
para alcançar este presente & el segundo:
Reinant la muy Catolica criatura
Don Johan (II) *que Dios cunpla de gracia & de buenaventura.*

Videtur autem Auctor priorem de eodem argumento tractationem pridem absolvisse, cuius fatum ignoratur. ITEM *Narcissus à Sancto Dionysio* I. V. D. Canonicus Barcinonensis, cuius nos supra *Lib. IX. c. IV. num.* 240. *in Not.* inter Usaticorum Barcinonensium Glossatores meminimus; quique ab anno MCCCCXII ad XVI. Lemosino sermone scripsit: *Compendi de les Constitucions de Catalunya*: quod ter repetitum exstat in Bibliotheca Escurialensi *Lit. Z. Plut. II. nn.* 11. 12. 13. (T. II. p. 224.) Noster infrà inter incertæ ætatis Scriptores *Lit.* N. hunc Narcissum collocat; constat autem ab anno MCCCCXII. ad XVI. floruisse; laudat enim in operis prologo ut superstitem Ferdinandum primum Ioannis I. Castellæ Regis filium Aragoniæ Regem, quem constat anno MCCCCXVI. diem suum obiisse ::: ITEM *Ioannes Senex Toletanus* (Maestre Iohan el Viejo de Toledo) *Ex-Iudæus*, cuius in Regia Bibliotheca Matritensi exstat opus hoc titulo: *Este libro fizo el Sabio Maestre Iohan el Viejo de Toledo que es sacado de toda la Biblia aprobada por todos los Profetas que profetizaron como fue venido el Rey Mexias que es el nuestro Salvador Jesu Christo; & como los Judios cegaron & non lo vieron, nin lo quisieron conoscer nin creer, ni hoy en dia lo creen, por donde son perdidos & condempnados sus cuerpos & sus almas ::: Essomesmo, se prueba por este libro como Santa Maria es su Madre de Jesu Christo, è fue virgo ante del parto, è en el parto, è despues del parto: lo qual los Judios niegan* &c. moxque in Prologo: *Et por ende dixo nuestro Señor: Otearán à mi el qual punçaron (Et aspicient ad me quem transfixerunt*, Zachar. XII. v. 10. qui locus maxime inter Christianos & Iudæos controversus est). *E Yo Maestre Joan el Viejo veyendome que estò en la edad postrimera que dijo David esto en el Salmo: nuestros años son setenta & quando mucho ochenta: pensè de otear continuadamente en nuestro Señor Jesu Christo, & espender este poco de tiempo que me fincò segun mi edad, en declamar como fallo* (las profecias) *conplidas en èl. E maguera que esta cosa ya clara es è manifiesta como el Sol: Yo por quanto era oveja fuera del corral. è èl por la su sancta merced me llamò à la su santa Fee Catolica. tòmo gozo en trabajar è espender mi seso en fazer à mi è à mis fijos un memorial de las cosas que atañen à nuestro Señor Jesus è à la su santa Fee. Cà en fablando de su santa Fee,* otéo en èl. *por lo qual hè fuzia en èl, que por la su santa passion averè en el su santo regno* &c. In operis autem processu ætatem qua scripsit sæpius indicat, nimirum annum Christi MCCCCXVI. Meminit disputationis Hieronymi de Sancta Fide Dertosæ triennio antè cum Iudæis, præcipuè Catalanis & Aragonensibus habitæ, & nonnullorum Hebræi nominis Scriptorum, nimirum *R. Sahadiæ: R. Mosis Nachmanidis: R. Ionathanis Ben Uziel: R. Abrahам Abenazin: R. Salomonis Abenjubayzòl: R. Mosis Maimonidis: R. Davidis Kimchi: R. Akibæ: Rabbiæ* (sic) *Alfonsi* (Petri) Ex-Iudæi: R. Oseæ filii *R. Heliæ: R. Eliesер*, & aliorum, quorum unius & alterius ne nomina quidem alibi legimus; eosque omnes è popularium olim suorum scriptis CEFEYAZARA (ס' חיצירה *Sêpher haietsirâh*: Liber creationis mundi): ABODAZARA (עבודה זרה *Abodâh Za-*

familia is Lunarum Aragoniæ regni nobiliſſima, Ioanne Martini à Luna & Mariâ Perezîâ à Gotôr [t] parentibus ortus, & ex archidiacono Cæſar-auguſtanæ Eccleſiæ, profeſſoreque magnæ famæ Iuris canonum Monſpelienſi S. R. E. Cardinalis diaconus S. Mariæ in Coſmedin à Gregorio XI. creatus, aliquandoque poſt Clementis VII. obitum anno MCCCXCIV. renuntiatus Avenione ſummus Eccleſiæ Pontifex adverſus Bonifacii IX. partes, qui ante aliquot annos Romæ fuerat electus, dignitatem integris triginta annis, quâ iure ut multis videbatur obſtinato ad preces omnium ferè principum, atque ipſius Eccleſiæ in Concilio Conſtantienſi congregatæ, animo retinuit, Peninſulæ (*Peniſcola*) tandem Valentini regni, tamquam in ſcopuli deportatione, mortuus nonagenarius, anno huius ſæculi quarto ſuprà viceſimum, ſi Alphonſo Ciaconio credimus; aliàs anno viceſimo tertio, ſi Suritæ, & Marianæ, & aliis rerum Hiſpanarum Scriptoribus. Brevis fuit ſtaturæ graciliſque, ſeveri ac rigidi ingenii, vitæ integræ, ac omnis labis alienæ, iuris utriuſque doctor peritiſſimus. Omnia hæc oſtendit iam octavum ſupra ſeptuageſimum annum agens, in conventu Perpinianenſi coram Sigiſmundo Imperatore, Rege Aragoniæ Ferdinando, & Legatis omnium ferè Chriſtianorum principum, habita pro ſe & iuribus ſuis oratione ſeptem horarum; atque ea quidem contentio-

[t] De utraque familia latè agit D. Ioſephus Pellizerius *Informe de la Caſa de Sarmiento* fol. 80.

Zarâh: Cultûs alieni, ſive *De Idololatria*): MORE (מורה נבוכים: *Moréh nebuchim: Doctor perplexorum*): PEREQUE (פרקי אבות: *Pirkê abôth: Capitula Patrum*); & præſertim è Talmude atque è ſacris V. T. libris confutat atque acriter urget. Exſtat in extremo operis, iudicium de eo Fratris Didaci de Famuſco, incertum cuius Inſtituti, qui ſe indignum Magiſtrum in ſancta Theologia vocat, elegans profecto, ſed paulo longius quam ut huc transferri debeat, Hiſpanico ſermone. Alterum eiuſdem operis exemplum neque minus antiquum vidi ante hoc triennium Placentiæ apud D. Ioſephum Ildefonſum de Roa Canonicum Pœnitentiarium, nunc ut audio eiuſdem Eccleſiæ Decanum, quod poſtea iuri meo ceſſit atque ad manum mihi nunc eſt. In Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit.* n. *Plut. I. ſub num.* 12. exſtat huius *Ioannis el Viejo* incolæ Oppidi de Villa Martin: *La executoria de hidalguia ſuya y de ſu Linage.* (T. III. p. 142.) ::: ITEM *Valaſcus de Taranta* Luſitanus (Fabricio *T. VI. med. & inf. p.* 279. Montepeſulanus) auctor operis inſcripti: PHILONIUM pharmaceuticum & chirurgicum, incœpti, ut in eiuſdem prologo legitur, *anno MCCCCXVIII. in vigilia ſancti Barnabæ Apoſtoli:* remoto ſchiſmate & *regnante Domino Papa Martino, anno primo ſui Pontificatus: in Portugallia regnante Rege Iohanne conflictum Saracenis continuè inferendo: in Comitatu vero Fuci* (Foix) *& Biarnio regnante Domino Iohanne Iſabelle mrē* (matre) *eiuſdem domina & comitiſſa principali exiſtente. In Francia tunc regnabat Carolus Albricus* (Albritus) *fideliſſimus rex Franciæ cum guerris & tribulationibus quæ fere in toto regno Franciæ invaleſcebant. In Anglia regnante Domino Iohanne pro tunc in Normandia militante & obſeſſionem ſuper Rhotomagum poſſidente.* Unius Caſtellæ tunc Regis non meminit; ut vel hinc Luſitanum fuiſſe coniicias. Exſtat penes me editum Lugduni per Iohannem Trechſol Alemannum MCCCCXC. fol. in cuius fine legitur

Laus & honor gloria ſint noſtro Creatori,
Qui finem impoſuit præſenti labori.
Completum eſt PHILONIUM iuſſu Salvatoris,
Liber utiliſſimus & magni valoris.

Quaterna inſuper eiuſdem exempla MSta. exſtant in Regis Galliarum Bibliotheca *Part. IV. pag.* 317. *Codd.* 7142. *& tribus ſeqq.*:: ITEM *Antonius de Mercede* Alfonſi Aragonum Regis ad Concilium Conſtantienſe Legatus *cuius Parentatio* (inquit Fabric. *T. V. med. & inf. pag.* 69.) *in exequiis Ferdinandi Regis Aragoniæ anno MCCCCXVI. XXX. Aprilis habita exſtat apud Herm. ab Hardt in hiſtoria illius Concilii, pag.* 129. 138.:: ITEM *Martinus de Salvâ* Presbyter Cardinalis Sancti Laurentii in Lucina, auctor *Allegationum pro Benedicto XIII.* In Bibliotheca Regis Galliarum *Part. III. pag.* 124. *ſub n.* 1475. ::: ITEM *Rodericus* (Narvaez) *Epiſcopus Giennenſis* cuius exſtat: *Votum Benedicto XIII. factum ut ſe Pontificatu abdicet pro bono pacis Eccleſiæ*, in eadem Regia Bibliotheca *Part. III. pag.* 125. *ſub n.* 1479; atque ITEM ibidem & in eodem Codice, *Ferdinandus Bonêt* Procurator Fiſcalis Curiæ Benedicti XIII. auctor: *Propoſitionis adverſus quoſdam Francos ſuadentes ſubtractionem obedientiæ Benedicto XIII. debitæ:* cum eiuſdem Benedicti Bulla ::: ITEM *Carolus de Urries* Cardinalis Sancti Georgii, cuius exſtant: *Allegationes pro Benedicto XIII. adverſus Cardinales Concilii Piſani* in eadem Regia Bibliotheca, *Part. III. pag.* 113. *num.* 1450.:: ITEM *Magiſter Ioannes de Paguera* Barcinonenſis Ordinis Sancti Benedicti auctor: *Letarii novi ſive Calendarii & Martyrologii* Catalanicâ ſeu Lemovicenſi dialecto, in Appendice Bibliothecæ Regis Galliarum *Part. IV. pag.* 529. *n.* 7300. *B.* in Codice ſæculi XV. ineuntis ::: ITEM *Antonius Çorita* interpres è Gallico ſermone operis Honorati (Boneti) inſcripti: *L'arbre des batailles*: quæ verſio Hiſpanica circa annum MCCCCXX. facta, atque Eneco Lopezio Mendozæ Marchioni Santillanenſi nuncupata fuit. In Codice Eſcurialenſi *Lit.* h. Plut. II. n. 19. (T. II. p. 87.) ::: ITEM *Anonymus Archidiaconus Toletanus* cuius in Bibliotheca Vaticana Chriſtinæ olim Suecorum Reginæ ſub n. 386. exſtant: *Concordata cum Exactoribus Rev. Cameræ Apoſtolicæ ad annum MCCCCXI.* ::: ITEM *Anonymus Civitatenſis Epiſcopus* (Gundiſalvus, ut puto, huius nominis primus) auctor operis inſcripti: *Chronica recollectio XXIV. ſchiſmatum in Eccleſia factorum à tempore Felicis II. anno CCCLIV. uſque ad Benedictum XIII. anno MCCCCXVII.* In Bibliotheca Baſileenſi apud Montfaucon. *Biblioth. Bibl. T. I. pag.* 610. *col.* 2. Meminit huius quoque operis, *Anonymique Civitatenſis Epiſcopi auctoris* Theophilus Spizelius *Sacr. bibliothecar. illuſtr. retectis, pag.* 29. quod Noſter infrà *hoc eod. libro cap. V. num.* 266. Andreæ *Scohario* è Benedictinorum Ordine Epiſcopo Megarenſi per conjecturam adſcribit. Vid. Notat. infrà *cap. IV. n.* 266. *in Andr. Scohario.*

tione & præſentia virium & animi, ut fatigatis & laſſatis auditoribus, ipſe magis atque magis fervere & invaleſcere videretur. Quædam reliquiſſe ſui monumenta is dicitur, nempe

98. I. *De poteſtate ſummi Pontificis & Concilii* librum, quem exſtare aiunt in bibliotheca Vaticana MS. Nos tamen hunc non vidimus, quantumvis ſedulò illius catalogos legerimus; ſed loco iſtius codice 5608. MS. fol. 238. *Tractatum ſubtilem Petri de Luna ſuper facto ſchiſmatis, docendo de ipſius vera & canonica electione, & reprobando geſta in Concilio Piſano.* Incipit: *Quia nonnulli*, &c. & fol. 273. *Replicationem contra libellum factum contra tractatum præcedentem:* Quia nonnulli &c. Incipit: *Inter diſtractionum moleſtias mihi aſſiduè occupato, nuper libellus quidam meas devenit ad manus*, &c. Quæ quidem ea ſunt fortaſſe *De poteſtate ſummi Pontificis & Concilii* ei attributa. Exſtat item in Capranicenſi eiuſdem urbis, teſte mihi Ciaconio (1).

99. II. *Vitæ humanæ adverſus omnes caſus conſolationes.* Hiſpanicè. Si autem ſcripſit eum Hiſpanicè, is certè liber Latinus exſtat in Vaticana codice 4853. Qui quidem ſine alio titulo incipit: *Quoniam ſecundum Apoſtolum quæcumque ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt*, &c. Et poſt aliqua: *Ideo conſideratis mundi huius tribulationibus ac multiplicibus turbationum cauſis ſeu occaſionibus, cogitavi de infinitis conſolationibus contentis implicitè vel explicitè in Scripturis, quaſdam redigere in qualicumque opere in ſcriptis ad honorem Dei conſolatoris optimi & eximii, ac glorioſæ Virginis Mariæ, quam ipſe ſic fœcundavit Paraclitus, quòd Deum totius conſolationis nobis genuit*, &c. Proſequitur ſe exemplum Boetii ante oculos habuiſſe, qui ex eo quòd Theoderici tyrannidi non faveret in exſilium miſſus, librum De conſolatione philoſophiæ ſcripſit: *Sic & ego* (ait) *ab impugnantibus iuſtitiam pariter & obedientiam Romanæ Eccleſiæ à propriæ manſionis loco electus, quandam exſilii ſpeciem retinens, præfatum opus aggreſſus, ipſum, ut legentibus placeret*, De conſolatione theologiæ *appellandum iudicavi.* In quibus ſatis ſe auctorem prodit Benedictus. In fine hæc nota legitur: *Explicit liber* De conſolatione theologiæ, *Biblioth. vet. Hiſp.* Tom. II.

100. III. *Tractatum de horis dicendis per clericos.* Incipit: *Quod nuper de horis canonicis dicendis in quadam lectione diſſerui*, &c. Ms. nos vidimus cum hac nota: *Quem compoſuit reverendiſſimus pater & dominus Petrus de Luna, divinâ providentiâ Cardinalis Aragonenſis, qui pòſt eius exigentibus meritis unus de ſucceſſoribus Petri eſt electus.* In catalogo librorum, quos ad uſum ferebat ſecum idem Benedictus, quem in Barberina bibliotheca vidimus, ita legitur: *Item tractatus domini noſtri Benedicti Papæ XIII. tunc Cardinalis de Luna, ſuper dicendis horis, in papiro, coopertus pergameno, cum corrigio albo.* In eodem catalogo habetur hæc altera nota:

101. IV. *Libellus, ubi eſt repetitio facta per Dominum noſtrum in cap.* Sicut ſtellas; *& aliquot arengæ ſcriptæ in papiro de manu propria, coopertum de pergameno, cum corrigio albo.* Repetitio, ut credimus, fuit ab eo facta Monſpelii ubi profeſſor fuit, ſuper cap. *Sicut ſtellas* 8. 38. diſtinct. in Decreto Gratiani, quam de utilitate ex ſacrorum librorum ſtudio certè percipienda eum formâſſe veriſimile nobis eſt; hoc eſt enim eius capitis argumentum, quod Zephyrinum Papam habet auctorem. Habeo penes me teſtimonium à Petro Hilôcha Dominicano, lectore theologo in cœnobio oppidi de Gotôr Aragoniæ regni, quod Iacobus Martinez de Luna circa annum MDXV. ædificavit Prorex Cataloniæ, datum v. die Sept. MDCXLIII. quo affirmat in prædicto cœnobio eſſe tria volumina Papæ Lunæ (ſic vulgò audiit): Primum *De hiſtoria Troiana* 217. chartæ foliorum abſque principio & fine. Alterum ſimiliter acephalum, multiplicis doctrinæ moralis, œconomicæ, & politicæ, quâ inſtruuntur omnes cuiuſcumque ſtatus homines ad explendum munus quiſque ſuum. Tertius liber continet Ethnicorum geſta ſecundum Ægypti Regum tempora, uſque ad Octaviani Imperium. Quartum inde extractum (quónam ignoratur.) Quos omnes eiuſdem

(1) Habetur in Bibliotheca Eſcurialenſi hoc titulo: *Petri de Luna tractatus adverſus Concilium Piſanum*; atque eodem initio: *Quia nonnulli &c. Lit.* L. *Plut. II. n.* 17. (T. III. p. 266.)

(2) Exſtat item Hiſpanicè ſcriptus in Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit.* Y. *Plut. III. n.* 7. (T. II. p. 377) in codice chartaceo ſæculi ut videtur XV. ineuntis, hoc titulo: *Libro de las conſolaciones de la vida humana contra toda miſeria è tribulacion que acaeſciere à la criatura*: in quindecim ſectiones diſtributus.

Petri Lunæ esse, iuxta vulgarem famam asserit Hilôcha laudatus.

102. *Regulæ* item D. Benedicti Papæ XIII. *in Cancellaria datæ* de eius mandato per dominum Ioannem Cardinalem S. Anastasiæ, Vivariensem vulgò nuncupatum, S. R. E. Vicecancellarium. Extant in codice MS. 3983. Vaticanæ bibliothecæ (1).

103. Benedicti mortem procuratam fuisse, haud naturalem, ut affirmemus Scriptor alius huc advocandus est, scilicet LUDOVICUS PANSANUS (vulgò PANZAN) *De rebus Benedicti*, aut *sui temporis, commentator*. Verbis enim Ioannis Marianæ lib. 20. *Historiæ Hispanæ* cap. 14. *Ludovicus Pansanus civis Hispalensis, atque è familia Alphonsi Carrilli Cardinalis S. Eustachii* (creatus hic fuit à Benedicto XIII. Luna anno MCDVIII.) *pro certo affirmat in proprio commentario Benedictum veneno fuisse peremtum, infectis nebulis dulciariis, quibus in secundis mensis libenter vescebatur, à Thoma monacho, quo is multo & familiariter utebatur: de confesso atque convicto sumtum supplicium corpore in quatuor concerpto partes consilii auctorem Cardinalem Pisanum*, &c. Nisi hæc eius verba sint ex historia, quam scripsisse dicitur *De rebus Ferdinandi I. Aragoniæ Regis*: cuius rei testis est Ægidius Gundisalvi de Avila in *Historiæ Regis Henrici III. Castellæ* cap. 48. quam etiam laudat cap. 13. De quo auctore non aliud scimus, nisi quod Panzana familia non ignota est in Aragoniæ regno.

104. D. PETRUS GARZÊS DE CARIÑENA Aragoniæ civis, scripsisse sub Benedicto Papa dicitur, sed privato adhuc, opus *De familia* eius *de Luna*, sive Latinè sive Hispanè: quod vidit tam Latinæ quàm vulgaris linguæ laudatis inde testimoniis D. Iosephus Pellizerius *en el Informe de los Sarmientos* fol. 73. & seqq.

105. BERENGARIUS DE MONTRAVA canonicus & Sacrista Urgellensis in Catalonia Ecclesiæ, scripsit anno MCDXXVI. *Lumen constitutionum, & aliorum iurium Cataloniæ ordine literarum*: quod opus MS. fuit inter libros clarissimi Tarraconensis præsulis Antonii Augustini, ut ex eorum catalogo constat (2).

106. GUTERRIUS DIDACI DE GAMEZ scripsit anno MCDXXV. *El victorial, ó historia de D. Pedro Niño Conde de Buelna, compuesta por Gutierre de Gamez su escudero*. Hanc ipse Comes custodiri iussit moriens manu auctoris descriptam in Sacristia (ut vocant proprio verbo) Ecclesiæ S. Iacobi de Cigales, in qua sepulturam sibi delegit. Exemplum quoddam eius servatur in bibliotheca quæ fuit Comitis de Villa-umbrosa, & nunc conservatur magna ex parte ab Excellentissima Comitissa eius vidua. Aliud habere penes se ait D. Iosephus Pellizerius *en el Informe de los Sarmientos* folio 63. (3) GUTIERRE DIAZ DE GUEMEZ ab aliis audit. Laudavimus iam nos in altera Bibliothecæ parte, cùm adhuc quanam is ætate vixerit, ignoraremus.

AL-

(1) Plurima insuper alia Benedictum XIII. (de Luna) scripsisse docent nos Bibliothecarum MSS. Catalogi atque Scriptores. In Bibliotheca Regis Galliarum, præter *Bullas* & *Literas*, habentur: *Protestationes ab eo factæ quando detinebatur in Palatio Avenionensi, anno MCCCXCIX. ::: Allegationes* (pro se ipso) *contra duas vias capitulatas inter Regem Aragonum & Imperatorem :: Practica tenenda pro unione Ecclesiæ per ipsum transmissa Carolo VI. Francorum Regi ::: Narratio eorum quæ pro sedando schismate facta sunt Panisco læ inter Benedictum XIII. & quosdam Prælatos anno MCCCCXVII. omnia in Cod.* 1479. T. III. pag. 126. :: *Responsum ad Literas Gregorii XII. super unione Ecclesiæ faciendа in Cod.* 5914. T. IV. pag. 176. ::: *Responsiones tres factæ Legatis Galliæ, Cod.* 5156. ::: *Deliberatio in facto Fratris Thomæ de Asinâr Ordinis S. Benedicti Prioris Ecclesiæ Cathanensis qui ad eiusdem partes transierat, circa annum MCCCCXIV. in Cod.* 5155. T. IV. pag. 47. ::: *Oratio ad Regem Castellæ pro Clemente VII.* in Cod. 1472. T. III. pag. 124. In Vaticana extare dicuntur à Montfaucònio *Biblioth. Bibl. T. I. p.* 117. *col.* 2. *n.* 117. *Benedicti XIII. impositiones novi subsidii: Prorogatio Concilii Perpinianensis & alia.* Extat item in eiusdem Bibliothecæ parte quæ fuit olim Comitis Palatini ad Rhenum: Petri de Luna *Sententia deiectionis è Pontificatu*, num. 647. pag. 301... Apud Martenium *Vet. Scriptor. & monum. col-*

lectione T. VII. pag. 633. habetur: *Responsio Domini nostri Papæ Benedicti XIII. facta Ambasciatoribus Regis Aragonum post supplicationes ipsorum ut condescenderet ad capitula per Ambasciatores Regis Franciæ sibi proposita;* Et pag. 636: *Acceptatio capitulorum Regis per Dominum Benedictum.* Apud eundem & Durandum *Thesaur. nov. Anecdotor. T. II. pag.* 1134. extat: *Litera ex parte Benedicti XIII. directa Regi Aragonum...* In Bibliotheca Escurialensi *Lit.* l. *Plut. II. n.* 17. (T. III. p. 265.) *Academiæ Tolosanæ literæ ad Galliarum Regem directæ super facto schismatis quæ à nonnullis* (ut in earum rubrica legitur) *Benedicto XIII. Lunæ tribuuntur.* Longum esset omnia recensere.

(2) Extat in Bibliotheca Escurialensi *Lit. Z. Plut. I. n.* 3. (T. II. pag. 273.) eodem titulo, cui adiicitur: *Ad relevamen Advocatorum: perfectum anno MCCCCXXVI. ordine alphabetico;* & subduntur: *Privilegia civitatis Barcinonis.* Habetur huius Berengarii mentio suprà *Lib. IX Cap. IV. n.* 240. in elencho Glossatorum in Usatica Barcinonensia.

(3) Editum Matriti MDCCLXXXII. apud Antonium de Sancha in Sylloge Chronicorum Hispaniæ sæpius à nobis laudata. Meminit infra huius Guterii Noster, nimirum *cap. VI. n* 332. inter eos Scriptores qui sub Ioanne II. Castellæ Rege floruêre; neque tamen de eorundem exitu quicquam certi statui, aut affirmari potest.

107. ALPHONSUS CHIRINO, aliàs DE GUADALAXARA, Conchensis, medicus Ioannis II. Castellæ Regis à cubiculo, regiusque protomedicus (vocabulo illius ævi *Alcalde*), ac medicorum & chirurgorum ex munere examinator. Scriptum reliquit artis suæ opus: *Menor daño de medicina:* hoc est, quod in medica arte minus noceat, sive regulas & compendium eius, ad filios. Prodiit anno MDV. sive, ut alibi lego, Hispali ex officina Iacobi Cromberger anno MDXLVII. in folio. Simul editum fuit auctoris *Testamentum* Medinæ-Cæli scriptum XII. die Augusti MCDXXIX (1).

108. SANCIUS PORTA Cæsaraugustanus, ordinis Prædicatorum, quem in patria domo fuit professus, Ecclesiastes sui temporis clarissimus audit, multiplicis doctrinæ ac eloquentiæ armis strenuè munus suum atque utiliter gerens, à Benedicto XIII. creatus S. Palatii Apostolici Magister, cùm ab eo senior fidelium pars restituendæ veteris Ecclesiæ pacis ergô recessisset, ipse quoque muneri isti sponte cessit. Varia idem reliquit opera concionatoriæ suæ, quâ sic prævaluit, artis, *rudi tamen ac simplici sermone*, (ut Xystus ait Senensis) *pia tamen moralitate referta*: quæ Alphonsus de Castro, eiusdem Prædicatorum familiæ, sanctitate vir ac literis præstans, quòd speraret magnum operæ pretium sese facturum, formis edi curavit. Nempè

109. I. *Divinum, ac proinde inæstimabile, sed & omnium quæ hucusque de Christifera Virgine scripta sunt, Mariale.* Quo cum elogio editum fuit Lugduni à Ioanne Cleyn Alemanno MDXVII. in 4.° cùm priùs exiisset è typographia Valentina Ioannis Gofredi, seu Jofrêu, anno MDXII. cum titulo: *Sermones festivitatum annualium beatissimæ Virginis Mariæ*, in folio.

110. II. *Sermones æstivales de tempore.*

111. III. *Sermones hiemales de tempore.* Adiiciuntur

112. IV. *Introductiones sermocinales in Sermones, tum de tempore, tum de Sanctis.*

113. V. *Sanctorale, seu sermones de Sanctis*, Hagenoæ per Henricum Gran MDXIV. Omnia hæc simul prodiisse credimus Lugduni eodem anno MDXVII. in 4.° Fortè & priùs Valentiæ, de quo nihil habemus certi. Sermonum tomos duos Senensis laudat. Iacet in domo Cæsaraugustana quam sodales habitant XIX. die Nov. anni MCDXXIX. è vivis ereptus. Xystus Senensis in *Bibliothecæ* lib. 4. Gesnerus, Franciscus Diagus *Histor. prov. Aragon.* lib. 14. pag. 35. Vincentius Blasco prima parte *Histor. Aragonensis* lib. 5. cap. 27. Murillus in *Histor. Pilarienst*, Ioannes Marieta *Histor. Ecclesiast. Hispaniæ* lib. 14. §. 93. Nomenclatoresque Scriptorum ordinis, Antonius Senensis, Michael Pius, Alphonsus Fernandez (2).

114. BONIFACIUS FERRERIUS, S. Vincentii, quem ante biennium ad superos translatum fuisse proximo diximus capite, anno MCDXIX. (3) frater. De hoc agit

(1) Bina huius operis exempla MS. vidimus in Regia Bibliotheca Matritensi, utrumque chartaceum sæculi ut videtur XV. non multum adulti. In altero habetur: *Auctoris testamentum*; in alio: Eiusdem *Replicatio adversus Medicos eius obtrectatores*, qui audito primùm operis titulo quasi agmine facto Auctorem adorti sunt. Titulus hic est: *Esta es la replicacion que replicó Maestre Alfonso de Guadalajara Fisico del Rei, contra lo escrito è dicho contra el su primer tratado*: Espejo de Medicina *por algunos Medicos escandalizados con la acusacion de la verdad: la qual replicaron. Assi comienza.* Continet autem folia LXIII. mediæ formæ ad maiorem accedentis; folio autem 61. *pag.* 2. *col.* 2. notanda hæc legi: *De todo lo qual se sigue que non es de menos provecho lo que yo amonésto que debemos dexar de la Medicina, que lo que digo que debemos tomar de ella mesma;* & paucis interiectis (initio fol. 62.): *Todo esto pregoné & demostrê muchas vezes delante los grandes Señores, estando entre muchos famosos Letrados en los lugares mucho publicos en Castilla, & en Aragon, en los años de la natividad del nuestro Salvador Jesu Christo de mill & quatrocientos & honze: & de doze: & de treze años fasta que fui cansado de dar voces tres años. Et non fallê boz ni escuchador: nin quien lo quisiesse bien entender: los unos por poco sensibles & menos racionales: otros por-*

que su ciencia non les acostumbrò querer verdad nin buscarla: los quales pues desprecian la verdad non debieran despreciar el peligro: otros &c. Et paucis interiectis (*initio paginæ* 2. *fol.* 62.) sic concludit: *E desque vi que todos desdeñaron este pleyto, assi como si fuera mio seyendo suyo de todos proprio: por ende dexêlo yo desdeñado assi como pleyto ageno. è luego judgué que nunca fallê ôme cuerdo en medicina. Yo mas loco que todos que esto sabia & queria remediar el mal tan sin remedio::: è à todas estas tres partes que es un tratado*, llamêlo à todo: ESPEJO DE LA MEDECINA &c. Exstat exemplum aliud sub titulo: *Menor daño de la Medicina* in Bibliotheca Escurialensi *Lit.* b. *Plut. IV. n.* 34. (T. I. p. 253.) Ferdinandus Baccalaureus de civitate Regali, *Centon Epistolar.* Epist. XXIV. eum appellat *Doctorem Garsiam Chirinum.*

(2) Nihil præterea Quetifus & Echardus in eo, *T. I. p.* 779.

(3) Decesserat Bonifacius biennio antè, nimirum anno MCDXVII. die XXIX. Aprilis in Monasterio Vallis-Christi Valentini Regni, ut constat ex eiusdem Necrologio, nondum solido ante Vincentium fratrem anno: quem quinta Aprilis die anni MCDXVIII. ad cælos evolâsse longe probabilius est, quàm quòd sequenti, sive MCDXIX.

agit Arnoldus Boſtius Carmelita, in tract. *De præcipuis aliquot Carthuſianæ militiæ patribus* cap. 15. *Prior* (ait) *Carthuſiæ xxv. Iuris Pontif. doctor apprimè celebris, ſanctimoniæ ſublimitate egregius, diſciplinarum omnium cognitione ad unguem excultus evaſit. Scripſit inter pleraque alia ad Bonifacium ſacri ordinis ſui profeſſorem*, Librum de confirmatione ac approbatione ſacræ religionis ſuæ & cæremoniarum eius: *utilem & frugiferum, miræque claritatis lucem radiantem. Ad eundem etiam tractatum condidit omni profectò commendatione dignum* (*hoc titulo*): Cur in eodem ordine ſanctiſſimo perpauci canonizati ſint, miraculaque publicè non fiant (1). Ait deinde natum Valentiæ, priuſque uxorem duxiſſe, qua obeunte, hortatu Vincentii fratris Carthuſiæ nomen dediſſe in domo Portæ-cæli propè Valentiam, ubi poſt quatuor ferè annos cùm eſſet rerum uſu admodum ſolers & induſtrius, in huius ordinis Priorem Generalem aſſumtus fuit, nihilque egit non ſumma laude & commendatione digniſſimum. Verùm quia in ſchiſmate Eccleſiæ electus fuit, quod malum ad religiones quoque ſeſe extendit: electo pro pace Eccleſiæ in Concilio Piſano Alexandro V. ipſe in capitulo generali abſolutionem ab officio petiit & impetravit, Stephano de Sævis (aliàs *Mazonio*) Priore Generali alterius obedientiæ ſimul cedente. Hæc Boſtius. Idem ferè Dorlandus lib. 4. cap. 25. Obiit anno MCDXIX. XXIX. Aprilis (1).

115. Circa annum MCDXXX. ſcripſiſſe

(1) Utrumque hoc ſcriptum archetypum exſtare hodie in chartophylacio Cœnobii Cartuſianorum *De Porta-Cæli* in Valentino regno, XVI. à primaria urbe milliari verſûs Aquilonem, docet Vinc. Ximenus *Biblioth. Valent. T. I. pag.* 22. *col.* 2. *nn.* 3. & 4.

(2) Dictum paulo ſuperius Bonifacium biennio antè, ſive anno MCCCCXVII. decelliſſe. Scripſit præterea *Tractatum De approbatione Ordinis Cartuſiani*, quem quia Ioannes Gerſonus in compendium redegit, ſunt qui Gerſoni adſcribant. Theophilus tamen Raynaudus ſtrenuè eum Bonifacio vindicat, *T. IX. punct. X. & XI. pagg.* 46. & 57. apud Ximen. *l. c. n.* 5.::: Item *Tractatum De Paſſione Domini*, eodem Ximeno teſte *n.* 6. Manſius, *Addit ad Fabric. T. I. med. & inf. pag.* 259. Tractatum *pro defenſione Benedicti XIII. Pontificis, uti vocant, Avenionenſis* ab Edm. Martene *T. II. Anecdotor. p.* 1435. vulgatum, minutioraque alia eidem tribuit; ac poſtremo *Sacra utriuſque Fœderis Biblia in patrium Lemoſinum ſermonem tranſtulit*: quæ verſio Valentiæ anno demum MCCCCLXXVIII. typis edita fuit. Exſtat penes me poſtremi eius editionis folii opiſthographi exemplum ex archetypo apud Cartuſianos Cœnobii Portæ-Cæli Monachos ſervato accuratiſſime deſcriptum, eodem prorſus charactere columnarumque & linearum œconomia: in quo extrema capitis XX. Apocalypſeos pars à v. 8. *ſobre la ampiéa de la terra: e cercolâren los caſtells dels ſants e la ciutât amada*; & bina quæ ſequuntur integra eiuſdem libri capita continentur; & continuo:

, Gracies infinîdes ſien fètes al omnipotêt dêu e
, ſenyor nóſtre Jeſu Criſt: e a la humîl e ſacratiſſima
, vêrge maria mâre ſua. Acâba la biblia molt vera e
, catholica: treta de una biblia del noble moſſen be-
, rêguer vîues de boîl cauallêr: la qual fon trellada-
, da de aquella propria que fon arromançada en lo
, moneſtîr de porta celi de lengua latina en la noſtra
, valenciana per lo molt reverent micer bonifaci ferrêr
, doctor en caſcum dret, e en facultat de ſacra theo-
, logia: e don de tota la Cartôxa: germâ del benaven-
, turât ſanct vicent ferrêr del ôrde de prîcadors: en la
, qual tranſlacio fôren altres ſingulârs hômês de ſcien-
, cia. E ara derreramênt aqueſta es ſtada diligenmênt
, corregida, viſta, e regoneguda per lo reuerêd meſtre
, jaume borrêll meſtre en ſacra theologia del orde de
, prîcadors: e inquiſidor en regne de valêcia. Es ſta-
, da empremptada en la ciutat de valencia à deſpêſes
, del magnifich en philip vizlant mercadêr de la vila
, de Jſne de alta Alemâya: per meſtre Alfonſo fer-
, nâdez de Cordoua del Reg' de Caſtella, e per meſ-
, tre lambêrt palomâr alamây meſtre en arts: comêça-
, da en lo mes de febrer del any mil quatrecents ſe-
, tâta ſet: e acabada en lo mes de Març del any mil.
, CCCC LXXVIII.

Lemovicenſis Sacrorum Bibliorum verſionis meminêre Ferrarienſis Hiſpanicæ ſeu Caſtellanæ 1553. Interpretes in eiuſdem prologo; atque item Cyprianus Valera in Exhortatione ad Lectorem præmiſſa Hiſpanicæ eiuſdem tranſlationi Amſtelodamenſi apud Laurentium Iacobi 1602; exſtantque nobis ad manum ſeptena è duplici ut videtur Lemovicenſi ſacrorum Bibliorum verſione folia MS. quorum terna chartacea ſunt, inque iis bona Sancti Hieronymi in Apocalypſin prologi pars, nonnullaque eiuſdem libri capita continentur: reliqua membranacea, varia item exhibent tmemata è Danielis, è I.° Machabæorum, & ex Actuum Apoſtolorum libris; neutra tamen harum verſionum annum Chriſti MCCCCXX. neque Bonifacii Ferrerii ævum antevertit, ut ex utriuſque charactere coniicimus. Præterea in Bibliotheca Comitis olim Ducis Olivarienſis *T. I. pag.* 168. *Lit.* B. *MS.* legitur: *Biblia traducida en Caſtellano por un Rabino, con ſus notas y comentarios: por orden de Don Luis de Guzman Maeſtre de Calatrava. Acabôſe año* 1430. En pergamino folio Regio B. I. Demum in Bibliotheca Eſcurialenſi inter libros quorum lectio promiſcue interdicta eſt *n.* 14. exſtat *Hiſpana verſio ſacri textus quatuor Evangeliorum*; ac *XIII. Pauli Epiſtolarum.* Interprete *Doctore Martino Lucena* cognomento *El Machabeo*: de quo nos infra in *Addendis ad annum circiter MCCCC L.*

Exſtat item penes me: *Relatio itineris Bonifacii Ferrerii & DD. Petri Archiepiſcopi Tarraconenſis, Epiſcoporum Mimatenſis, Avenionenſis, Sennetenſis: Petri Epiſcopi Seguntini, Dominici Ram Prioris Eccleſiæ Cæſarauguſtanæ, & Fratris Didaci de Maiorga ex Ordine Minorum Electi Pacenſis*, qui ex urbe Perpiniano Piſam anno MCCCCIX. ad generale Concilium inibi congregatum Benedicti XIII. nomine Legati miſſi fuêre; eorumque Piſam adventûs, geſtorumque ibidem hiſtorica narratio, ex authentico apud Ioannem Baptiſtam Dei Civem Florentinum Romanorum Imperatoris Magnique Etruriæ Ducis Antiquarium codice Florentiæ à me ad annum 1756. deſcripta: quæ cum ab altero ex Legationis ſociis confecta videatur, fortaſſis Bonifacium quode agimus auctorem habuerit.

ſe referuntur *Adverſus Arnaldi Villa-novani errores* è Dominicanis ſodalibus Fr. SANCIUS DE BESARAN Oſcenſis cœnobii, atque itidem eiuſdem Fr. PETRUS MAZA ante decennium, quem ſuprà [a] laudavimus: cuius rei teſtes ſunt præter nomenclatores Dominicanorum Scriptorum, Franciſcus Diagus in *Hiſtor. prov. Aragoniæ* lib. 1. cap. 25. Vincentius Blaſco lib. 5. *Hiſtor. Aragon.* cap. 42.

[a] Huius libri 10. cap. 1.

116. Hoc ipſo tempore floruiſſe creditur profeſſoriâ celebritate ac libris in publicum datis RAYMUNDUS quidam, in editionibus SEBUNDA, aliàs SEBONDE, atque etiam SABUNDE cognominatus; apud Trithemium verò SEBEIDE, ab aliis SANTSEBEIDE, & SEBON, appellatus, obſcuri æquè nominis & conditionis, non ita tamen obſcuræ ad poſteros in monumentis ab eo relictis famæ. Hiſpanum ſanè omnes fatentur, & *virum* Trithemius vocat *in divinis Scripturis ſtudioſum & eruditum, atque in ſæcularibus literis egregiè doctum, artium & medicinæ doctorem inſignem: quæ docendo & ſcribendo in gymnaſio Toloſano* (ita corrigo pro *Toletano*, quod editiones habent) *magnum eruditionis ſuæ experimentum dedit.*

117. Docuiſſe autem eum Toloſæ ex ipſo eius teſtimonio conſtat initio dialogorum, quos deinde laudabimus, conſignato. Cætera ignorantur, adeò ut vir Galliarum eruditiſſimus & qui nihil ignorare ſuo tempore credebatur Hadrianus Turnebus, à Michaele domino de Montagne, quem in paucis ſtudioſum Raymundi huius lucubrationum fuiſſe mox videbimus, olim conſultus, de his magnificè, de auctore nîl certum reſponderit. Quocum (ut & aliàs altè eum latuiſſe diligentiſſimos & perſpicaciſſimos præteritarum rerum homines intelligas) confudit Ioſephus Scaliger ad Caſaubonum ſcribens [x], Raymundum alium Martini cognomento, *Pugionis Fidei contra Iudæos* verum auctorem, profeſſione quidem Dominicanum, fereque duobus ſæculis ætate ſuperiorem. Quiſquis tamen ille fuerit, de quo ultrà quicquam deſiderare fruſtra ſit: celeberrimum in primis commentarium in ſchedis reliquit, quem Trithemius

[x] Epiſt. 84.

118. I. *Creaturarum* ſive *De homine librum* appellat. Eodem hoc titulo *Creaturarum* libri Raymundi Sebeide inſcriptus codex, & in 4.° ſcriptus Toloſæ anno MCDXXXVI. fuit in bibliotheca Cardinalis Carpenſis, ut ex eius librorum elencho patet, niſi in deſignando numero error commiſſus aliquis ſit. Eundem quoque ſervavit titulum princeps ut videtur editio, cuius Geſnerus meminit, Pariſina Ioannis Parvi anni MDIX. Quem aliæ editiones in *Theologiæ naturalis*, qualis verè eſt, mutaverunt, cum adiuncto, ſive *Liber creaturarum, ſpecialiter De homine, & natura eius, in quantum homo; & de his, quæ ſunt ei neceſſaria ad cognoſcendum ſeipſum, & Deum, & omne debitum, ad quod homo tenetur, & obligatur tam Deo quàm proximo* (quod totum habet inſcriptio Lugdunenſis anni MDXL. addito alicubi, vice elogii, altero illo non ita rei proprio) *Theſauri divinarum conſiderationum.* Laudatur à Poſſevino Veneta Franciſci Ziletti anni MDLXXXI. Nec ultima, ut credimus, Lugdunenſis eſt Petri Compagnon anni MDCXLVIII. cum titulo *Theologiæ naturalis, ſive libri creaturarum* in 8.° nam Amſtelodami prodiiſſe ex officina Petri Vandemberg anno MDCLXI. ex nundinis Francofurtenſibus vernis huiuſce anni didicimus.

119. Scopus auctoris fuit in hoc libro ut ad convincendos etiam eos, qui revelatæ veritati nihil deferunt, omnes Chriſtiani dogmatis, tam divinæ in ſe, quàm communicatæ homini in verbo æterno Dei naturæ articulos à naturali veritate non eſſe abſonos, immo naturalibus non incongruè confirmari poſſe argumentis oſtenderet. Quod quidem arduum ac durum quibuſdam viſum, mollire conatus fuit laudatus ſuprà Michael de Montagne, nobilis eques Petragoricus: qui in Gallico libro *Les eſſais*, hoc eſt, *ſpecimina*, nuncupato, inſigne ſui experimentum eruditis omnibus dedit, non *Theologiam* ſolùm ipſam Gallicè vertens, ſed in verſione Rothomagi MDCIII. & iterum MDCXLI. in 8.° edita pretium operæ factum oſtendens, ſcripto vulgari lingua ac ſæpiùs edito, Raymundi Sebundii, ſive *Theologiæ* huius *naturalis* ab eo relictæ *Apologetico*: quod Italis communicavit unà cum *Saggi* libro altero, Marcus Ginammi Venetiis anno MDCXXXIII. publicatum.

120. Sciebat autem vir clariſſimus, ac tandem noſtræ Eccleſiæ iugalis, Hugo Grotius, cùm *De veritate religionis Chriſtianæ* commentaretur, *excoluiſſe hanc materiam philoſophica ſubtilitate Remundum Sebundum, dialogorum varietate Ludovicum Vivem, maximâ autem tum eruditione tum facundia*, memoriâ aliàs indignum, *Philippum Mornæum.* Excellit quidem erudita & nervoſa brevitate commentarius hic Grotianus: qua de re alios qui noti ſunt collegit, cenſuram unicuique adiiciens, heterodoxus quoque ipſe, attamen doctus, Ioan. Hoornbeck *De converſione Indorum*

&

& *Gentilium* lib. 2. cap. 2. qui tamen Raymundum ait *magis laudem acuminis quàm ſoliditatis promeritum fuiſſe*. Diverſum à *Theologia* opus, & quaſi Theologiæ compendium, in dialogiſticam formam reductum, alius liber eſt,

121. II. *De natura hominis, ſeu Viola animæ, formâ dialogi inter Raymundum Sebundium artium, medicinæ atque ſacræ theologiæ profeſſorem eximium, & Dominicum Seminiverbium De hominis natura, propter quem omnia facta ſunt tractans, ad cognoſcendum ſe, Deum, & homines*, editus Toleti anno MD. in 4.° ſequenti etiam Coloniæ apud Henricum Quentel eâdem formâ.

122. Crederem ab alio quovis factum hoc dialogiſticum Theologiæ compendium cultiori ſtilo, quàm *Theologia* eſt, à Dominico ſcilicet iſto dialogiſta. Nec retardat, quòd initio operis eidem auctori duo hæc attribui videantur. Potuit enim hoc velamento compendiator uti, ut Raymundum poſterioris huius libri auctorem credulis faciliùs perſuaderet. Dominicus ibi ait: *Heſterno ſero cùm eſſem in gymnaſio Toloſano poſt varias quæſtiones explicitas audivi illic à narrantibus iis diebus, quibus pro communi utilitate abſens fui, mirabilem te omnibus coram diſputationem habuiſſe, quâ ſanctiorem utilioremve nemo ſe unquam aſſerit audiſſe; tantæque fuiſſe virtutis, ut non ullum ullatenus arbitremur hominem, neque ſpem habere ſalutis, qui eâ non fuerit à vitiis ad iuſtitiam permutatus.* Raymundus. *Multum mihi homines tribuunt, ſed ipſi viderint qua id faciunt ratione. Ego fructum ingenii mei Domino dicavi.* Dominicus. *Iuſtiſſimè id facis. Sed obſecro te (hac enim cauſâ tam manè in tuum hunc agrum feſtinus deſcendi), ut quæ illic à te diſputata ſunt ſcriptis coràm exhibeas.* Raymundus. *Scripta eſt, fateor, diſputatio illa. Sed hei mihi! Dominice. Aurelius Sulpicius amicus noſter, iam fermè menſis eſt, librum illum, ut ſibi deſcriberet aſportavit. Quid igitur tibi nunc faciam?* Dominicus. *Numquid tu me vacuum patieris abire? numquid ideo ſine doctrina es, aut induſtriam omnem perdidiſti, quia liber ille à te dimiſſus eſt?* Raymundus. *Sed quid tibi vis faciam?* Dominicus. *Certè ut videam; aperi mihi lumen ingenii tui, & illam ſapientiam, qua librum illum Dei munere condidiſti, rurſum, quæſo, mihi clemens aperias*, &c. Et infrà.

(1) Hunc Raymundum in Bibliotheca Eſcurialenſi non reperi. Terna *Theologiæ* Eiuſdem *naturalis* exempla habentur in Regis Galliarum, *Part. III. pag.* 376. *codd.* 3133. & *duob. ſeqq.* è quibus anti-

Raymundus. *En pareo libens votis tuis & trium dierum diſputationi me promtum exhibeo. Dum igitur materiam à fundamentis exordior, tu diligenter aſpicito, & ſapienter interrogato.*

123. His tamen nihil moveor à præmiſſa coniectura, maximè cùm Thritemius huius operis non meminerit; & Valerius Andreas Taxander in *Bibliotheca Belgica* mihi auctor, poſt coniectationem hanc noſtram, viſus ſit, Petrum Auratum Arteſium ord. Prædicatorum ex Theologia Sebundi concinnâſſe operis *Violæ animæ* à ſe inſcriptæ ſex priores dialogos; ſeptimus enim aliunde fuit deſumtus, atque inter Mariam Virginem & Dominicum ipſum formatus. Hoc opus Hiſpanè loquitur operâ Antonii Ares Taurenſis ex ordine Minorum, *Dialogos de la naturaleza del hombre* inſcriptum, & Matriti anno MDCXVI. in 4.° editum. Noſtro tamen attribuit is præter laudatam theologiam,

124. III. *Quæſtionum diſputatarum* librum unum (1).

125. Anno huius ſeculi triceſimo quarto ſcripta iuſſu D. Roderici Alphonſi Pimentelii Beneventani Comitis *Hiſtoria* quædam *generalis Hiſpanicarum rerum* vulgaris linguæ, auctorem præſeferens EMMANUELEM quendam RODRIGUEZ DE SEVILLA; pertingenſque ab origine ipſa noſtræ gentis ad Alphonſum uſque Legionis Regem huius nominis quintum, qui ſagittâ percuſſus in Viſenſi obſidione obiit, apud Prudentium Sandovalium Tudenſem ac poſtea Pampilonenſem Epiſcopum, olim fuit, ut ex mentione eius non ſemel ab eo facta [y] conſtat; at nunc eſt Matriti, quum hæc ſcribimus, penes amicum noſtrum D. Ioannem Lucam Corteſium, ſæpe à nobis nec unquam ſine elogio laudatum. Porrò hic me certiorem fecit de ſcripturæ antiquitate, huius ævi, quo compilatum opus fuit, æqualis; pluraque ibi eſſe planè ſingularia; deeſſe tamen in principio tria quatuorve capita, & in medio totidem chartæ folia.

126. Admonuit me itidem hiſtoriæ huic adiungi aliam exiſtimatam eiuſdem auctoris, *De la conquiſta de Tierra ſanta*, ſive de expeditionibus ſacris in Palæſtinam Godefridi Bullionæi, & aliorum: quo libro chorographia Syriæ, & Ægypti, morumque & religionis illarum gentium notitia continetur.

Sed

quius anno Chriſti MCCCCXXXIV. inceptum, & MCCCCXXXVI. abſolutum in eodem dicitur. In aliis per Europam MStorum. Bibliothecis non rara occurrunt.

[y] *En las Notas à los Obiſpos* pag. 177. & 187. inque eodem volumine pag. 322. ubi de rebus ab Comitis Fernandi Gonzalez, ... dans ibi: *La hiſtoria del Señor villano, que ... mas de 200. años que ... eſcrivio.*

[z] In *Catal. Teſt. veritatis. De Regibus Hiſp.* in Ioan. II.

[a] In *Appar. ad ...*

[b] In editione *oper. S. Hieronymi* tomo 4. pag. 351. edi... nis Lugdu... an. MDXXX.

127. Sed poſtquam hæc ſcripſeramus, fidem D. Ioannis Lucæ ſecuti, codicem contrectavimus, in cuius fine, hoc eſt voluminis folio 180 rubro ſcriptum exſtat: *De como ſe acabò eſte libro, quien fue el que lo mandò facer, e qual fue el eſcribano que lo eſcribio, e en qual lugar, e à quantos dias, e en que año.* Quibus ſubiiciuntur alia hæc atramento communi expreſſa: *Eſta primera parte deſta Chronica de Eſpaña acabò Manuel Rodriguez de Sevilla por mandado del ſeñor Conde de Benavente D. Rodrigo Alphonſo Pimentel: la qual acabò en la dicha villa de Benavente à 15. dias de Marzo del nacimiento de nueſtro ſeñor Jeſu Chriſto de MCDXXXIV. eſtando en la dicha villa el dicho ſeñor Conde, e D. Juan ſu hijo, à los quales dèxe Dios vivir por muchos años y buenos.* Pertinet, uti diximus, uſque ad mortem Alphonſi V. & annum MV.

128. Hoc autem in eodem volumine conſequitur *La eſtoria de Jeruſalem abreviada:* cuius caput primum ſic inſcribitur: *Capitulo primo que fabla en como nueſtro ſeñor Dios diſpuſo la tierra ſanta por diverſos azotes y contrarios acaecimientos que en ella vinieron.* Mutilum opus & ſine auctoris nota. Quod totum exprimere voluimus, nondum certi cuiuſnam nomen ſit, Scriptoriſne an exſcriptoris, Emmanuel Rodriguez de Sevilla, quem clauſula iſta quam adduximus ſcribam vocat; niſi ætate iſta, pro eo qui invenit & auctor ſcriptionis erat, *Eſcribano* dictum fuerit.

129. Ante annum obierat Romæ LUPUS DE OLMEDO Hiſpalenſis natalibus, inſtituto autem vitæ Hieronymianus ſodalis, Guadalupenſis domûs ob miraculoſam Deiparæ Virginis imaginem, quæ in ea colitur & magna pietate à populis frequentatur, affatim notæ: ex eo ſcilicet ordine, quem ſub nuncupatione Eremitarum S. Hieronymi Gregorius XI. anno MCCCLXXIII. Hiſpanis quibuſdam inſtitutoribus, præſcribens iis obſervandam S. Auguſtini regulam, confirmaverat.

130. Huic magnâ iniuriâ quidam cùm nomen, tum ſtirpem mutâſſe deprehenduntur. *Lupum de Oliveto* (*Ulmeto* dicere debuêre Latinè Hiſpanum cognomen deſignaturi) Ioannes Eiſenſgreinius [z], Franciſcus Tarafa [a], Antonius Poſſevinus [b], Marianus Victorius [c], & alii vocant. Adiungitque Eiſenſgreinius, errori errorem cumulans, & Poſſevinus deinceps, S. Vincentii Ferrerii fratrem eum germanum fuiſſe: qui fortè audierat de Bonifacio Ferrerio Carthuſiano eius verè fratre, & pro iſto Lupum noſtrum habuit. Hic cùm ſtudio legum civilium & canonicarum Peruſiæ in Italia olim addictus, iuriſque civilis doctor creatus, huius ordinis ſacramentum dixiſſet: poſt alia munera urgentibus meritis ad ſummam ordinis ſui præfecturam, anno ut creditur MCDXXI. fuit promotus. Quo tempore concepit animo, ut pius erat & vitæ ſtrictioris cupidus, ſi verè monachalem, quam profeſſus fuit pater Hieronymus, vivendi formam pro eremitarum Inſtituto à quo denominari hactenus maluerant, ſodalibus ut amplecterentur, perſuaderi poſſet: congruentius illis Hieronymianorum appellationem poſtmodum adaptandam, rigoroſeque magis, atque ut tanti parentis deceret filios, vivendum.

132. Eo conſilio Romam cum eorum quibuſdam profectus, tentavit fruſtra huc ceteros pertrahere: qui cùm nihil in haud ita diu à Sede Apoſtolica confirmato religioſo vivendi genere reformatione dignum exiſtimarent: ſpurium eius filium, ac verè matri lupum potiùs quàm reformatorem vociferabantur, animi inconſtantiâ, non verò pietatis ſtimulo ad id negotii actum. Qualis (*cumque*) tamen revera Lupus exiſtimatione Hiſpanorum fuerit ſodalium, certè Martinus V. Pontifex hominem doctrinæ religioſarumque virtutum nomine olim ſibi (ut aiunt) notum atque in pretio habitum benigniſſimè excepit, & unicè carum habuit. Quinimmo approbato eius conſilio, monaſterium ei & aliis qui novo Inſtituto nomen dare vellent, ſancti Alexii in monte Aventino habitandum conceſſit; eumque ibi & quocumque alibi recipiendorum monachorum Præfectum Generalem creavit.

133. Hinc in Hiſpaniam ſemel atque iterum eum rediiſſe Scriptor Vitæ inferiùs laudandus refert, quod alii temerè negant. Certè in Hiſpania novum hoc Inſtitutum radices egit, quod ab eodem Lupo præſente procuratum ſimile vero eſt: cùm ſcilicet remoto ab Hiſpalenſis honore Pontificatus viro ſui temporis illuſtri D. Didaco de Añaya Maldonato, Lupus ipſe à Martino V. Papa ſacrorum eius Eccleſiæ adminiſtrator fuit circa annum ſæculi XXIX. eò deſtinatus: quod eum geſſiſſe munus triennio ſaltem ſequenti, uſque ad XXXII. ex tabulario cœnobii S. Iſidori iuxta urbem Hiſpalim, ibique aſſervatis rei monumentis, conſtare aiunt [d]. Quo quidem tempore cœnobiis aliis novi Inſtituti ditiſſimum hocce S. Iſidori acceſſit, à quo nova propago vulgò nomen *Iſidorianorum* apud nos ſortita fuit [e]; manſè-

[d] Ioſephus de Siguenza lib. 3. *Hiſt. Ord. S. Hieron.* cap. 7. D. Franciſcus Vergara in hiſtor. D. Didaci Añaya, & Collegii S. Bartholomæi c. 11. pag. 41. Corrigendus in eo quòd anno MCDXXI. (erratum forſan pro MCDXXXI.) hanc deputationem adſcripſerit.

[e] Ioſephus de Siguenza lib. 3. cap. 8.

reque monachi ab eremitis separati, usque dum sesqui-sæculo transacto res ad pristinum statum reversa est, ac dissipata Hieronymianorum Hispanorum divisio: de qua re latè agit Iosephus Seguntinus in historia huius ordinis, Ioannes Mariana lib. 20. cap. 15. & Silvester Marulus in *Oceano religionum* lib. 5. Garibay lib. 16. cap. 16.

134. Romæ tandem post ampliatam in Italia sacram familiam, earumque virtutum, quas plantationi suæ tot curis & molestiis exantlatis conatus fuit inserere, continua documenta exhibita: diem vidit extremum in eadem S. Alexii sacra domo, ante maiorem aram sepultus, cum hac circum eius imaginem lapide excisam inscriptione: *Hic iacet reverendus in Christo pater frater Lupus de Olmeto, natione Hispanus, resuscitator, & reformator, ac primus Generalis Præpositus ordinis monachorum eremitarum S. Hieronymi, Priorque huius monasterii: qui obiit tertia die Aprilis anno Dom. MCDXXXIII. Pontificatûs dom. Eugenii Papæ IV. anno tertio* (1). Vitam Latinè scripsit D. Pius Rubeus Placentinus, eiusdem ordinis Generalis aliquando Præfectus, quæ edita est Novocomi unà cum *Floribus S. Hieronymi*, quorum iam meminimus; necnon Italicè ab eodem conversa in Ioannis Petri Crescentii *Præsidio Romano* lib. 1. [f] qui duo Philippi Bergomensis [g] elogium adducunt.

[f] *Presidio Romano, ò vero della militia Ecclesiastica.* Placentiæ MDCXLVIII. in fol. pag. 407.

[g] Ad ann. MCDXXVIII.

135. *Virum undecumque doctissimum, vitâ & morum sanctitate clarum, philosophum insignem, nec ulli theologorum secundum, eloquentiæ vi pollentem, ac divinæ gratiæ nervis validum* vocat Eisengreinius: *divinarum Scripturarum eruditissimum* Franciscus Tarasa & Iacobus Philippus Bergomensis; & quod caput est Martinus V. in quodam diplomate [h] *multipliciter* eum *apud se religionis zelo, vitæ munditiâ, & literarum scientiâ commendatum* asseverat. Multa de eo Iosephus Seguntinus *Historiæ ordinis S. Hieronymi* vulgaris linguæ Hispanæ lib. 3. cap. 1. 5. 6. 7. & seqq.

[h] XVII. Aug. MCDXXIV. apud Rubeum in Vita Lupi cap. 9.

136. Ad hoc undique magis stabiliendum vivendi iuxta Hieronymi normam propositum, omnia quæ Lupus consignavit literis, respiciunt opera: nempe in primis

I. *Flores S. Patris Hieronymi*, ex eius scriptis decerpti in centonis formam; adeò tamen appositè congruenterque in unum connexi, ut non aliter fudisse Hieronymum ipsum existimaverit Marianus Victorius, vir doctissimus atque operum Maximi Ecclesiæ doctoris annotator egregius. Inter hæc enim iam diu editur [i] horum *Florum* collectio sub *Regulæ monachorum S. Hieronymi, ex scriptis eiusdem per Lupum de Olmedo collectæ* nomine: unà cum *Bulla approbationis Martini Papæ V.* Verè enim eo consilio hic liber compilatus fuit à Lupo, ut Hieronymiani monachi non aliam quàm S. Hieronymi monachi regulam profiterentur, quod iis Martinus concessit, pro S. Augustini alia quam sequebantur ad eum diem, hanc substituens [k]. Ms. quidem is liber exstat in Vaticana bibliotheca, & in Basileensi, Spizelio teste [l]. Prodiitque post editiones dictorum Hieronymi operum eiusdem Pii Rubei curâ Novocomi apud Ioan. Angelum Turatum MDCXXI. in 8.° quadraginta & uno capitibus constans: quorum aliqua Pius ipse, quæ deesse videbantur, adiecit, eâdem industriâ excerptoris usus.

[i] In edit. Lugdun. an. MCXXX. vol. 4. pag. 310. & aliis.

[k] Dicta Bulla XXVII. Aug. MCDXXIV. apud Rubeum cap. 15.

[l] In Sacris *Bibliothek. illustr. arcanis* rerum *litis* pag. 4.

137. Ægrè tamen ferunt aliqui, & inter eos Ioannes Petrus Crescentius, vir admodum eruditus, in *Præsidio* suo *Romano* [m], abiudicari hanc regulam Doctori maximo, quæ tamquam illius aliquot ab hinc sæculis habita fuit, etiam Pontificum Romanorum existimatione. Sed cùm apertissimè è fragmentis contrarium constet hinc atque illinc ab excerptore desumtio, antiquitatis tantùm hoc præiudicio nihil detinemur, ne suum cuique tribuamus; præsertim cùm ex statim adducenda Lupi *Responsione ad obtrectatores* sese eius regulæ compilatorem fateatur. Consule sîs Francisci Bivarii *De veteri monachatu* lib. 4. cap. 4. §. 1. huius regulæ censuram, & confirmaberis, lector, ut pro hac parte stes. Simul enim in eodem Pii Rubei volumine, Lupi eiusdem habemus

[m] Lib. 1. n. 146. pag. 74.

138. II. *Responsionem obtrectatoribus* novæ regulæ factam, quæ incipit: *Invidis respondendum* &c. quibus subiecit alienis operibus proprium Rubeus: *Venerabilis viri Lupi de Olmeto Hispalensis congregationis monachorum S. Hieronymi olim instauratoris ac Præpositi Generalis perpetui Vitam.* Sed quia lex sibi dicta in *Floribus* sive *Regula* verbis tantum Hieronymi loquendi, ulteriorem quamcumque divagationem respuebat, adiunxit Lupus Pontificia usus auctoritate

III. *Sta-*

(1) Vidimus, ac non semel, descripsimusque ad annum MDCCLV; atque Lupi effigiem, ut potuimus, eiusque sepulcrum cum coronidibus Gothici saporis adumbravimus. Exstat in Ephemeridibus nostris Romanis MS. *T. II. pag.* 177.

139. III. *Statuta cum suis declarationibus*, ad usum eorundem sodalium, quæ incipiunt: *Venerabilibus & discretis viris* &c. & promulgata fuisse nona die Maii anni MCDXXIX. idem Rubeus ex tabulis domesticis cap. 17. *Vitæ Lupi* annotat.

140. IV. *Ordinarium*, hoc est ita inscriptum triginta capitum librum, teste eodem Rubeo [n], qui & sequentia subnectit

[n] Cap. 17.

141. V. *Doctrinam testamenti S. Patris Hieronymi*, XXV. capitibus, atque item

142. VI. *Epilogum S. Hieronymi.* Unaque

143. VII. *Vitam S. Hieronymi*, Martino V. & sacro Cardinalium collegio nuncupatam. Hæc in prima huius S. Doctoris operum editione *cuidam devoto & eius operum studioso*, tacito auctoris nomine, adscripta legitur. Sed eam Lupi esse, advocatâ in rem eâ quam diximus nuncupatione, cuius se ipse auctorem prodit, Rubeus comprobat [o]. Eaque usus videtur Marianus Victorius fuisse, *cùm ab ea quam ipsemet operibus S. Hieronymi adiecit* (Rubeus ait), *haud distare videatur. Quòd si deinceps* (prosequitur) *Cardinalis Baronius eius non meminerit in annotationibus ad* Martyrologium Romanum, *ut in* Annalibus Ecclesiasticis: *id in causa fuit quod illi eamet incognita prorsus fuit. Quæ enim tomo nono dictorum operum legitur, quamque Baronius ipse reprobat: diversa omnino ab hac est, quam præfatus vir Lupus ex allegatis operibus primus conscripsit.* Tradidit quoque in manus domesticis suis Lupus ipse

[o] Dict. cap. 17.

144. VIII. *De Sanctis*, ac *de tempore sermonum, seu homiliarum* à se elaboratarum volumen, ut legimus in *Supplemento Chronicorum* Bergomensis, & apud eundem Rubeum [p]: qui & advertit mul-

[p] Cap. 18.

Biblioth. vet. Hisp. Tom. II.

ta alia *sub eiusdem nomine* MSS. *circumferri, præsertim verò quæ grandi uno volumine comprehensa sequuntur, videlicet fragmentum in clericum*, cui titulus hic appositus legitur:

145. IX. *Castigatio S. Lupi ad clericum monendum.*

146. X. *Vitæ patrum sive adhortationes contra octo principalia vitia.*

147. XI. *Sententiæ patrum.*

148. XII. *Adhortationes sive homiliæ ad perfectam vitæ rationem:* in quorum calce legitur: *Liber S. Columbani de Bobio.* Servatur autem volumen in bibliotheca Ambrosiana Mediolani. Ibi & aliud extare *Commentaria* continens *in Isaiam prophetam* Rubeus item ait; *licèt istud, non, uti paulò ante adlata, originale existimetur, cùm præsertim nuperrimè transscriptum sit. Ex quo & factum reor ut in eius fine legatur.* Laus Deo, B. Virgini, & B. Francisco, *cuius regulam fortè profitebatur transcriptor.* Libri huiusce titulus est:

149. *Frater Lupus in Isaiam prophetam;* ac pro certo habet non alium esse huius auctorem; *cùm nusquam* (ait) *in quolibet Ecclesiasticorum Scriptorum catalogo Frater Lupus ab hoc alius occurrat.* Planè deceptus fuit Rubeus; cùm horum commentariorum verus auctor fuerit Alphonsus Lupus ordinis Capuccinorum; constetque ex Frederici Borromæi S. R. E. Cardinalis, Mediolanensisque antistitis aureo libro *De sacris oratoribus*, Alphonsi, quem in paucis concionatorem laudat, hunc librum sese in ea bibliotheca à se constructa, unicum tanti viri monumentum, reposuisse. Quod in altera bibliothecæ huius parte de eo loquentes, annotavimus (1).

(1) Exstant huius Lupi in Bibliotheca Escurialensi *Lit. F. Plut. IV. n.* 15. (T. I. p. 519.): *Regula Monachorum Instituti Sancti Hieronymi sumta ex veris atque authenticis dictis eximii Doctoris de institutione & directione spiritualis vitæ Monachorum*, sub *Anonymi* titulo; atque ITEM in eodem codice sub expresso *Lupi* nomine, & cum adiuncto: *Præpositi Generalis Ordinis Sancti Hieronymi: Statuta & declarationes Ordinis Monachorum Eremitarum eiusdem Sancti Doctoris*, præmissa Martini V. Bulla ac delegatione ad eadem Statuta conficienda, Data Gallicani Præneſtinæ Diœceſis IV. Idus Augusti Pontificatûs anno VII. (Christi MCCCCXXIV.) edita & publicata. ITEM, ibidem: *B. Eusebii (olim B. Hieronymi Discipuli) Epistola ad Damasum Portuensem Episcopum & Theodorum Rom. Senatorem: De doctrina Monachorum in obitu Sancti Hieronymi & per eum tradita: quæ cum Statutis præcedentibus publicata fuit Romæ per eundem* FRATREM LUPUM *in Monasterio SS. Bonifacii & Alexii in monte Aventino die* IX. *Maii MCCCCXXIX. Pontificatus Martini V. XII.° præsentibus Fratre Ioanne de Marinonibus Priore Monasterii Sancti Petri ad Vincula: Clemente de Portugallia Vicario Monasterii SS. Bonifacii & Alexii: Alexio de Turregano: Ioanne de Segovia, & Ioanne de Wachtendonch presbyteris monachis professis dicti Ordinis monachorum Eremitarum Sancti Hieronymi per Michelinum Pardze Clericum Traiectensem Notarium.* ITEM Fratris *Lupi de Olmedo: Ordinarium Ordinis Monachorum Eremitarum Sancti Hieronymi.* Codex membranaceus forma octava ad quadram figuram accedente, circa annum MCCCCXL. scriptus in quo nonnulla inducta sunt atque erasa, adiectaque de novo alia. In Bibliotheca Regis Galliarum *Part. III. pag.* 308. *cod* 2640. EIVSDEM: *Flores Sancti Hieronymi.* In Vaticana apud Montfauconium *Biblioth. Bibl. pag.* 111. *col.* 2. *lit.* B. EIVSDEM: *Vita Sancti Hieronymi.*

150. Lupus autem aurem vellit nobis, ut alium Scriptorem ei æqualem & adversarium in eo negotio reformationis, de quo dictum fuit, subiungamus, PONCIUM nempe sive SIMONEM PONCIUM (vulgò, ut credimus, *Pons*) Tarraconensem quendam: non quidem eiusdem familiæ, ut persuasum fuit non nemini [q]; sed medicum, quod professus munus est in eo, quem scripsit *Apologetico libro*, seu defensione veteris Instituti Hieronymianorum Hispaniæ adversus prætensam Lupi reformationem. Hunc editum reperies ad calcem *Chronici* huiusmet ordinis Latinum Petri de la Vega. Meminit auctoris Iosephus Seguntinus lib. 3. *Historiæ* eiusdem ordinis cap. 18.

[q] Sylvestro Marulo in *Oceano Religionum* quem Pius Rubeus in *Vitæ Lupi* c. 5. laudat.

151. Sequens annus quartus supra tricesimum sustulit literarum magnum quendam alumnum, nec minus studiorum laude quàm utrimque à Regibus derivato sanguine in paucis clarum: HENRICUM DE ARAGONIA intelligo, quem MARCHIONEM DE VILLENA compellare vulgus solet, Aragonensium ex masculo, Castellæ autem Regum ex sequioris sexus latere familiis oriundum. Parentes enim habuit Petrum & Ioannam Henrici II. Castellæ Regis filiam notham. Petrus autem ex Alphonso extra matrimonium natus, qui Alphonsus Villenæ Marchio, Comes Dianii & Ripacurtiæ, & postea Dux Gandiæ, primusque Castellæ Comestabilis, filius idem Petri Aragoniæ Infantis, nepos Iacobi II. Regis fuit, Suritâ lib. 14. cap. 22. *Annalium Aragoniæ*, & Salazario Mendoza lib. 3. *De dignitatibus Castellæ & Legionis* cap. 20. necnon & Ferdinando Perezio Guzmano in *Historia Ioannis Regis II.* & in libro *Similitudinum*, sive elogiorum ad calcem eius positorum, rei auctoribus.

152. Fato quodam huic familiæ Castellæ regnum improsperum accidit. Nam Alphonsus Comestabilis munere ab Henrici III. tutoribus, ac iure quidem spoliatus dicitur; noster autem Henricus, cùm à Ioanne II. Rege Comitatum *de Cangas* ac *de Tineo* in Asturibus obtinuisset; eique mox, ut magister Militiæ S. Mariæ de Calatrava deligeretur, renuntiâsset: à militibus ipsis depositus magistratu quoque decidit, soloque ornatus *Iniestæ* oppidi Toparchæ titulo, eò loci se contulit: revocata ad se coniuge Maria Albornozia plurium oppidorum domina, quam olim, ut ordinis religiosi præfectum ageret, cœnobio cuidam monialium non abnuentem incluserat: de quo videnda Ioannis Regis historiæ, quam diximus, 4. & 248. capita.

153. Sed neque concorditer unquam vixere. Quippe qui Henricus à puero totus libris & studiis deditus, non solùm exercitia militiæ atque omnes nobilium hominum proprias artes, sed & curam rei domesticæ, & quicquid eum à philosophiæ studiis & contemplatione rerum naturalium avertere posset, omnino sprevit. At sibi nonnullis artibus interdictis famam (nec ausim dicere veram, an falsam) suscitavit, non astrologiæ dumtaxat quâ vana existimatur, sed & superstitiosis aliis, quovis catholico, immo principe viro indignis, ex somniis nempe, sternutationibus, aliisque huiusmodi futura prædicendi operam dedisse. Quare à temporis sui Regibus & proceribus non eo loco fuit aut pretio habitus, quo alias oportuit regiæ prosapiæ ac singularis doctrinæ hominem apud omnes mortalium ordinis planè censeri. Atque iviisse dicitur quasi in proverbium, plus cælestium quàm terrenarum, plus inutilium quam utilium ac necessariarum rerum assecutum studio suo Henricum fuisse.

154. Itaque *amissas opes, atque amplissimos honores ablatos, iniuriamque fortunæ honestis (vel saltem studiosis) solatiis ad extremam senectutem toleravit* (quæ Ioannis Marianæ verba sunt lib. 21. cap. 7.) podagrâ, chiragrâque gravatus; neque etiam post mortem iniuriæ & ignominiæ speciem quandam evitare potuit. Librariam enim supellectilem, quâ divite & electa vivus fuit usus, Regis præcepto, vir doctus quidem atque ei valde carus, Lupus Barrientus Dominicanus Henrici principis præceptor, lustrandam suscepit; ex eaque plusquam centum volumina, quasi damnatæ lectionis essent, Vulcano tradidit, publicè ut aiunt comburenda. Quod quidem iudicium approbantes Ferdinandus Perez de Guzman in *Historia Ioannis Regis* cap. 248. & in *Elogio*, Lupumque ipsum adducens Pincianus infrà; alii improbantes [r] alii ex æqualibus variè referunt.

[r] Petrus Carillo historicus, quo utitur Surita lib. 14. cap. 22.

155. Ferdinandus certè quidam Gomezius, Ioannis medicus, in quadam ad Ioannem Menam, clarissimum poetam & historicum data epistola facetè admodum rem totam uti facta fuit enarrat: quem piaculum esset alio quàm suo sermone loquentem hoc loco sistere. *No le bastò à D. Henrique de Villena su saber para no morirse* (epistolâ inquit 66.) *ni tampoco le bastò ser tio del Rey, para no ser llamado por encantador. Ha venido al Rey el tanto de su muerte, e la conclusion que os puedo dar es, que asaz D. Henrique era sabio de lo que à los otros cumplia, e nada supo en lo que le cumplia à èl. Dos carretas son cargadas de los libros que dexò, que al Rey le han traido. E porque diz que son magicos, e de artes no cumplideras de leer, el Rey mandò que à la posada de Fr. Lope de Barrientos fuessen llevados. E Fr. Lope, que mas se cura de andar del principe que de ser revisor de nigromancias, fizo quemar mas de cien libros: que no los vio èl mas que el Rey de Marruecos, ni mas los entiende que el Dean de Cidad-Rodrigo; que son muchos los que en este tiempo se fan dotos, faciendo à otros insipientes e magos; e peores, que se fazan beatos faciendo à otros nigromantes. Tan solo este denuesto no habia gustado del hado este bueno e manifico señor. Muchos otros libros de valia quedaron á Fr. Lope, que no seran quemados, ni tornados. Si vuestra merced me manda una epistola para mostrar al Rey, para que yo pida à su señoria algunos libros de los de D. Henrique para vos, sacaremos de pecado la anima de Fray Lope, e la anima de D. Henrique haurá gloria, que no sea su heredero aquel, que le hà metido en fama de bruxo e nigromante. Nuestro señor* &c.

156. Hæc tota epistola Ferdinandi Gomezii non iniucunda, neque iudicii forsan expers; nam & Ioannes de Mena summis quibusque laudibus Henricum extollit his versibus:

Aquel que tu vès estar contemplando
En el movimiento de tantas estrellas,
La fuerza, la orden, la obra de aquellas,
Que mide los cursos de como y de quando:
Y ovo noticia filosofando
Del movedor y los commovidos,
De huego, de rayos, de son, de tronidos
Y supo las causas del mundo velando:
Aquel claro padre, aquel dulce fuente,
Aquel que en el Castalo monte resuena,
Es D. Enrique señor de Villena,
Honra de España y del siglo presente,
O inclito sabio, autor muy scyente!
Otra y aun otra vegada yo lloro,
Porque Castilla perdio tal tesoro
No conocido delante la gente.
Perdio los tus libros sin ser conocidos;
Y como en exequias te fueron ya luego:
Unos metidos al avido fuego,
Y otros sin orden no bien repartidos.
Cierto en Athenas los libros fingidos
Que de Protagoras se reprobaron,
Con ceremonia mayor se quemaron,
Quando al Senado le fueron leidos.

(1) Qui plura de his desideret, adeat Ferdinandum Nonnium Pincianum *Comment. ad Ioann. de Mena Cant.* 128. *editionis Salmant.* 1505. *fol.* 70. sive

157. Ad quem tamen poeta locum Ferdinandus Pincianus vir summus adducit quædam Lupi huius Barrienti verba ex libro quem *De divinatione ac eius speciebus*, sub idem tempus hac occasione, & ut factum excusaret, ut Ioannes Mariana libri 21. cap. 7. ait, scriptum Ioanni eidem Regi nuncupavit; cuiusque dum de auctore mentionem infrà habebimus, notitia suum sortietur locum. Hic ait *Rasiel* librum, sic inscriptum ab angeli nomine qui Adami cuidam filio eum dictavit, invocationes bonorum angelorum ad benefaciendum, malorumque ad malefaciendum continentem, se Regis iussu igni cum aliis tradidisse; at quidem invitum: quippe qui existimaret Lupus huiusmodi libros servari apud fidos quosque oportere, quibus aliquando uti ad religionem tuendam, & idololatras ac necromantas redarguendos, æquum & expediens foret (1).

158. Nihilominus tamen ignorat nemo fatum huic simile accidisse olim magnis viris, ac literis innocuis (extra tamen communem aliorum usum & captum positis) instructis: quos magiæ & quarumcumque indignarum artium insimulare sua eorum ætas non dubitavit. Præstò sunt Rogerii Baroni Angli Minoritæ, qui obiit MCCLXXXIV. ac Thomæ Bungeri eiusdem nationis & Instituti apud Wadingum *De Scriptoribus Franciscanis* differentem: Ioannis Trithemii *Steganographiæ* auctoris, cuius autographum Fredericus II. elector Palatinus, quasi incantatoriis artibus plenum, comburi fecit, defensi à Sigismundo abbate monasterii Seon in Bavaria, & à Ioanne Caramuele Episcopo Viglevanensi, amico nostro: Gereberti quoque, in Pontificatu Silvestri dicti, & aliorum passim exempla. Exstat quidem Gabrielis Naudæi, viri famà clari, libellus de his, quibus immeritò magiæ crimen omnibus sæculis fuit imputatum, Gallicè scriptus.

159. Certè ad nos usque derivavit fama non multùm Henrico favens, quasi futura prædixerit, aliaque moriens vana in mandatis reliquerit, quæ nos inter aniles fabulas & otiosorum cantilenas reputamus. Staturâ brevi sed crassus fuit, colore autem vultûs albedine & rubore misto: neque ciborum neque Veneris parcus, acumine poetico nulli sui temporis secundus, atque historiarum valdè gnarus, mul-

Antuerpiensis Ioann. Steelsii 1552. *pag.* 289. Franciscum Sanctium Brocensem, nostrateisque Ioannis Menæ interpretes.

multiplici vir doctrinâ, atque idiomatum variorum cognitione præstans, Guzmani testimonio. Matriti obiit quinquagenarius xv. die Decembris MCDXXXIV. (corrigenda enim editio Hispalensis est anni MDXLIII. quæ habet XXIV.) & in cœnobio Franciscanorum ad lævam aræ maximæ sepulturam accepit.

160. Plena sunt rerum nostrarum commentaria [s] Henrici mentione Villenæ Marchionis. Præstat autem Ioannis Mariana è libri 19. cap. 8. verba subnectere, quia de operibus ab eo relictis, & iam dicendis, non tacet: *Petrus ad Aliubarrotam ceciderat, eius Henrici pater, cui à Villena cognomentum fuit: eruditionis huic tantum studium, ut magica etiam sacra, carminaque calluisse fama sit. Exstant ingenii monumenta, in quibus multa reconditaque eruditio est, elegantiæ parum, quippe affectatæ, sed horridæ, & cum Hispana lingua Latinam miscentis.* Idem ferè de studiis eius cap. 7. lib. 21. quæ quidem eximia sed innocua existimavit Marinæus Siculus in Henrici elogio lib. 7. *præstantissimum* eum vocans *in mathematicis, & liberalibus disciplinis, astrorumque cognitione, & secretis naturæ, per quæ sæpè futura prædiceret.* Idem ait permulta eum de rebus cæleſtibus egregia opera posteris reliquisse. Quorum nos velut è naufragio quodam tabulas colligemus.

[s] Rades de Andrada in *Historia Ordinis S. Iacobi*, atque item Caro de Torres in eadem. Surita lib. 10. *Annal.* cap. 54. & lib. 14. c. 22. Alphonsus de Madrid archidiaconus de Alcôr. in *Hist. Palentina* MS. Garibay lib. 16. cap. 24.

161. Liber *De los trabajos de Hercules* inscriptus, carmine, ut credimus, Burgis prodiit ex Ioannis de Burgis officina anno MCDXCIX. scriptus ab auctore, ut ibidem dicitur ad preces Petri Pardi Catalani equitis. Utitur eo Ferdinandus Mexia in *Nobiliario* suo, Henricum ex hoc opere laudans lib. 1. cap. 73 (1).

162. *De rebus philosophicis & moralibus* exstat alius codex bene antiquus varia opera continens MS. in folio in bibliotheca quæ fuit Excellent. Comitis Villumbrosani Castellæ præsidis, nunc autem Excellentissimæ coniugis ex pretiosiori manuscriptorum codicum parte.

163. Diversum ab hoc, an eundem cum eo, habuit olim D. Franciscus de Quevedo Villegas vir clarissimus, ut ipse refert in præfatione ad Ludovici Legionensis Augustiniani carmina, varia Henrici opera continentem: in quibus quoddam erat *De la Gaya ciencia*, hoc est *De poetica arte*, ut Quevedus interpretatur, inscriptum. Ego autem Gallicum, seu mavis Provinciale (Galli enim non suum agnoscunt) vocabulum hoc Rhetoricæ artis existimo; cùm Guilielmus Catel in *Occitaniæ historia* Gallica lib. 3. [t] collegii cuiusdam meminerit, in quo docebatur hæc ars; idque ex regesto quodam constare ait, cuius hic Gallicus titulus: *Registre des deliberations faites au college intitulè: De la science de Rhetorique, autrement: De la Gaye science, fondè en Tolose par Dame Clemence, le quel registre commence en l'an MDXIII.* Quibus ille adiungit laudes Noguerolis cuiusdam Gaiæ scientiæ, uti appellat, doctoris, quem ante multos annos variorum carminum librum edidisse ait.

[t] Pag. 397.

164. Sed Ioannes Franciscus Andreas Ustarrozius, vir eruditus & Aragoniæ chronographus, in notationibus huius regni Regum [u] admonuit apud se esse Henrici nostri: *Del arte de trovar*, hoc est, *De arte versificandi*, ut vocat, discursum (2).

[u] Pag. 48.

165. *Henricus de Villena sobre Virgilio*, sive huius tituli volumen, in bibliotheca Toletanæ Ecclesiæ pluteo 17. num. 32. servatur, ex meo eius catalogo exactissimè transcripto. *Glossas sobre Virgilio* vocat, Villenatem Henricum laudans, Ferdinandus Mexia in *Nobiliario* suo lib. 2. cap. 1. 19. & 27. Nescio autem de quonam (diversone?) Henrici eiusdem libro intelligam fuisse olim (quod alicubi

(1) Exstat in Biliotheca Escurialensi, *Lit.* l. *Plut. II. n.* 6. (T. III. p. 253.) hoc titulo: *Los XII. trabajos de Hercules*, adiectis *allegoriis moralibus earumque declarationibus: ad Petrum Pardum Equitem Valentinum*, in codice, maiori ex parte chartaceo, sæculo XV. non multum adulto, ut videtur, exarato. Editus penes me non carmine, ut Noster existimavit, sed prorsâ oratione, Burgis apud Ioannem de Burgos 8.ª die Augusti anno 1499. fol.

(2) Meminit huius operis *Del Gay saber*, sive *De la Gaya sciencia* ab Henrico de Aragonia editi, D. Thomas Antonius Sanchez sæpius à nobis laudatus *T. I. Syll. Poem. Hisp. ant. ann. sesquimill. in not. ad Epist. March. Sant-Iulian. n.* 8. *pag.* 5. quo loco & nn. seqq. de *Gayæ scientiæ* Consistorio sive collegio, Tolosæ ad annum MCCCXXIV. erecto, deque eiusdem auctoribus, legibus, statoribus (*Mantenedores*) atque aliis è Iosepho Mervesino *Historiador. Poeseos Gall.* Antonio Bastero *Crusc. Provenzal.* Marchione Sant-Iulianensi *in Prol. proverb.* Hieronymo Surita *Ann. Arag. ad ann.* 1398. Milloto *Hist. des Troubadours* & aliis, docte & copiose agit; atque iis adiungi possent nostras Ludovicus de Averçô in opere *Torcymâny*, sive *Interpres*, vernacule inscripto (Hisp. *Trugimán*) quode superius egimus; & *Guillelmus Molinerius*, ab eo laudatus in Libro *Flors del Gay saber:* quod vocabulum non ad Rhetoricen sive ad Oratoriam, ut Noster hoc loco existimabat, sed ad metricen rhythmicenque seu versificandi artem pertinere constat: eamque propterea Lemovicenses *Art de trovâr* sive *inveniendi*, Hispanice *De hallâr ò encontrar*, apositè appellârunt. Poetæ enim *inventores* dicuntur ac sunt; *trobar* autem sive *trovar*, quasi *strophare* Gr. στροφεῖν, quod Latinis *vertere* & στροφὴ *versio, versus* &c.

bi legi) penes Didacum Colmenares, ac deinde ad Comitem de Ribadavia pervenisse (1).

CAPUT IV.

IOANNES POLEMAR, *sive* PALOMAR, *archidiaconus Barcinonensis, qui Basileensi Concilio interfuit. Scripta eius contra Bohemorum errores: De procuranda decisione piæ sententiæ immaculatæ conceptionis Deiparæ Virginis, & alia.* IOANNES DE SEGOVIA, *eiusdem Concilii clarum lumen, circa quem errores quorumdam notantur. Viri docti ex Hispania qui huic Concilio magna cum auctoritate interfuere. Segovienſis laudes ex Ænea Sylvio. Cardinalatus eius & Cæsareensis Episcopatus, demumque secessus in quodam monasterio. Ioannis Pinedæ Iesuitæ doctissimi lapsus. S. Antonini Florentini Archiepiscopi alius. Insignes famâ sanctitatis viros huic Concilio, & illius ei parti, quæ schismatica audit, consensum commodâsse. Segoviensis scripta*, Concordantiæ biblicæ vocum indeclinabilium: De actis Concilii Basileensis: De immaculata Virginis Deiparæ conceptione (*cui adversatus fuit Ioannes de Turrecremata*): De mittendo gladio spiritûs adversus Saracenos, *cùm Alcoranum Latinè converti procurâsset: cuius operis adhuc inediti synopses capitum damus.* IOANNES DE CASANOVA, *qui scripsit* De potestate Papæ supra Concilium. ANDREAS DE ESCOBAR *Benedictinus Megarensis Episcopus.*

166. BASILEENSI Concilio generali, quod maxima rerum Ecclesiasticarum agitatione partim catholicum, partim schismaticum totos undecim annos sub Eugenio Papa IV. anno MCDXXXI usque ad MCDXLII. duravit, tres, inter plures, aliis clariores, Ioannes de Turrecre-

(1) Exstant in Regia Bibliotheca Matritensi terni priores Virgilianæ Æneidos libri ab Henrico de Aragonia Hispanico iure donati, prorsâ oratione, cum amplissimo eorundem commentario, recenti manu, sed ex antiquo sæculi XV. codice, ut in iisdem legitur, descripti. Senos item priores prorsâ quoque oratione, absque commentario tamen, in Sanctæ Metropolitanæ Hispalensis Ecclesiæ Bibliotheca superstites describi, atque in prædictam Regiam Matritensem inferri curavit D. Thomas Antonius Sanchez interventu D. Didaci Alexandri de Galvez Bibliothecæ Hispalensis Ecclesiæ Præfecti.

Exstat præterea in Bibliotheca Escurialensi, *Lit.* f. *Plut. IV. n.* 1. (T. I. p. 509) Henrici de Aragonia liber Hispanico sermone inscriptus: *Del arte del cortar del cuchillo*, pro dapibus scilicet in Regia aut Procerum mensis dividendis, rogatu *Sancii* cuiusdam *de Járava* Regi à secessibus, quod hodie munus Itali *Scalchum*, nostrates *Trinchante* appellant, confectus; atque ut inaudio nuperrime Matritensibus typis evulgatus.

ADDENDI AB ANNO MCCCCXX. AC DEINCEPS VSQVE AD ANNVM CIRCITER MCCCCXXX.

HVC referri posse existimo *Fratrem Ioannem de Tahuste* è Sacro Mercenariorum Instituto, Episcopum primùm Oscensem, mox, ab anno scilicet MCCCCX. ad XXVII. Segobricensem atque Albarracinensem, auctorem *Constitutionum Synodalium Segobricæ XXV. Aprilis MCCCCXVII.* editarum, teste Vinc. Ximeno *Biblioth. Valent. T. I. pag.* 34... ITEM *D. Franciscum Aguilonem* (Aguiló) Equitem Valentinum Episcopum Segobricensem, qui anno MCCCCXXVIII. die XVIII. Octobris *Constitutiones Synodales* edidit, teste Vinc. Ximeno Biblioth. Valent. *T. I. pag.* 35. *col.* 1.. ITEM *Arnaldum de Stanyôl* Carmelitanum, cuius in Escurialensi Bibliotheca *Lit.* 1. *Plut. I. n* 8. (T. II. p. 613.) exstat Lemosina versio operis: *De Regimine Principum*, hoc titulo: *Lo libre del Regiment dels Princeps, fet è compilat per Frare Egidi Romà del Ordre des Frares Ermitans de Sent Agostí, declarat è explanât per Frare Arnau Stanyôl del Ordre de Senta Maria del Munt del Carme, á instancia del molt alt e magnifich Princep lo Senyor Infant En Iacme Comte D' Urgel è Vezcomte D' Ager*, in codice chartaceo circa ann. MCCCCXXX. exarato. Abest ab Anonymi Bibliotheca Carmelitana Aurelianis edita MDCCLII.... ITEM *Bernardum Gavi*, qui sub idem tempus Raymundi Lulli *Artem de memoria*, sive *Artis memorativæ librum* è Latina in linguam Provincialem Lemovicensium transtulisse, susque commentario explanâsse dicitur, in Regia Bibliotheca Taurinensi inter *Codd. Lat. cod. MLXV. T. II. pag* 350. *col.* 1... ITEM *Gomesium Lusitanum* Ulissiponensem (diversum à cognomine Ordinis Minorum) qui *cum Monachi Benedictini cucullum induisset Patavii anno* 1413. (inquit Ioann. Dom. Manii *Addit. ad Fabric. med. & inf. T. III. p.* 74. *col.* 2.) *deinde transivit Florentiam, eiusque Abbatiæ regimen tradente Nicolao Guascono eiusdem Abbate Commendatario suscepit, tenuitque annis duobus supra viginti ::: In tabulario Abbatiæ Florentinæ plures eius literæ exstant, tum:* PROTESTATIO CONTRA BARTHOLOMÆUM DOMINICI. *Item:* CAPITULA PRO REFORMATIONE MONASTERII SANCTI DOMNINI. Hæc loco citato Mansius... ITEM *Petrum Rodriguez de Lena* Tabellionem, cuius est liber inscriptus: *Defensa del passo honroso que defendió Suero de Quiñones cerca de la puente de Orbigo á seis leguas de la Ciudad de Leon è tres de la de Astorga: en que justaron nueve Cavalleros Castellanos con otros nueve Aragoneses año de* 1434. In Bibliotheca Escurialensi *Lit.* f. *Plut. III. sub. n.* 19. (T. I. p. 492.) Matriti 1784. editus in Sylloge Chronicorum Hispaniæ, curante Cl. Iosepho Michaele de Flores Regiæ Academiæ Historiæ Matritensis socio, atque à Secretis perpetuo, nunc iam cum hæc scribimus Regio criminibus vindicandis XII. viro. ITEM *Anonymum Archiepiscopum Toletanum* (*Ioannem* scilicet *de Contreras*): cuius in Regis Galliarum Bibliotheca, *Part. III. pag.* 123. *cod.* 1472. *n.* 4. exstat: *Tractatus Archiepiscopi Toletani super discordia populi* in facto schismatis. ITEM *Rodericum* (de Narvaez) *Episcopum Giennensem*, auctorem: *Voti Benedicto XIII.* (Lunæ) *facti ut se Pontificatu abdicet pro bono pacis Ecclesiæ.* In eadem Regia Bibliotheca, *Part. III. pag.* 125. *cod.* 1479. *n.* 6.

cremata, Polemar, & de Segovia, Hiſpani doctores, interfuere. De horum primo aliàs dicemus; duo reliqui hoc ſimul capite deſcribendi ſunt IOANNES POLEMAR, ſive PALOMAR [x], archidiaconus Eccleſiæ Barcinonenſis è Catalonia, Eugenii IV. Papæ capellanus, & S. Palatii auditor (ita, qui nunc *Auditores Sacræ Rotæ*, tunc temporis audiebant) Decretorum doctor gymnaſii Viennenſis, in laudato Baſileenſis urbis Concilio tum dignitate, tum doctrinæ exiſtimatione valdè conſpicuum ſeſe præſtitit. *Die enim Iovis decimâ nonâ Iulii de anno Domini MCDXXXI.* (principium Concilii habet) *applicuerunt Baſileæ domini ſcilicet Ioannes Polmar* [y] *capellanus ſummi Pontificis, & auditor ſacri palatii; & magiſter Ioannes de Raguſio doctor in theologia Pariſienſis, Procurator generalis ordinis Prædicatorum, delegati ad præſidendum Concilio à domino Iuliano* (Cæſarino) *Cardinali S. Angeli Legato Apoſtolico* &c.

167. Idem refert Iulianus ipſe Cardinalis ad Eugenium epiſtolâ quadam recenter publicata [z]: quòd ſcilicet, cùm in Bohemiam exercitum adverſus Huſſitas ducturus eſſet, ne Concilii res interim omitteretur, hos duos ſuo loco deputaverit. Corrigendum tamen ibi eſt Ioannis cognomen, quod minus rectè *Pilombar* fuit editum. Conſtat verò ex actis eiuſdem Baſileenſis Concilii [a], Bohemis invitatis ad Eccleſiaſticam unionem in ampliſſimo congreſſu iſto de articulis ſecum controverſis diſputantibus, ſingulos deſignatos Concilii patres tam theologiæ, quàm canonum doctores, qui articulo cuique propoſito ac propugnato, Fidei regulam, aut ſaltem Eccleſiæ totius conſenſum antiquiſſimum rationibus ſuis vallatum opponeret.

168. Quod quidem exſecutus fuit anno MCDXXXIII. Ioannes Polemarius, ex iis unus, cuius, ut de civili dominio clericorum cui Bohemi obnitebantur diſſereret, partes fuere: tribus diebus ſtrenuè docteque Petri Payne [b] Angli, qui per triduum quoque ipſe auditus fuerat, argumenta evertens, atque rem totam explicans. Oratio, ſeu diſputatio hæc cum titulo *Reſponſionis ad quartum articulum Bohemorum de temporalitate Eccleſiæ, ſive quòd licet Eccleſiæ habere temporalia*, edita primùm Ingolſtadii anno MDCIII. fuit ex MSS. codicibus ab Henrico Caniſio *Antiq. lection.* quarto volumine, atque inde in recentioribus Conciliorum editionibus [c].

169. Abſoluta diſputatione viſum eſt patribus opportunum deſtinare in Bohemiam Legatos, qui cum gentis illius coetu Pragæ coacto Concilii nomine coràm agerent, ut controverſiæ finis imponeretur. Venit inter hos Pragam Polemarius: qui poſt Epiſcopos duos, Conſtantienſem in Normannia & Auguſtenſem, primus in actis laudatur ante alios non Epiſcopos; ipſeque aliorum nomine orationem ad Bohemos habuit, ut ex Ioanne Cochlæo lib. 6. *De hiſtoria Huſſitarum* conſtat. *Venimus* (inter alia dixit) *ad vos ambaſiatores numero decem pro parte S. Concilii, quorum tres ſunt de Francia, quinque verò ſunt Teutonici; unus Epiſcopus Auguſtenſis, & reliqui de diverſis partibus. Ego verò inter omnes minimus de partibus Hiſpaniæ regni Aragoniæ, civitate Barcinonenſi, adhuc per quadraginta ſex diætas diſtante* &c.

170. Cumque Bohemi hoc patrum officio unioniſque deſiderio tractabiliores facti, quatuor articulorum declarationem peterent; eaque petitio ad Concilium remiſſa fuiſſet: in mandatis habuere Polemarius & alii tres ex Legatis, Baſileenſium patrum mentem, & quam poſtulaverant articulorum declarationem, iis ſignificare: *cuius rei geſtæ ſeriem* (ait idem Cochlæus lib. 7.) *nemo meliùs explicat, quam orator Concilii Ioannes de Polemar Hiſpanus, in ea oratione, cuius initium eſt:* Magiſter ſcimus quia verax es: *quam in ſecundo ſuo in Bohemiam adventu Pragæ habuit ad Bohemos.* Meminit idem noſtri Ioannis alibi [d]. Qui quidem præterea ſcripſit libellum ad Sigiſmundum Imperatorem ante Concilium Baſileenſe inſcriptum *De procuranda deciſione piæ ſententiæ aſſerentis B. Virginem conceptam fuiſſe ſine macula.*

171. Cuius rei auctor eſt, ut aiunt, Ioannes Ludovicus de Schonleven [e] ab Hippolito Marraccio Congregationis clericorum regularium matris Dei, noſtro quondam Romæ, dum viveret, amico, viro utique pio, totque Marianorum monumentorum cumulatore indefeſſo in *Bibliothecæ Marianæ* quadam *appendice* [f] laudatus. Scripſit etiam ad Ioannem abbatem monaſterii Scotorum ordinis S. Benedicti Viennenſis *De abſtinentia carnium* inſignem tractatum, uti appellat Trithemius, cuius initium eſt: *Surgunt in iudicio filii.* A quo & eidem tribuuntur ſermones, & quæſtiones, aliaque multa ſibi nondum comperta, quæ in gymnaſio Viennenſi ſcripſit Sigiſmundi Imperatoris tempore. Quem utique *doctoris Decretorum inſignis, tamque in divinis ſcripturis, quam in ſæcularibus literis notabiliter docti, ingenio ſubtilis, ſermone ſcholaſtici, vitaque & converſatione præclari* laudibus ornat. Similiterque Eiſenſgreinius Sermonum meminit *non minus doctè quàm eleganter* ad populum habitorum: quem & plura alia proficua Eccleſiæ Dei poſteritatis ait memoriæ conſecrâſſe (1).

172. Alter Hiſpanus huiuſmet Baſileenſis Concilii decus maximum IOANNES fuit, ſive à patria, ſive proprio gentis cognomine, SEGOVIENSIS vulgò nuncupatus cuius res inter nos & in propria patria obſcuræ, in hoc autem ampliſſimo Eccleſiæ totius conventu clariſſimæ in paucis fuere. Planè hominis fama invitavit ætate noſtra quoſdam familiarum nobilium Segoviæ urbis illuſtratores, ut alius [g] ei quæ de Contreras audit, alius [h] ei quæ *de Segovia* Ioannem adſcriberent. Non rectè autem Ioannem de Villavitioſa, & archidiaconum Ovetenſem cognominavit Ciaconius in *Vitis Pontificum* [i]; cùm nonniſi archidiaconus de Villavitioſa, quæ dignitas eſt in Ovetenſi Eccleſia, non ab ſtirpe ſic appellatus fuerit. Quo munere ornatum oſtendunt acta ipſa Concilii Baſileenſis ſeſſione

[x] Ita vocat Andreas Boſch Catalanus, cives ſuos Scriptores laudans in *Summario dels titols de honor de Catalunya* lib. 3. cap. 13. & Hier. Surita lib. 14. cap. 40.

[y] Ita habent editiones Pariſienſes ann. MDCXXXVI. & ultima ann. MDCLXXII. & Panvinius in *Epit. Pontif. & Cardinalium in Eugenio IV.*

[z] In *Hiſtoria Pragmat. ſanctionis* parte 2. pag. 825.

[a] In editione ultima Pariſienſi ann. MDCLXXII. & ſeqq.

[b] Aliàs *Rayne.*

[c] In ultima Pariſ. laudata tom. 12. columnâ 1354.

[d] Lib. 8.

[e] Lib. 4. *orbis votorum* §. 14.

[f] Non meæ editionis Romanæ anni MDCXLVIII. ſed alterius poſterioris.

[g] Colmenares in *Hiſtoria de Segovia* tit. *de los Eſcritores.*

[h] *Memorial, ò libro del linage de Segovia* nondum publicatum, ut credimus, Pellizerii.

[i] Tomo 2. editionis Romanæ ultimæ col. 942.

(1) De *Ioanne Palomario* nollem qui meo dudum hæſerat animo ſcrupulum non palam exponere, viriſque doctis eventilandum ſiſtere. Etenim cum à puero in patriæ Academia non in ſcholarium modo, ſed & in Magiſtrorum colloquiis, ac ſæpius inaudiiſſem, Baſileenſi Concilio interfuiſſe virum eximium noſtratem, cui *Palomarii* vel à maiorum traduce, vel potius ab oppido Valentini regni non ignobili *Palomâr* dicto in Valle Albaydenſi in quo natales hauſiſſe potuit, cognomen inditum fuiſſet: mirabar ego quidem altùm de eo ſilere Bibliographos noſtros Ortinum, Rodriguezium, Ximenum. Ubi autem primùm ad hanc Bibliothecæ Hiſpanicæ partem deveni, in qua de ſe Ipſe *de regno Aragoniæ, ac de civitate Barcinonenſi* ad Pragam Bohemiæ urbem atque ad Baſileenſe Concilium veniſſe affirmat: omnem iamdiu de Valentina eiuſdem patria cogitationem abieci. Sed quid ſi Barcinonenſem ſe à ſacerdotio, longoque ea in urbe incolatu appellet, potius quam à natali ſolo? Viderint cives noſtri, quorum res agitur; mihi hæc vel indicaſſe ſat eſt. Verum illud tamen affirmare interea poſſum, *Palomarii* cognomen Valentinis noſtris minime peregrinum eſſe; immo & vicum Valentinæ urbis quem pii atque optimi parentes ab anno minimùm 1680. incoluerunt (in quo & paternæ, iuris nunc mei, ædes, in quibus & ipſi diem ſuum obierunt & ego cum fratribus meis in lucem editus fui, ſitæ ſunt) hodie indigenis *De Palomâr* dici: quod ego nomen è conſpicuo aliquo Palomariæ gentis viro qui olim eundem vicum incoluerit, mutuatum fuiſſe coniicio; cum proximos eidem *De En Sendra, De Valeriola, Dels Exarchs, De En Coll*, ob eandem cauſam nomenclaturam ſortitos fuiſſe videam. Atque hæc parergi loco; Palomarii ſcripta quod attinet, in Regis Galliarum Bibliotheca hæc reperi: *Magiſtri Ioannis Palomar ſcriptum contra Baſileenſe Concilium.* Part. III. pag. 112. cod. 1442... Item: *Schedula per Ioannem de Palomar oblata in generali congregatione* (Concilii Baſileenſis) *anno MCCCCXXXVII. adverſus Cardinalem Arelatenſem.* Part. III. pag. 135. cod. 1502... Item: *Eiuſdem Oppoſitiones & reſponſio ad poſitionem Magiſtri Ioannis de Rokezana coram Patribus ſacri Concilii Baſileenſis* Part. III. pag. 137. cod. 1506.... atque ibidem num. 8. *Eiuſdem poſitio ſuper poſſeſſionibus bonorum temporalium ab Eccleſia.* Et num. 9. *Eiuſdem replicæ & reſponſiones pro veritate ad rationes Magiſtri Petri Anglici de Secta Orphanorum factas contra temporalitatem terræ Eccleſiaſticorum...* Item: *Eiuſdem. Reſponſiones ad ea quæ dixerant Sacerdotes Bohemorum hac ſecunda vice qua acceſſerunt ad ſacrum generale Baſileenſe Concilium* Part. III. pag. 137. cod. 1507... In Vaticana autem Comitis olim Palatini ad Rhenum Lit. S. num. 596. pag. 265. *Ioannis de Palomar Sermones in Concilio Baſileenſi.* Item: *Sermo de Septuageſima...* Apud Geſnerum in Eo: *De abſtinentia carnium. Ad Ioannem Abbatem Monaſterii Scotorum Ordinis S. Benedicti Viennenſis...* Apud Martenium Coll. vet. Script. & mon. T. VIII. pag. 353. *Invocatio Divini auxilii præambula ad poſitionem De poſſeſſione rerum temporalium ab Eccleſia per Dominum Ioannem de Polemar Decretorum Doctorem, Auditorem Cardinalis Sancti Angeli contra Magiſtrum Petrum Anglicum Oratorem Bohemorum habita in præſentia Concilii Baſileenſis* (exſtat & apud Labbeum T. XII. p. 1363.) Item apud Martenium T. VIII. pag. 515. *Pulcra poſitio pro temporalitate & iuriſdictione Eccleſiæ; & defenſio eiuſdem venerandi Doctoris Decretorum Ioannis Palomar Auditoris Rñi. in Chriſto Patris Domini Cardinalis Sancti Angeli.* Et pag. 596. *Anno Domini 1433. in Praga 3. menſis Iunii Dominus Ioannes de Palomar fecit relationem eorum quæ habuit in commiſſis ex parte Concilii:...* Et pag. 717. *Epiſtola Ioannis Palomar Auditoris & Ambaſciatoris Sacri Concilii verſus Bohemiam.* Plura forſan apud Fabricium, Caniſium, Trithemium.

(2) Eundem illi *Canonici Toletani* titulum tribuunt Regis Galliarum codices 3437. & 4225. *Part. III. p.* 421. & *pag.* 564. de quibus mox.

[k] Errant editiones huius operis; nam quædam *de Eccleſia Metenſi*, uti & Contelorius in *Cardinal.* at illa quam ſequimur, ex *Hiſt. Pragmaticæ* habet *de Eccleſia Ovetenſi*, quomodo & in Pariſienſi ultima Concilio-rum fuit excuſum, & apud Panvinium legitur. Retinuit tamen verum Eccleſiæ nomen editio Colonienſis Gymnici an. MDCVI.

[l] *De Regibus Hiſp.* in *Ioanne II.*

[m] *Adverſus Alcoran.* conſider. 4.

[n] Vide Marchant in *Flandriæ deſcript.* lib. 3. in *Ioanne Digeonio Burgundiæ Duce.*

174. Doctor erat Theologus Salmanticensis (1), atque adhuc apud nos morabatur anno huius sæculi tricesimo primo: quo quidem super duobus Fidei nostræ articulis, Trinitate & Incarnatione Christi, disputationem cum Mauro quodam, qui Medinam à Campo dictam Castellæ oppidum, ubi tunc Ioannes II. Rex degebat, Granatensis Regis legatus venerat, se habuisse, comite usum sororio suo quem diximus Iurisperito, eo ipso loco docet, ubi eius meminit.

175. Paulò pòst indicto Basileæ Concilio, eò se Ioannes contulit Salmanticensis Academiæ nomine, & iussu Ioannis II. Regis; & cùm post celebratas sessiones quamplures inter Eugenium Pontificem & Conciliares Patres malè convenire cœpisset; resque eò perducta esset, ut Concilium falsò existimans iure id posse Papam citaverit, & cessantem citationi deferre, contumacem eum declaraverit: huic primùm sessioni quæ vicesima octava fuit, Calendis Octobris anni MCDXXXVII. celebratæ, interfuisse gestæ rei testes in eiusdem Concilii actis referuntur *Venerabiles & circunspecti viri domini, & magistri Ægidius Camineti in medicina Parisiensis, & Ioannes de Segovia in theologia magistri Salmanticensis, almarum universitatum studiorum generalium in dicta sancta synodo Ambasiatores, Guilielmus Kircher* &c.

176. Et quamvis Eugenius literis suis Concilium Ferrariam transferre procuraverit: nihilominus Basileæ eò demum fuit perventum, ut ad Eugenii exauctorationem, & alterius Papæ electionem Concilium procedere non dubitaverit. Quæ electio ut ritè perficeretur °, destinari triginta duos ex patribus qui suffragia ferrent, totiusque Concilii vices obirent, placuit. Sed primò tres tantùm electi sunt, quorum fuit inde de singulis unum, duos, aut tres alios; deindeque omnibus his hoc modo electis eligendi ceteros usque ad supra dictum triginta duorum numerum facultas data. Ex tribus autem illis, sive, ut appellat Æneas Sylvius ᵖ, *Trium-viris*, unus fuit noster Ioannes de Segovia archidiaconus de Villavitiosa in Ecclesia Ovetensi, unà cum Thoma abbate de Dondraina ordinis Cisterciensis, & Thoma de Courcellis canonico Ambianensi, theologi omnes magistri.

177. Ab his utique reliqui omnes sunt electi: quorum è numero ex Hispanis fuere (neque extra rem est, quum illustres literis viros celebramus, eorum hìc meminisse, qui cum aliis virtute ac meritis existimationeque digni tunc apparuêre, quibus de tanta re, hoc est de supremo eligendo ut credebant Ecclesiæ capite, restituendisque Ecclesiæ illibato suo decore & antiqua pace, arbitrium concrederetur) ex Episcopis Otto Dertusensis, Georgius Vicensis, & Ludovicus Visensis in Portugallia: ex monachis Benedictinis Petrus S. Cucufatis in Barcinonensi diœcesi, Antonius Arularum in Elnensi, abbates: ex canonicis cum Ioanne nostro Ovetensi Bernardus de Bosco Ilerdensis, & Raymundus Albioli Turiasonensis Ecclesiarum.

178. Isti vero omnes Episcopi Cardinalatu postmodum fuêre à Felice V. tunc ab iis electo remunerati. Otto quidem Dertusanus, cognomento de Moncada: Georgius de Ornis Vicensis: cuius inscripti nomine sermones tres anno MCDXXXVIII. habiti Mss. asservantur in bibliotheca Basileensi, Spizelio teste ᵠ: Ludovicus de Amaral Visensis, Portugalliæ Regis Legatus, de cuius rebus gestis latè atque eruditè pro more suo Antonius Macedus in *Lusitania* egit *Purpurata* ʳ. Sed priores duo, quum Felix Eugenio decessit & sublatum schisma fuit, honore spoliati sunt; tertius iam priùs obierat. Horum trium & aliorum electorum Hispanorum virtutes Ioannes noster in declaratione eorum quam apud Æneam Sylvium ˢ patribus fecit, sigillatim enumerat.

179. De Segoviensi nostro ut iam dicamus, maximaque in confessu isto privati hominis existimatione & auctoritate, aliquot colligemus data ei ab Ænea Sylvio, qui tunc à secretis erat patribus & ea quæ vidisset, literis tradidit, summarum laudum testimonia. *Theologiæ peritissimum* primo libro *De gestis Basileensibus* vocat, cùm de responsione eius ad Nicolai de Tedeschis, abbatis Panormitani nuncupati, quandam orationem agit ᵗ. Deinde: *Inter tot tamen strepitus* (ait ᵘ) *turbulentasque vociferationes non defuit spectato & optimo viro Ioanni Segovio ex gymnasio Salmantino theologo audientia; quoniam & illum Conciliares avidi audiebant, quasi ex suis unum; & alii virtutem hominis, summamque bonitatem etiam inviti venerabantur. Tanta est enim virtuti innata auctoritas, ut etiam in hoste colatur; verumque Virgilianum illud in eo fuit:*

Tum

(1) Et hunc *Theologi Salmanticensis* titulum Ioanni tribuit Regis Galliarum codex 1494. III. Part. p. 130. & Fabricius med. & inf. T. IV. p. 142. Actaque Concilii Basileensis, ut paulo inferius.

° Basil. Concilii sess. 38. §. 3. Æneas Sylvius lib. 2. *De gestis Concil. Basileensis.*

ᵖ Lib. 2. *De gestis Basil.*

ᵠ In *sacris Bibliothecar. illustrium annis* pag. 33.

ʳ Pag. 169.

ˢ Lib. 2. De actis Basil.

ᵗ Pag. in edit. *Pragmatica* 766.

ᵘ Pag. 794.

Tum pietate gravem ac meritis, si fortè virum quem
Conspexere, silent, arrectisque auribus adstant.

Omnes namque, ut assurrexit Ioannes, silentium tenuerunt. Ille autem postquam desiderari sua verba cognovit, sic exorsus est &c.

ˣ Pag. 807.

180. Initio item libri secundi ˣ, *summâ scientiâ virum* appellat; & quum de datis futuro conclavi, in quo eligendus erat iudicio eorum Pontifex, cibariorum legibus refert: *Rigidus* (ait ʸ) *huiusmodi legum non solùm observator, sed custos etiam fuit Ioannes Segovius, qui non aliter violare alienas leges exhorruit, quàm suas proprias apud Romanos Arrius Restio: de quo illud memoriale fertur, eum foris, quoad vixit, postea non cœnâsse, ne testis fieret contemtæ legis, quam ipse bono publico pertulisset.* Idem Sylvius, *venerabili & doctissimo magistro Ioanni de Segovia theologo excellenti sanctissimi domini nostri Felicis ad diætam Bituricensem oratori* direxit epistolam, quâ eum de coronationis Amadei, seu Felicis, Basileæ nono Calendas Augusti MCDXL. peractæ solennibus certiorem fecit. Atque hæc edita est in eiusdem *Pragmaticæ* editione post *Gesta Basileensia*, unde etiam liquet missum eum Felicis oratorem ad conventum Biturícæ in Gallia hoc ipso anno habitum hac re super, ut electionis & Concilii res tueretur: in qua legatione comitem certè habuit alterum ex Trium-viris Thomam de Courcellis Gallum ᶻ; cuius tamen muneris infelix iis fuit exitus; cùm Carolus Rex VII. eò veniens displicere sibi quæ facta fuerant, Eugenioque veteri Papæ adhærere se velle declaraverit. Planè cuncta ferè gravissimi huius negotii sed maximè ambigui, & in quo pro utraque parte & rationes & homines decertabant eximiæ auctoritatis, momenta Reges eius temporis, pro virili quisque, ad ea quæ utiliora sibi essent, dirigere videbantur.

ʸ Pag. 817.

181. Destinatus quoque fuit earundem partium defensor cum aliis ad conventum Moguntiæ ab Imperatore indicendum anno MCDXLI. tunc recèns creatus à Felice Cardinalis tituli S. Callisti, ut ex Historiæ Basileensis huius Concilii, quæ auctorem habet Augustinum Patricium Senensem, quamque Philippus Labbeus in Parisiensem ultimam Conciliorum editionem contulit, cap. 113. 117. & 118. constat. Cùm enim Biturícis adhuc ageret, creatus fuit Ioannes à Felice Cardinalis tituli S. Mariæ Trans-tiberim (Augustino Patricio S. Callisti, uti diximus) die XII. Octobris hoc ipso anno MCDXL. Cui quidem honori postea renuntiâsse eum comperta res est, cùm discisso schismate Felix & ipse Pontificatui renuntiavit, & Nicolaum V. tota acclamavit Ecclesia. *Ioannes Segovienſis* (Ioannes Nauclerus ait ª, qui hoc ipso vixit sæculo) *homo Hispanus, moribus & doctrina illustris, qui Amadeo Pontifice Cardinalatûs præeminentiam acceperat, & deinde unioni consentiens, à Nicolao Pontif. Max. dimisso Cardinalatûs titulo, Cæsareensi Ecclesiæ præfectus fuit, monasterio contentus modico.*

ª *Chronol.* vol. 3. ad ann. MCDXXXIX.

182. Eadem Æneas Sylvius vetus amicus in *Europa* sua, qui cùm Amadei renuntiationis in cap. 38. quod *De Sabaudia* inscriptum est, meminisset, nullum alium ex his qui eius electioni se immiscuerunt, quem elogio afficeret, præcipuum habuit, *moribus & doctrina illustrem* vocans; & *qui summos theologiæ præceptores doctrinâ æquaret.* Iacobus Philippus Bergomensis in *Supplemento* ᵇ, Sabellicus Enneadis 10. lib. 3. Franciscus Tarafa *De regibus Hispaniæ* in *Ioanne II.* & alii. Unde neque Ioanni Pinedæ Iesuitæ doctissimo, qui de Ioannis nostri rebus quicquam ut mox dicemus, elucubravit, in dubium verti debuit, an Cæsaraugustæ fuerit antistes factus, Cæsaream de ista urbe intelligenti. Siquidem Cæsareensem Episcopatum ipsi collatum, aliquem nempe ex his qui ita in partibus infidelium vocantur, prædicti omnes auctores constanter produnt; nec vita solitaria, quam in parvo monasterio, sive, ut ait Tarafa, in altissimorum Hispaniæ montium secessu, sibi elegit, cùm Cæsarauguſtanis infulis bene conveniunt.

ᵇ Ad ann. MCDXLIX.

183. Quisnam verò hic locus fuerit, tempusve eius obitus, non ita constat: uti planè certum est in privato isto secessu non inutiliter sibi posterisque, ut paulò pòst dicemus, eum vixisse, atque sanctè diem suum obiisse. Quibus evincitur falsum ab aliquo fuisse S. Antoninum, dum Ioannem Segovienſem non modò Prædicatorum sodalem credidit, sed & statim ab allectione sua in Purpuratorum senatus patres, vitâ functum affirmavit. Sed iam ad scripta. Collegit hic:

184. I. *Concordantias biblicas vocum indeclinabilium:* quas post antiquiores Hugonis Cardinalis, qui ad id operâ usus dicitur quingentorum monachorum, *Grammaticas*, & S. Antonii Patavini *Morales concordantias*, quòd hæc indeclinabilium pars deesset, à nostro elaboratas, in Germania à Petro de Langendorf & Ioanne Frobenio de Hamelburg, præmissa dedicatione Ioannis Brant ad Ioannem Gey-

ᶻ Ex *elencho Cardin.* Contelorii, & Auberio, Oldoinus *De vitis Pontif.* ultima editione Ciaconiana.

ler & Keiſerſperg, editas vidit Ioannes Henricus Hottingerus, ut ipſe refert in [c] *Bibliothecarii* ſui lib. 1. cap. 5. [c] & MSS. exſtare in Baſileenſis urbis bibliotheca Theophilus monet Spizelius in *ſacris bibliothecarum illuſtrium arcanis detectis* [d].

[c] Pag. 172.

[d] Pag. 21.

185. Meminere quidem operis Xyſtus Senenſis, Alph. Ciaconius, Poſſevinus, & diſtinctè magis Michael Angelus de S. Romulo Franciſcanus in prologo ad *Concordantias ſacrorum bibliorum Hebraicorum* Fr. Marii de Calaſio his verbis: *Ioannes de Segovia vir planè doctus, canonicus Toletanus, in Concilio Baſileenſi, cùm ei ante negatam Eugenio obedientiam cura demandaretur cum Græcis diſputandi circa proceſſionem Spiritus ſancti; & ex Scripturæ Patrumque locutionibus illarum præpoſitionum* per & ex, *ſenſus omnes & acceptiones eſſent indagandæ, totumque evolveret, & attentiùs legeret Biblicum volumen: omnes dictiones indeclinabiles coniunxit, Gualtero Lonau ſuo ſibi adſtipulante ſacellano; eaſque alphabetario ordine digeſſit: quibus poſtea ſuis locis ſecundum ſyllabicam ſeriem concordantiis declinabilium inſertis prodiêre auctiores & locupletiores: ut non immeritò ob hoc, aliaque, quæ receperunt augmenta, in editionibus recentioribus* Concordantiæ maiores *inſigniantur*. Hæc ille.

186. Cui Segovienſis operæ neſcio quid additum à Gaſpare de Zamora Ieſuita Hiſpalenſi hoc noſtro ſæculo fuerit, editis Romæ anno MDCXXVII. *Concordantiis ſacrorum Bibliorum, duobus alphabetis: altero dictionum variabilium, invariabilium altero* (ut legitur) *abſolutiſſimis*. Cui fortè obvenit, ob ignotum Segovienſis antea iam exantlatum laborem, quod olim mihi cùm iuvenis in ſcholaſtico pulvere adhuc verſarer, in colligendis *Pandectarum nominibus*, antequam in Antonii Auguſtini abſolutum huiuſce rei commentarium incidiſſem.

187. II. *De proceſſione Spiritus ſancti ex Filio* liber: ad diſputandum cum Græcis, cui rei à ſancta Synodo Baſileenſi deputatus fuerat, ut ipſe inquit in præfatione operis ſtatim laudandi ad D. Ioannem Cardinalem de Cervantes, cuius familiaris erat: quod ipſe loco iſto apertiſſimè teſtatum reliquit.

188. III. *De ſumma auctoritate Epiſcoporum in univerſali Concilio*. Ad prædictum Cardinalem directus liber in Concilio Baſileenſi, & Ioanni de Segovia adſcriptus in bibliotheca urbis Baſileenſis exſtat, auctore laudato iam Spizelio *De bibliothecarum arcanis* [e]; & in Regia Eſcorialenſi MSS. librorum (1).

[e] Pag. 21.

189. IV. *De actis Concilii* eiuſdem *Baſileenſis* duo volumina eidem noſtro Ciaconius tribuit [f], ſive potiùs auctores *De vitis Pontificum*. Hoc enim modo, nec aliter tutò allegari poſſunt, poſtquam in editione ultima Romana ſic Auguſtinus Oldoinus cum Ciaconianis ſua confudit, ut quænam huius, quænam iſtius ſint, niſi collatis prioribus editionibus vix appareat. Habemus huiuſce rei potiorem aliis teſtem Auguſtinum Patricium Senenſem canonicum, qui anno MCDLXXX. Iacobi Amanati ſeu Piccolominæi Cardinalis Papienſis iuſſu *Summam Conciliorum* Baſileenſis, Florentini, & aliorum eius temporis, compoſuit: quæ hodie iam Conciliorum Pariſinæ ultimæ editionis Labbeanæ volumine 13. legi poteſt [g]. *In huius Summæ capite* 143. *Quæ hactenus* (inquit auctor) *de rebus geſtis Baſileenſis Synodi perſcripſimus, ex longa hiſtoria & maximis duobus codicibus excerpſimus, nihil omnino prætermittentes rerum publicarum, ſed ſummariè omnia atque integra fide ſumus proſecuti. Hos quidem codices ipſi Baſileæ vidimus magnâ diligentiâ ut Sibyllarum libros à civibus ſervatos: quorum exemplum à reverendiſſimo domino Cardinali S. Marci, rerum Eccleſiaſticarum diligentiſſimo perſcrutatore nuper habuimus. Horum Scriptor & auctor fuerat Ioannes Segovienſis natione Hiſpanus, qui deinde à Baſileenſibus Cardinalis S. Calliſti eſt appellatus: vir quidem magno ingenio & multa doctrina præditus; & qui in ſua pertinacia uſque ad extremum vitæ ſuæ etiam diſſoluta illa multitudine ſemper permanſit. Camerariatus officium geſſit.* Hæc Patricius.

[f] In Felice V.

[g] Col. 1488.

190. V. *De immaculata Virginis Deiparæ conceptione:* ſive extenſiùs, *Septem allegationes, & totidem aviſamenta pro informatione PP. Concilii Baſileenſis anno MCDXXXVI. circa ſacratiſſimæ Virginis Mariæ immaculatam conceptionem, eiuſque præſervationem à peccato originali in primo ſuo animationis inſtanti.* Opus hoc Petrus Alva & Aſtorga Franciſcanus ex MS. Eccleſiæ Hiſpalenſis cuius exemplum Matriti reperit, aliiſque, ut ipſe ait, Gallicis, & Belgicis, anno MDCLXIV. in folio apud Balthaſſarem Vivien Bruxellis edidit. Duplex quidem opus idem continet, quem deſcripſimus, titulus. *Allegationes* enim ab *Aviſamentis* ſeries, ac tenor utrorumque diſtinguit apertiſſimè. *Al-*

(2) Fruſtra hunc codicem in Catalogis noſtris Eſcurialenſibus quæſivi.

Allegationes tantùm continet codex Hiſpalenſis, quem è pulvere extractum D. Petri de Caſtro & Quiñones Archiepiſcopi tempore, Ioannes Pineda Societatis Ieſu, vir doctiſſimus, recognovit, notitiaque Ioannis Segovienſis auctoris eruditâ locupletavit. *Aviſamenta* verò Pariſiis in Fucana, ut ait, bibliotheca Petrus Alva invenit.

191. Et quidem Segovienſis *Allegationes* has, ut ex proœmio earum conſtat, in conſeſſu PP. oppoſuit *Aſſertionibus* Ioannis de Montenegro S. T. magiſtri ex ordine Prædicatorum, & Lombardiæ Provincialis, qui contrà nitebatur. Ioanni verò Segovienſi poſtmodum anno MCDXXXVII. Ioannes de Turrecremata ſuum illum *De veritate Conceptionis beatiſſimæ Virginis tractatum* repoſuit: qui editus apud Antonium Bladum anno MDXLVII. Romæ fuit: quod in ipſius tractatus par. 1. c. 8. is admonet, ubi mentionem facit ex adverſo locuti Segovienſis, cum *Venerabilis S. Theologiæ profeſſoris & magiſtri Ioannis de Segovia compatriotæ ſui* elogio. In eodem Concilio Baſileenſi, ut ipſe refert in præfatione iam laudata libri *De proceſſione Spiritus ſancti* ad Cardinalem ſuum Io. Cervanteſium, plures alios compoſuit *tractatus*, publicas fecit plures *Allegationes*, & inter alias *De materia communionis ſub utraque vel altera tantùm ſpecie*, cum Bohemis diſputans.

192. VI. *De mittendo gladio ſpiritus in Saracenos*. Nempe zelo propagandæ ad Mahometanos etiam Fidei ardens noſter in monaſterio illo, quo ſe incluſiſſe ſuprà diximus, vocatis ex Hiſpania legis Arabicæ magiſtris (ut Æneæ Sylvii in *Commentario* ſuo, quem anno MCDLVIII. ſcribebat de Europæ ſtatu ſub Frederico III. Imperatore, verbis utar) *librum, quem vocant* Alcoranum, *& in quo Mahometis pſeudo prophetæ non tam myſteria quàm deliramenta continentur, in noſtram linguam de novo convertit; & ineptias eius veris ac vivis rationibus & argumentis exploſit*. Eadem Nauclerus, Bergomenſis, Franciſcus Tarafa, & Ioannes Eiſenſgreinius, præter noviores. Hunc autem poſuiſſe titulum operi, quod aliàs *Contra Saracenos tractatum* Alphonſus Spina *Fortalitii* auctor vocat [h], ex eodem libro conſtat. Nos certè MS. olim vidimus ſed aliqua parte mutilum, penes amicum olim, dum viveret atque in Eccleſia Hiſpalenſi Portionarii munere fungeretur, noſtrum Martinum Vaſquium Siruela, virum eruditiſſimum: cuius operis capitum ſummarium quod integrum eſt, ne totus labor pereat, infrà ſubiungemus.

[h] Lib. 1. in 4. examine fol. 13.

193. Prologus ita concipitur: *Præfatio Ioannis de Segovia Cæſareenſis Archiepiſcopi ſummatim quædam explicantis de lege Mahumeti, & aviſantis de mittendo gladio ſpiritus, accendendoque gladio divini amoris in corda Saracenorum, & eorum converſionem in ſacramenta catholicæ Fidei, à qua multum retrahit eos iuxta legem ſuam Chriſtianis falsò imponentes, adoratores eſſe plurium deorum, quia Patris, Filii, & Spiritus ſancti, quos vocant Dei participes, ſeu ſocios; ac quòd impoſſibile eſt Deum hominem eſſe. Super his autem deſcribuntur* XL. *conſiderationes* (in elencho deinde earum deſcribendo, XXXVIII. dumtaxat ſunt, deeſſe tamen videtur aliquid) *inſertis intelligentiis duodecim, De myſterio Trinitatis, & de Incarnationis ſacramento, ſeptem advertentiis; annexa illis duodecim expoſitione primæ partis Symboli Athanaſii; & his ſeptem declaratione prævia, quid propriè ſit auctoritas.*

194. Sequitur elenchus capitum quæ ſummam integri operis continent, iſque ut ex veteri ſcriptura, quomodo potuit, tranſlatus.

195. I. *Conſideratio. Quòd per divini verbi expoſitionem intelligendum ſit ad converſionem Saracenorum Epiſcopis ac doctoribus Fidei catholicæ in ea re exiſtimaturis exemplum doctrinamque exſequentibus eius, quam gentibus inſinuandam eſſe voluit uſque ad ſæculi conſummationem.*

196. II. *Conſideratio. Explicat bellorum cauſas per Saracenos continuandorum ſemper in Chriſtianos, manente lege Mahometi, id ipſum multifarie, multiſque iubente modis.*

197. III. *Conſideratio. Pro guerrarum ceſſatione aviſamentum continet, ſi videatur ex parte Chriſtianorum perſequendum ut per confeſſionem publicam Fidei, quæ perſæpè eſt de neceſſitate ſalutis, defendatur honor Chriſti, Eccleſiæ, prælatorumque eius in omnem partem, ſive boni, aut mali ſint, in lege Mahometi turpiſſimè diffamatorum, & virtualiter omnium Chriſti fidelium, qui tamquam legis variatores & idololatræ in ea deſignantur.*

198. IV. *Conſideratio. Narratis ſummariè collationibus nonnullis habitis cum Saraceno quodam ambaſiatore Regis Granatæ, notat quòd ſit compatiendum cæcitati Saracenorum, ex ſolo defectu intelligentiæ imponentium Chriſtianis plurium adoratores eſſe deorum, & negantium Incarnationis myſterium, ſcilicet, quòd multi eorum attentè audiunt ſobriè expoſitam veritatem.*

199. V. *Conſideratio. Quòd non ſatis eſſe putatur ad exponendam Fidei catholi-*

licæ veritatem Saracenis mitti duodecim viros, ut Apostolos Christi in pauperate; cùm pro temporalibus causis ad eos mittantur ambasiatæ magnificæ; & quòd adeptio terræ per eos inhabitatæ vi armorum pluries facta hactenus fuit minimè permanens, à tribus annis id ipsum probante experimento in quam multis enumeratis passagiis Christianorum.

200. VI. *Consideratio. Ex effectu ostendit quàm brevi tempore velut infinita multitudine belligerantium exundaverit lex Saracenorum, cuius indulto semper ac magis augetur; & an deceat pietatem Christianæ Fidei illis primum exponere causas belli; & si, aut quomodo hactenus exstitit factum.*

201. VII. *Consideratio. De spe multitudinis convertendæ Saracenorum, eorum lege plurimas quæ inseruntur, affirmante veritates catholicæ Fidei, quantum verò ad mores virtutesque plurimas in Evangeliis contentas persuadente.*

202. VIII. *Consideratio. Septenario divisis numero erroribus in Alcorano contentis, duos principales exponit de mysterio Trinitatis & Incarnationis; & quare Mahometo non fuit difficile illos introducere sub colore auferendæ idolorum culturæ, vexantibus adhuc Ecclesiam erroribus Arianorum & Nestorianorum tunc vigentibus.*

203. IX. *Errores describit in lege Mahometi contentos quantum ad legem matrimonii, quam vocat castitatem, quamplurimum laxatis habenis pro saturanda libidine.*

204. X. *Recitat exhortationes, præceptaque multiplicatissima sectæ Mahometi, ut Saraceni pugnas prædasque semper continuent, indulgentiam concedentis plenariam omnibus interemtis, & interemtoribus Paradisi quoque celsiore promisso gradu præ aliis benefacientibus.*

205. XI. *Designat mendosas excessivè laudes libri Alcoran, aliosque multos absque nexu contentos errores.*

206. XII. *Prout in Alcorano describitur, recitat Paradisum ultimamque beatitudinem per Mahometum Saracenis promissam in voluptatibus dumtaxat corporeis, & deliciis consistentem.*

207. XIII. *Consideratio. Alloquitur prælatos Ecclesiæ, doctoresque catholicæ Fidei, ut subveniant tam infinitæ multitudini hominum Christi sanguine redemtorum quorum cæcitas manifestiùs agnoscitur ex promissa illis beatitudine, latâ portâ, & spatiosa patente via in divinis eloquiis, ad exponendas veritates catholicæ Fidei, errores sectæ Mahometicæ exsufflantes.*

208. Sequuntur intelligentiæ duodecim ad exponendum Trinitatis mysterium proximè pertinentes.

209. I. *Intelligentia ad exponendum mysterium Trinitatis, quòd sicut duplex est locutio oris & cordis, ita duplex est verbum, ad eius esse quatuor conditionibus requisitis.*

210. II. *Intelligentia. Quia omnis cognitio est per similitudinem rei cognitæ; quòd cognitio ipsa ab specie rei cognitæ & intellectu procedens, est magis propria similitudo rei cognitæ, quàm eius species; quodque omne ens intellectuale agnoscit se per suam propriam similitudinem, ac Deus quoque.*

211. III. *Intelligentia. Quòd Verbum Dei ab eo productum seipsum cognoscente est dumtaxat Dei similitudo, non verò creaturarum: quodque non est aliud quàm ipse Deus.*

212. IV. *Quòd licèt Verbum Dei idem sit quod Deus, nihilominus quà est similitudo Dei, imago quoque eius, quòd inter Verbum Dei & ipsum Deum necesse est intelligi distinctionem; quia Verbum non à se dicitur, sed ab alio; nec imago aut similitudo est respectu sui, sed alterius.*

213. V. *Intelligentia. Quia Verbum Dei, quod est imago similitudoque eius, à Deo procedit tamquam vivus à vivente; estque sibi similis omnino, immo id quod ipse Deus; quòd igitur processio hæc nativitas dicitur, Deusque Pater, & Verbum verissimè est filius eius.*

214. VI. *Intelligentia, explicitè declarans quare non verbum hominis vel angeli, sed Dei Verbum dicitur Filius, eiusdem quoque naturæ cum Patre, totam divinam substantiam, omnesque divinas habens perfectiones; & quare nullatenus esse aut dici creatura potest, deque stupore Saraceni his auditis.*

215. VII. *Intelligentia. Quia inter Deum patrem eiusque Verbum infinitus est amor mysticus ab utroque procedens, quòd hic amor est Deus Spiritus Sanctus; quodque huiusmodi tres, Deus, Verbum eius, & Amor sint tres personæ coæternæ sibi & coæquales.*

216. VIII. *Intelligentia, commemorans quædam ex prædictis palam facio, quòd necesse* [i] *est intelligere in Deo tres esse personas impermutabilis ordinis, quodque non plures quàm tres.*

217. IX. *Intelligentia exemplariter manifestans quamvis singula proprietatum personas divinas constituentium unum idemque omnino sint cum deitate; nihilominus quòd suam servent rationem alteri comparata*

[i] Sic videtur scriptum abbreviate, ut sensus constet.

ta proprietati, intelligi facit personas invicem esse distinctas, distinctionem hanc minimè impediente immensitate divinæ essentiæ, sed corroborante.

218. X. *Intelligentia, explicatione particulari declarans apertiùs constitutionem distinctionemque personarum divinarum, & quomodo longissimè exsulat ratio compositionis ab eisdem habentibus omnimodam similitudinem, æqualitatem, consubstantialitatem, identitatem, atque circuminsessionem, ut una sit in altera.*

219. XI. *Intelligentia apertissima demonstrans ratione, quòd tres divinæ personæ tres Dei esse non possunt, aut tria principia rerum; sed quòd sunt una tantùm & prima causa, & primum principium.*

220. XII. *Intelligentia, licèt in Filio & Spiritu sancto sit potentia generandi, ac in Spiritu sancto spirandi: quare non potest generari alius Filius, nec spirari alius Spiritus sanctus? & quòd licèt Deus sit omnipotens, non potest alium facere Deum, quia repugnat Deum esse creatum aut factum.*

221. *Conclusio duodecima præcedentium intelligentiarum exponens docta speculatione descripta in Symbolo Athanasii, quantum ad mysterium Trinitatis, de quo sentitur quadrifario gradu* [k] *sp. celsiori.*

[k] Ita scriptum, aut *super*, aut *semper*, fortè.

222. *Præfatio in septem advertentias de mysterio humanæ redemtionis declarans radicitus differentiam inter auctoritatem & intelligentiam veritatis; & quomodo nisi credatur divinis verbis, nunquam intelliguntur, verbis autem hominis quòd non creditur, nisi primo intelligantur; quodque Saracenis non credentibus auctoribus canonis sacri exponenda sunt mysteria Fidei ratione.*

223. *Conclusio duodecim intelligentiarum & præloquium septem animadvertentiarum sequentium.*

I. *Animadvertentia de sacramento Incarnationis. Ad quem finem homo conditus sit suæ conditione naturæ monstrante, quod ad percipiendam æternam beatitudinem debet æternum summumque semper cognoscere & amare.*

224. II. *Animadvertentia, quòd homo factus est à Deo magna perfectus virtute, ut suæ naturæ conditione aptior esset beatitudinem adipisci quàm ab ea deficere.*

225. III. *Animadvertentia, quòd omnis homo veniens in hunc mundum non est talis qualis primus homo fuit à Deo conditus; sed est in dispositione contraria, ad malum inclinatus magis quàm ad bonum.*

226. IV. *Animadvertentia, quòd inclinatio ad malum provenit omnibus hominibus propter peccatum primi parentis Adæ iustissimè à Deo cum tota sua damnati progenie: ut, quia cùm in honore esset non intellexit, iumentis comparetur, legi mentis repugnante lege membrorum.*

227. V. *Animadvertentia describens quid peccatum, quidve satisfactio sit: declarat serioùs gravitatem cuiusvis damnabilis culpæ, præsertim quæ fuit primi parentis, pro qua nec ipse aut quivis filiorum eius satisfacere potuit.*

228. VI. *Animadvertentia, quòd ad satisfactionem pro peccato originali decuit divinam pietatem supplere impotentiam hominis, & sic Deum fieri hominem, ut satisfaceret qui debuit homo, & qui potuit Deus: Filius utique, non Pater, aut Spiritus sanctus; & quòd differens sit confessio mysterii huius per Iudæos, Christianos, & Saracenos. Subiungitur autem lucida speculatione quòd Deus potuit assumere naturam humanam in unitate personæ.*

229. VII. *Animadvertentia, quòd sufficiens, immo & superabundans, pretium fuerit redemtionis humanæ mors spontanea Filii Dei, & quòd permaxima fiducia est Christi fidelibus de assequenda æterna gloria; quia sibi datus est Filius Dei; quia & eius participant sacramenta; quia observant mandata Dei; & quia tenent apud se omnem integritatem divinæ doctrinæ.*

230. *Regressus ad considerationes priores, de Saracenis specialiter alloquentes.*

XIV. *Consideratio. Quòd gentilibus nulla fuit, estque Iudæis spes æternæ vitæ, præmaximè autem Saracenis divinam multifariè despicientibus doctrinam, & abiicientibus à se disciplinam Domini.*

231. XV. *Quòd nulla etiam spes est Saracenis divina mandata non observantibus, sed circa illorum quædam erroneè sentientibus, dum eorum secta contraria divinis præceptis quàm persæpe & in magnis casibus iubet.*

232. XVI. *Consideratio nullam spem Saracenis suffragari; quia nulla habentibus sacramenta, specificatis allocutione & confessione in lege Mahometi contentis, deque ieiunii qualitate omni plena sordidie.*

233. XVII. *Expositio, quid est Iesum dissolvere, ostendit quòd supra omnes alias hæreses Mahometi Iesum dissolvit, eius deitatem omnino negans, necnon mediatoris officium, quod sibimet tribuit Mahometus, tamquam semen sit Abrahæ, in quo benedicendæ sunt omnes gentes; & quomodo præteriens redemtionis mysterium commendat dumtaxat beneficium creationis.*

234. XVIII. *Quòd ut sectatores sui viverent in lege naturæ, nec tenerent legem gratiæ,*

tiæ, aut ſcripturæ, profundiſſimâ nequitiæ uſus aſtutiâ, Mahometus finxit, datam ſibi fuiſſe quam commendat Abrahæ legem; & quòd Abrahæ divina tribuit Scriptura falsò illorum quædam exponens replicatiſſimè mandat.

235. XIX. *Conſideratio inſerit verba libri Alcoran per Mahometum recitata de lege Abrahæ ſuper aliquibus eorum poſitis gloſſis vilificantibus textum.*

236. XX. *Exponit, quare in legibus humanis prior ad poſteriorem trahitur, non autem è converſo; utque videatur ſi ita eſt in divina lege explicat ſubſtantias differentiaſque legis naturæ ad legem Scripturæ, & huius ad legem gratiæ ſub pauciſſimis verbis declarat differentias.*

237. XXI. *Oſtendit quàm à recta ratione exſulet ad priorem trahi poſteriorem legem Dei; & declarat ſpeculativis exemplis Chriſtum non ſolviſſe ſed adimpleviſſe Moyſis legem; quantaque ſit cæcitas apud Saracenos utentes circumciſione poſt eam, quam fatentur, adimpletionem fœderis; & quomodo ex divinis Scripturis probari non poteſt legem aliquam ſpecialem datam fuiſſe Abrahæ.*

238. XXII. *Quòd legem Abrahæ obſervandam Mahometus præcepit, ut ſolvat Ieſum, negans ipſius excellentias, quarum ſpecificantur quædam; quodque præſertim negat redemtionis myſterium, iudiciariamque auctoritatem Chriſti, cuius invidiâ Saraceni audire nequeuntes laudes, quas Chriſto exhibet Chriſtiana religio, conantur extinguere nomen Chriſtianum.*

239. XXIII. *Quòd laudes de Mahometo ſcriptæ in libro ſuo ſunt quadrifariam: aliæ perſonam eius concernentes, aliæ ſingulariores virtutum actiones; tertiæ quale de ipſo, dum viveret, commune fuit iudicium; & poſtremò quæ miracula fuit operatus. Duo prima genera primò exponuntur, quibus innoteſcit qualis fuit ſpiritus loquens ad eum, permaximè ex tenore multiplicium, quæ illi fecit, iuramentorum.*

240. XXIV. *Conſideratione deſcribitur de vita & actionibus Mahometi: qualiter pervenit ad principatum, & quid de his conſtat, teſte libro ſuo; deque probatione Mahometo facta per ſpiritum ſuum in expugnationibus aliorum, & quomodo illi defecit circa purgationem infamiæ.*

241. XXV. *Præmittens quomodo ſæpè Mahometus affirmat opera naturæ, artiſque & fortunæ miracula eſſe, notificat decem alias excuſationes deſcriptas in libro Alcorani, quare Mahometus non faciebat miracula.*

242. XXVI. *Deſignat miracula quæ in libro Alcorani facta narrantur, quadruplici differentia inter illa ſiſtente; quia aut tantùm dicuntur confusè ut intelligentia haberi non poſſit; aut rationem habent miri ſeu mirabilis, non verò miraculi; aut dicunt pollicitationem, non autem exhibitionem; aut ſunt inviſibilia, per homines nuſquam viſa.*

243. XXVII. *Recitat miraculum unum de ſeptem dormientibus, quod Mahometi ſpiritus ſibi attribuit feciſſe ad probationem reſurrectionis futuræ, illud referens, ut moris ſui, cum fabulis multis; quòd vero nulla fides attribuatur verbis Libri ſubiunguntur dicta quatuor conſtantia ex eius tenore, & deducitur ſpecialiter, quòd ſpiritus Mahometum alloquens fuit Belzebub, qui ut ſuum, ita hominum peccata, Deo tribuit, errore hoc in lege Mahometi tamquam pro fide commemorato perſæpè.*

244. XXVIII. *Docta ſpeculatione palam faciens quod fuit peccatum Luciferi, cauſam refert quare ex lege Mahometi tantoperè ſpiritus eius viſus eſt negare Filii beatiſſimæ Virginis deitatem ab ipſo Lucifero concupitam permaximè: quantùm verùm diſtet Iudicii dies multipliciter primò varians; tandem Mahometus exhortatur patienter indurare, quia eius ſpatium eſt quantum quinquaginta millia annorum.*

245. XXIX. *Inquirens facti cauſas, quare Mahometi ſecta tam in breviſſimo tempore convaluit, utrùm ratione legis fuerit principatus Saracenorum, ſive è converſo: oſtendit ex auctoritate Mahometi totam ipſam pendere legem in his ſiſtentem verbis duobus, quòd Deus eſt unus, & quod Mahometus eſt nuntius eius; quodque in collationibus utrimque habendis per Chriſtianos agendum eſt ut Saracenis probatio omnis incumbat Mahometum Dei fuiſſe prophetam.*

246. XXX. *Conſideratio commemorat viginti & unam rationes, quæ pro magna parte haberi poſſunt ex lege Mahometi. Quare ſecta eius acceptata fuit, accipitque, & accipit in dies multiplicationem, quarum ultimæ ſeptem, ut quibuſdam videri poſſit, pungunt magis.*

247. XXXI. *Conſideratio explicat ſeriò reſponſionem primarum quatuordecim rationum, notificans qualitatem dogmatis Mahometi; & quomodo bona ex gratiæ opera abſque recta Fide non valent; quodque manifeſtè reperitur acceptio perſonarum in lege Mahometi, peccata, quamvis minima [1], aliis verò ſuis cultoribus etiam maxima, non imputante.*

248. XXXII. *Conſideratio reſpondet, quatuor ex ſeptem rationibus ultimis allegatis, quare ſecta Mahometi continuò manſit in maiori propagatione; & quòd magna dignum eſt*

[1] Immo *peccata, quamvis minima aliis, ſuis verò cultoribus etiam maxima* &c.

eſt admiratione quomodo id ſit factum abſque gloria martyrii Chriſtianorum inter rationes alias, quia putatum eſt non conuriari [m] (legerem: *contrariari*) *doctrinæ Evangelicæ, quam præ ceteris Saraceni odio habent; & quare non eſt apud eos multitudo librorum divini aut iuris humani, aliaque multa referantur.*

[m] Sic legitur.

249. XXXIII. *Conſideratio ad tres ultimas reſpondet quæſtiones. Quoniam verò maior eſt victoria Saracenorum, quò maior illis ſuccedit victoriarum proſperitas, opportunè illis ſubveniendum eſſe. Et quòd terrore belli vix aut nunquam infidelium fit converſio, ſed exhortatione doctrinaque: ſuper quo narrantur exempla ex libris Regum, & de Bohemis tempore noſtro. Item ſpecificantur multæ rationes quare ab initio per Eccleſiam non* [n] *tam fuit diligentia pro ſecta Mahometi reducenda, ſive exſtirpanda tamquam hæreſi.*

[n] Forſan *facta fuit.*

250. XXXIV. *Conſideratio epilogationem addendo deſignat modos quatuor, quibus cogitari poteſt de converſione Saracenorum, vel alias de ſubverſione* [o] *ſectæ Mahometicæ: explicans minùs convenire duos primos; vel nulla interveniente diligentia Chriſti fidelium, exſpectando à Deo fieri miraculum, vel mittendo prædicatores, nullo conſenſu habito illorum.*

[o] An *ſubverſionem.*

251. XXXV. *Conſideratio de via belli tertia pertractat, ſi gladio anathematis ſunt feriendi Saraceni, ſpecificatis conſtitutionibus quatuor, à quibus excludit ſententia excommunicationis. De reſponſione ad bellorum cauſas eos moventes in Chriſtianos pluribus parte hac ſe offerentibus. Quodque Mahometus ut placeret Arabibus, præcepit, velut eſſent à Deo, prædas, quibus ab initio intenderunt, & hoc probatur.*

252. XXXVI. *Conſideratio multifaria ratione arguit Saracenos adoratores eſſe principis mundi huius, cuius nuntius fuit Mahometus, ſi non confiteantur alium eſſe creatorem mundi, alium eorum legiſlatorem. Explicantur autem* XII. *in quibus vera religio conſiſtere nequit, & quomodo* Belzebub quando *peccavit ab initio, phantaſma proprium arbitratus fuit eſſe Deum.*

253. XXXVII. *Conſideratio proſequitur quartum membrum, quòd opportunum ſit per modum tractandæ pacis intendere ad converſionem Saracenorum, ſeveritati parcendo ob multitudinem eorum, ignorantiamque ipſorum inſtruendo, & ſic notitiâ veritatis uniendo animos, violenta pace nunquam firma manente. Cùm verò eadem ſint principia eſſendi & conſervandi, quamvis hoc Mahometi ſecta non ſervat, quod decet religionem Chriſtianam, uti originem accepit per verbum Dei vivi, ſic ſemetipſam continuare, & ſibimet ſubdere orbis nationes, talibus armis ſibi conceſſis.*

254. XXXVIII. *Conſideratio, quia per Dei verbum generantur filii eius, abiiciendos fore Saracenos ex hac permaxima dignitate, ex cuius declaratione intueri poſſunt felicitatem eis promiſſam non eſſe veram; & quòd intelligendo participes, ſicut lex accipit eorum, Chriſtiani non ſunt reputandi increduli. Reſpondeturque ad rationes legis eorum, negantes Deum habere filium, Chriſtianis ſecundùm intellectum eorum etiam negantibus Deum non aſſumſiſſe perſonam hominis.*

255. Deſunt, ut videtur, ſummaria duarum *Conſiderationum*, triceſimæ nonæ & quadrageſimæ, ſi error non eſt in numero iſto in capite ſeu præfatione operis aſſignato.

256. Circa hanc, de qua ſuprà diximus, Alcorani converſionem ex Arabico in Latinum ſermonem, obſervatione non indignum eſt Petrum Toletanum, ſive Robertum Ketenenſem Anglum, iuſſu Petri Cluniacenſis abbatis in Hiſpania tunc morantis circa annum MCXXX. priorem aliam feciſſe, aut forſan duas Alcorani tranſlationes: quibus habitis Petrus ipſe Cluniacenſis opus ſuum adverſus hanc ſectam ſcripſit (1). Sed cùm tranſlatio Ketenenſis quæ exſtat, plures defectus habeat (de quo iam nos in Petro Toletano lib. 7. cap. 5. aliqua): deſiderandum eſſet alterius huius interpretis converſionem prodire in lucem integram: cuius Suratta prior cum Roberti & Hermanni interpretatione edita eſt, ait Huetius, adiungens: *quæ an Ioannis Segovienſis, alteriuſve ſit, aliorum eſto iudicium.* Hæc ille poſteriore libro *De interpretatione.*

257. Exſtat quidem inter Vaticanos codices MSS. is qui numero 2923. ſignatus eſt, cuius, quia ad hoc Segovienſis noſtri opus pertinet, deſcriptionem quandam facere lubet. Incipit ſcriptura: *Reverendiſſimo in Chriſto patri & venerandiſſimo domino domino Eccleſiæ Cardinali Senenſi, præceptori ac ſpecialiſſimo benefactori ſuo.* Deinde poſt nuncupationem: *Omnimoda cum humilitate* &c. ſubcribitque epiſtolæ huic ſive prologo: *Servitor ac ſupplex diſcipulus Ioannes de Segovia Cæſareenſis Archiepiſcopus.* Data epiſtola fuit: *Ex prioratu Eſthon, Manzianenſis diœceſis..... Maii an-*

(1) De hac *Petri* potius *Magiſtri* Toletani quam *Roberti Ketenenſis* Latina Alcorani ex Arabico verſione, dictum latè, ſuprà *Lib. VII. cap. V. n.* 95. *in Not:* quo loco Ketenenſem, *Epitomen Alcorani, non purum eius Libri textum* ex Arabico in Latinum ſermonem convertiſſe coniiciebamus.

no MCDLVIII. Epiſtola longiuſcula eſt ad Cardinalem Senenſem, quem Franciſcum Ammanatum intelligas, Cardinalem Senenſem vulgò appellatum. In fine eſt *Summarium capitulorum in epiſtola contentorum.* Sequitur folio 35. reſponſio eiuſdem Cardinalis ex Inſpruck XXIX. Decembris ſubſcribitque *filius N. Cardinalis* manu propria. Sequitur folio 39. alia epiſtola ad quendam, ut apparet, Ducis Burgundiæ ſubditum: quem refert ſcripſiſſe adverſus Alcoranum quoddam opus ſermone vernaculo, iuſſu eiuſdem Ducis, quod transferri in Latinum idem præceperat; gratulaturque ei quòd eâdem atque ipſe curâ diſtineretur. Refert item ei Cardinalem N. mandâſſe ad ſe librum quem ediderat *De pace fidei habenda cum Iudæis, Saracenis, Arabibus, Perſis, Armenis, & multis aliis diſcedentibus à Chriſtianæ religionis cultu*, &c. Tum opus ſequitur, quod ipſum idem eſſe cum ſuperiùs laudato exiſtimamus. Folio tamen 145. inſcriptum legitur: *Allegationes libri Alcorani de peccatis primi parentis facientes mentionem*: quam epigraphen non vacat nunc cum ſummariis iam ſuprà poſitis conferre. Folio item 157. *Ex plurimis in ea contentis primi errores legis Mahometi excerpti de libro legis ipſius Alcorani nominati.* Et 164. *Tituli documentorum & ſpeculativarum inquiſitionum.* Et folio 186. *Præfatto Ioannis de Segovia Cæſar. Archiepiſcopi in tranſlationem noviter editam ex Arabico in Latinum, vulgaremque Hiſpanum, libri Alcorani per Saracenos reputati legis divinæ*, &c. Cuius præfationis exemplum penes me habeo ex laudato codice excerptum (1).

258. His iiſdem cum Baſileenſibus patribus Romanæ controverſiæ immiſcuit ſe, & conatus fuit calamo Eugenii Papæ tueri partes IOANNES DE CASANOVA, quem *Theologum* vocat *inſignem* Alphonſus Ciaconius in *De vitis Pontificum & Cardinalium* ſub Martino creatorum volum. 2. pag. 864. Unde novimus Aragonenſem hunc patriâ fuiſſe, genere nobili, & ſodalem Dominicanorum Barcinonenſium ab anno huius ſæculi tertio. Cùm ad confeſſiones ſacramentales Aragoniæ Regis (Alphonſi Magni ut credimus) audiendas deligi meruiſſet in iuvenili adhuc ætate: evocatus fuit Romam ad magiſterium ſacri Palatii adminiſtrandum, quo tempore, furente Baſileenſis Concilii æſtu, ſcripſit adverſus hunc conventum

259. *De poteſtate Papæ ſupra Concilium*, aliaque multa, ut aiunt, theologicæ doctrinæ. Factus è Magiſtro ſacri Palatii Boſanus in Sardinia, mox Elnenſis in Catalonia Epiſcopus, octavo tandem Novembris die anni MCDXXX. à Martino V. obtinuit annumerari patribus purpuratis, quamvis ab Eugenio poſt quinque menſes pileum receperit. Deceſſiſſe eum fama eſt primâ Martii MCDXXXVI. Florentiæ, aliàs Barcinone: quorum prius è monumentis Vaticanis & cœnobii S. Mariæ Novellæ Florentiæ urbis conſtare ait Ciaconius; inde tamen corpus eius ad Barcinonenſem Dominicanorum domum non diu poſtea tranſlatum fuiſſe (2).

Pa-

(1) *Ioannis Segovienſis in Bibliotheca Regis Galliarum* Part. III. pag. 111. cod. 1441. exſtat: *Liber de auctoritate Epiſcoporum in Concilio generali.* Authenticus... Item Pag. 112. cod. 1442. n. 8. *Dicta famoſiſſimi ſacræ Theologiæ Doctoris & Magiſtri Ioannis de Segovia circa materiam neutralitatis Principum.* Authenticus.. Item Pag. 130. cod. 1494. quod eſt authenticum Actorum Concilii Baſileenſis exemplum Regio iuſſu deſcriptum: *Acta Concilii Baſileenſis auctore Ioanne de Segovia Theologo Hiſpano*; et pergit: *Ioannes de Segovia Doctor Hiſpanus ſcientia & morum candore claruit. Academiæ Salmanticenſis, & Ioannis Caſtellæ Regis iuſſu Baſileam profectus ab initio fere ad finem uſque Baſileenſi Concilio interfuit: hiſtoriam Concilii à primo eius exordio* ad annum uſque MCCCCXLIII. *novemdecim collationibus ſive libris perduxit; inſeruitque paſſim & ſuo quæque loco non modo Decreta & Epiſtolas Synodales, verum etiam quæcumque pertinent, cùm ad Bohemorum reductionem, tum ad Græcorum reconciliationem; & exinde ad illud bellum memorabile, quod Concilium inter & Eugenium IV. exarſit* &c. Item, Pag. 421. cod. 3457. *Ioannis de Segovia* CANONICI TOLETANI: *Adviſamenta ſeptem de ſancta Conceptione* MARIÆ *Virginis Beatiſſimæ Dei Genitricis, oblata de menſe Octobris anno Domini MCCCCXXXVIII. Deputatis à ſacro Baſileenſi Concilio ad videndum & referendum quæ in diſputationibus utrimque fuerint allegata;* Atque ad calcem: *Eiuſdem, Officium & miracula Beatæ MARIÆ Virginis...* Item, Pag. 443. cod. 3650. *Ioannis de Segovia Cæſareenſis Archiepiſcopi ad quendam S. R. E. Cardinalem Epiſtola pro exterminanda Saracenorum ſecta.* Ac demum Pag. 564. cod. 4225. *Ioannis de Segovia* CANONICI TOLETANI *ſuper neutralitate & proteſtationibus factis per Oratores quorundam Principum intendentium declinare ad tempus ab obedientia ſacri Baſileenſis Concilii...* In Bibliotheca Vaticana olim Ducis Urbinatenſis num. 402. ſub titulo: *Æneæ Sylvii Epiſtola*, habetur: *Ioannis de Segovia Cardinalis Sancti Callixti Epiſtola*, cuius initium: *Trinas ſuperioribus* &c. In eadem, olim Comitis Palatini ad Rhenum Lit. C. n. 600. *Tractatus de Conciliorum & Eccleſiæ auctoritate;* repetitus Lit. E... Item Pag. 112. n. 286. *Eiuſdem*, cum titulo *Oratoris Regis Caſtellæ & Legionis, Sermo in Epiphania Domini;* & pag. 273. n. 600. *Tractatus ſuper præſidentia in Concilio Baſileenſi.* Plura forſan apud Fabricium, Labbeum, & præcipue apud Martenium & Durandum. In Bibliotheca Eſcurialenſi nihil prorſus.

(2) Nihil præterea de huius ſcriptis Quetifus & Echardus in eo, *T. I. Scriptor. Ord. Præd. pag.* 791. niſi diverſum ſit opus inſcriptum: *De poteſtate Papæ* &c. ab Eiuſdem *Tractatu contra Schiſmaticos Baſileenſes.*

260. Patribus autem Concilii Baſileenſis, aut ſaltem iis qui geſtis in eo rebus ſe immiſcuerunt, annumerandus etiam venit ANDREAS DE ESCOBAR Benedictini ordinis, Megarenſis Epiſcopus. Ita enim legitur inſcriptus duplici commentario, quod in bibliothecæ Vaticanæ codicibus 4067. & 4117. cum aliis de Baſileenſis Concilii rebus, continetur. Primum eſt

261. *Tractatus copioſus contra quinquaginta Græcorum errores, ſanctiſſimo domino noſtro Eugenio IV. legitimo & indubitato Pontifici..... intitulatus, de Græcorum errantibus, & ipſorum erroribus.* Incipit: *Tractatus optimus in nomine Domini Ieſu Chriſti à paupere Epiſcopo Megarenſi ordinis S. Benedicti in theologia magiſtro Andrea Hiſpano de Scobar compoſitus & collectus,* &c. In fine repetit: *Tractatus iſte De Græciæ errantibus ad ſtudium iuris Eccleſiæ valde utilis & neceſſarius, completus fuit & recollectus ex multorum doctorum theſauro anno Domini noſtri Ieſu Chriſti MCDXXXVII. die* XV. *menſis Decembris Bononiæ.*

262. Hic ille annus fatalis fuit Eccleſiæ paci, quo poſtquam diſſidentes Eugenius IV. Pontifex & Baſileenſes Patres, nullo modo convenire potuerunt in idoneo aliquo Italiæ loco Græcis Epiſcopis quò cum noſtris concurrere poſſent, communibus votis deſignando: res eò tandem fuit deducta, ut Eugenium Baſileam vocatum, nec venientem, Baſileenſes tamquam contumacem declaraverint, unde prætenſa deinde exauctoratio fuit ſecuta. Tunc temporis Bononiæ aderat Andreas noſter, ut vidimus, ubi & Eugenius. Inde forſan & aliud emiſit opus huius tituli, quod codex Vaticanus 4117. manu exaratum ſervat: *Gubernaculum* ſcilicet *Conciliorum per dominum Andream Epiſcopum Magorenſem* (lege *Megarenſem*) *editum, & Domino patri & domino Cardinali Legato tranſmiſſum.* Incipit: *Ad perpetuam Conciliorum generalium memoriam, & ipſorum reformationum faciendarum ac ſtatutorum in ipſis ordinandorum, adviſamenta nonnulla corrigenda, addenda, minuenda per vos pater, reverendiſſime domine Iuliane de Cæſarinis tit. S. Angeli Cardinalis digniſſime, & nunc in ſacro Concilio de conſenſu univerſalis Eccleſiæ catholicæ, & ſanctiſſimi domini noſtri Papæ Eugenii IV. præſidens, iuſtiſſimè tibi ſtabo* [p] *tractatum præſentem*, &c.

[p] Forſan *dabo* (1).

263. Quod quidem ſcriptum ad eum fuiſſe datum anno circiter MCDXXXI. *Biblioth. vet. Hiſp.* Tom. II.

quo ab Eugenio IV. datæ Iuliano partes fuere ut Baſileenſi Concilio præeſſet [q], exiſtimare poſſumus; eò quòd in fine ſcripta hæc notula ſit, diverſæ quidem manus, ſed eius antiquitatis quam ipſe præfefert, nempe: *Hunc librum emit magiſter Ioannes de Turrecremata Baſileæ anno MCDXXXII. Martii decimâ.* At hoc opuſculum potuiſſet utique conciliaribus aliis adiungi, quæ Philippus Labbeus & Gabriel Coſſartius, Ieſuitæ doctiſſimi, in *Apparatu ad ſacroſancta Concilia* novæ luci edidere.

[q] Raynaldus hoc anno, num. 17.

264. Idem, ut credimus, Andreas Hiſpanus eſt cuiuſdam tractatus *De decimis* auctor: qui in magnæ collectionis *Tractatuum Doctorum*, voluminis XV. partem ſecundam coniectus fuit;

265. Necnon & alterius commentarii *De forma & modo confitendi peccata ſacerdoti*, qui ſub nomine *A. Epiſcopi Megarenſis* Daventriæ MDIV. in 4.° atque item ſub *Andreæ Hiſpani* Argentorati MDVIII. excuſus fuit. Andreæ Scobaris *Lumen confeſſorum* MS. exſtat in bibliotheca Ambroſiana. Legimus apud Poſſevinum *Antidotario animæ* Nicolai abbatis de Bogardis præfixum, Norimbergæ, ut credimus, apud Hieronymum Holſel MDVIII.

266. In bibliothecæ Antonii Auguſtini Tarraconenſis antiſtitis catalogo Andreæ de Dati Hiſpani Epiſcopi laudatur tamquam in ea ſervatus liber huius tituli: *Quædam notabilia depromta ex libro inſcripto:* Lumen confeſſorum, *De reſtitutione*: quæ aut noſtri Andreæ ſunt, aut ab eius hoc opere per alium excerpta. Attamen idem nuper laudatus Poſſevinus ex uno tres Andreas fecit, primum Hiſpanum Benedictini ordinis Epiſcopum Megarenſem, deinde Civitatenſem, mox Aiacenſem, poſtremò Cardinalem ac Pœnitentiarium & decretorum doctorem, ut ipſe de ſe fateri ait in nuper dicto *De modo & forma confitendi* tractatu: quod totum confirmatum adiungit (id quod certum eſt) à Ioanne Trithemio lib. 2. *De viris illuſtribus S. Benedicti* cap. 136. & lib. 4. cap. 43. Secundum Andream Hiſpanum, cui iterum tribuit eundem tractatum: tertiumque Andream Megarenſem Epiſcopum, cuius tractatum: *De Græcis errantibus*, & item alterum: *Gubernaculum Conciliorum* nuncupatum, manu exaratos, & in Bibliotheca Sirleti quæ fuit mox Aſcanii Cardinalis Columnæ, exſtantes laudat. Nos pro eodem habemus; nec tamen Cardinalem aliquando fuiſſe crea-

(1) Forſan: *præſidens iuſtiſſime, tibi ſiſto tractatum præſentem.*

tum admittimus; cùm eius creationis nusquam habeatur mentio; neque Trithemius, neque Arnoldus Uvion, aut ex his Balthassar Porreñus de Cardinalibus Hispanis agens, quando, sive à quo Pontifice creatus is fuerit exprimere potuerint. At si Episcopus Civitatensis fuit, quod ad Hispanam Ecclesiam non facilè referimus, videtur idem esse auctor cuiusdam commentarii, quem reperiri inter MSS. libros Theologicos Basileensis bibliothecæ docet nos Theophilus Spizelius in *Sacris bibliothecarum illustrium arcanis retectis* [r] cum hac epigraphe: *Civitatensis Episcopi Chronica recollectio 24. schismatum in Ecclesia factorum à tempore Felicis II. anno CCCLIV. usque ad Benedictum XIII. anno MCDXVII.* in folio (1).

[r] Pag. 29.

CAPUT V.

IOANNES EXIMINI CERDAN *Iustitia, ut vocant, Aragoniæ regni, Iurisconsultus.* PAULUS DE S. MARIA *Burgensis Episcopus. Quædam de eius genere, dignitate, rebus gestis, habitisque in matrimonio filiis. Additiones eius ad Nicolai Lyrani* Postillas, & Scrutinium Scripturarum; *quædamque eius nomen præseferens historia.* ALVARUS GARSIA DE S. MARIA *eiusdem Pauli filius.* ALPHONSUS DE ALPHAMA *Carmelitarum ordinis.* EDUARDUS *Portugalliæ Rex.* THOMAS MIERES *Gerundensis.* IOANNES FRANCES & IOANNES FRANCES BOSCAN *historici Aragoniæ regni.* MARTINUS DIDACI DE AUX. IACOBUS ROIG *Valentinus poeta.* ANONYMUS *Scriptor vitæ Ferdinandi Portugalliæ Infantis Septæ in captivitate martyris. Hic forsan est* IOANNES ALVARES, *qui de eodem argumento scripsit.* HENRICUS *Infans Castellæ magister ordinis S. Iacobi.* PETRUS *Portugalliæ Infans.* IACOBUS MARQUILLES *iurisconsultus Catalanus.* GUNDISALVUS GARSIA DE S. MARIA *Pauli Burgensis Episcopi filius. Eius gesta & scripta.*

267. AB anno proximi retrò sæculi nonagesimo, usque ad huius vicesimum tertium, summa illa post Regem potestate Iustitiæ, ut vocant, Aragoniæ, functus fuit IOANNES EXIMINI CERDAN, Dominici Cerdani filius, cui in magistratu successit, cùm fisci advocatum priùs egisset. Huic laborem in negotiis, fortitudinem in periculis, in agendo industriam, in conficiendo maturitatem, ac in præcavendo consilium, inter alias dotes & innumeras laudes, Hieronymus Blancas clarissimus Aragonensium rerum post Suritam historicus, de rebus eius gestis, in commentario de iis & elencho Iustitiarum attribuit. Cui tandem muneri cessit, ne Alphonsi Regis secum irati maiorem adhuc indignationem provocaret.

268. Vixit tamen sub aliis tribus Iustitiis. Anno enim quinto supra tricesimum Martino Didaci de Aux, qui Francisco Zarzuelæ, qui Berengario Bardaxino, qui nostro Ioanni successerant, nobilem scripsit paulò ante mortis tempus epistolam maximarum rerum plenam, & interdum etiam iocosam: in qua seriem, immo historiam comprehendit omnium qui ante se hunc magistratum gessissent: quæ licèt absque temporum designatione atque ideo non ita luculenter hoc argumentum pertractaverit: ea tamen unica ad illum diem genus hoc scribendi ornavit, dignaque visa est quam publicarum legum volumini earumdem compilatores annecterent. Disertè, ut solet, de hac atque eius auctore Cerdano laudatus iam Hieronymus egit Blancas: cui epistolæ, & alter Hieronymus Surita lib. 8. cap. 38. ornatissimum præcipuæ fidei testimonium perhibuit. Necnon & in *Indicibus rerum ab Aragoniæ Regibus gestarum* ad annum DCCCXLIV.

269. Exstat huius temporis Hispana interpretatio Valerii Maximi, addo & Lucani, nisi fefellit nos qui vidisse librum affirmavit sic notatum: *Este libro de Valerio Maximo escrivio Diego de Lobrañan, criado de Alfon Gonzalez de Leon contador del Rey, por mandado del dicho Alfon Gonzalez, en la muy noble ciudad de Sevilla, año del Señor de MCDXXXIV. años.* In eodem volumine se vidisse Lucani etiam versionem idem nobis asseruit (1).

270. Eodem huius sæculi anno tricesimo quinto, ætatis suæ octogesimo tertio, diem vidit extremum magnus ille, quem de Hebræorum obstinatione Christiana Fides triumphum reportavit, PAULUS à patria urbe BURGENSIS dictus. Prosapiam hic referebat inter Iudæos Hispanos ad Leviticam tribum, quod innuit ipse alicubi [s], dum verba illa *Tribui Levi non mandata est possessio, quia Dominus est possessio eius*, ad Alphonsum filium sermonem dirigens, sibi & suis attribuit. Filiorum iam aliquot parens, egregieque in literis philosophorum ac theologorum instructus, eminentissimusque inter legis Mosaicæ magistros habitus: lecto, ut fama est [t], S. Thomæ Doctoris Angelici *De legibus* tractatu, quæ Summæ pars est theologicæ, divinoque illuminatus veræ lucis radio: collegit prudens in tenebris sese ad illum usque diem ambulâsse, neque ullam aliam præter Christianam legem in via salutis sectatores suos dirigere; atque tunc primùm *de portis mortis* (iuxta Psalmum [u]) *fuit exaltatus, ut in portis filiæ Sion*, seu in iudicio natæ de Iudaismo Ecclesiæ, omnes Dei laudationes annuntiaret. Cuius conversio innumeros eiusdem originis viros & mulieres, exemplum tanti apud eos viri secutos, ad Ecclesiæ gremium pertraxisse dicitur.

[s] In dedicatione *Addition. ad Nicolaum Lyranum.*

[t] Garibay lib. 15. cap 48. Bellarminus & Labbeus *De Scriptor. Eccles.*

[u] Psal. 9.

271. Postquam verò unà cum filiis, matre

(1) Huius Andreæ Scobarii Episcopi Megarensis scripta: *Gubernaculum Conciliorum*, &: *Lumen Confessorum*, nullibi non exstant in nostratium atque exteris Bibliothecis; non item aliud: *De Græcis errantibus, ac de eorum erroribus. Chronicam* autem *XXIV. Ecclesiæ schismatum recollectionem* &c. quade Noster hoc loco agit, nos suprà, hoc Libro, sub finem capitis 2. num. 96. in: *Addendis circa annum MCCCCXX.* ad Gundisalvum eius nominis primum Episcopum Civitatensem per coniecturam retulimus; & fortassis ad eius in Episcopatu successorem Alfonsum Emmanuelem pertinuerit: quem constat Era MCCCCLXVI. sive anno Domini MCCCCXXVIII. obiisse.

ADDENDI AB ANNO MCCCCXXXIV. ET DEINCEPS AD ANNVM CIRCITER MCCCCXL.

HVC referri posse existimo indictos Nostro *Petrum de Toleto* in Academia Complutensi Legum Studentem (nam & ante Card. Franciscum Ximenium, Gundisalvus item Gudielus & Alfonsus Carrillus Toletani Præsules ea in urbe Musarum domicilium fixerant primaque Academiæ fundamenta iecerant, ut docent Alvarus Gomezius *De reb. gest. Ximen. Lib. II. p.* 28. Mariana *XIV.* 16. & *XXIV.* 22.): cuius in Codice Escurialensi *Lit. Q. Plut. II. n.* 9. (T. III. p. 19.) circa annum MCCCCXXXIII. scripto, habentur: *Epistolæ ad Anonymum patruum* Sacrorum Canonum Professorem, Auditorem, & Referendarium, Regiumque Relatorem & Secretarium; huiusque ad Nepotem ἀμοιβαίαι, in quibus agitur *De causa ob quam Angeli in diversis locis simul esse non possunt...* ITEM. *Fratrem Lupum Ferdinandi* Augustinianum (quem Herrera *Alphab. August.* in eo *De Portugallia* cognominat) Scriptorem operis Hispanici inscripti: *Espejo del alma;* atque item tractatus: *De la Penitencia & de las señales por donde se conoce quando es verdadera; & primero de la contricion è sus señales.* Exstat utrumque opus optimæ frugis plenum in Bibliotheca Escurialensi *Lit.* h. *Plut. II. sub num.* 14. (T. II. 85.)... ITEM *Didacum Anayam Maldonatum* Episcopum Salmanticensem, dein Conchensem atque Hispalensem, qui ad annos MCCCCXXXV. & XXXVII. ternas edidit Constitutiones Collegii Salmanticensis Sancti Bartholomæi, vulgo *El Colegio viejo*, recèns ab eo erecti, Salmanticæ anno 1598. apud Petrum Lasum editas. ITEM *Guillelmum de Monserrát* sive de Monte Serrato in Principatu Cataloniæ Scriptorem: *Commenti super Pragmaticam Sanctionem Caroli VII. Galliæ Regis anno* 1439. de potestate Generalis Concilii ac de Episcoporum electione: *De intellectu regulæ Basileensis Concilii: De reservationibus* & aliis, apud Fabricium *med. & inf. T. III.* p. 155. seq. videnda... ITEM *Franciscum Pertûsam* (Francesch de Pertûsa) Equitem & Canonicum Valentinum magni nominis Theologum qui exeunte anno MCCCCXL. volumen ingens Theologicum Lemosino sermone scripsit hoc titulo: *Lo Pertûsa*, sive: *Memorial de la Fee Catholica;* in quo de præcipuis Fidei articulis, deque circa eosdem dubiis ac solutionibus. Exstat autographum in Bibliotheca Sanctæ Metropolitanæ Ecclesiæ Valentinæ, chartaceum, formâ quarta; atque item eiusdem operis exemplum aliquantò auctius in fol. cum XVII. Auctoris additionibus: quod utrumque sæpius vidi ac manibus meis tractavi. Habetur exemplum aliud chartaceum fol. anno, ut in eodem legitur, 1464. exaratum in Regia Bibliotheca Matritensi. Sistimus gustum è Prologo: *Perço, com têm que les rahóns scampades per diversos libres que Deu per gratia sua è mijançant mon continuât gran trebáll m'ha donades a trobar sobre la declaració ó probacio dels articles de la Santa Fee Catholica, no m' hisquen de memoria ò los lochs ò son posades. Per tal à labr e gloria de nostre Senyor Deu Jesu Christ è de la sua Mare Verge gloriosa Senyora è advocada nostra Madona Santa Maria, è à consolació del meu sperît. Yo Francesch de Pertusa jatsia indigne servent de Iesu Christ, les hè replegades totes en lo present Memorial::: En los quals tractâts apparrá assâts clarament, les grans dificultats de moltes materies subtils: les quals coses serán al enteniment molt plasênts, è à la conscientia dels Catholichs molt consolables & profitoses* &c. ITEM *Petrum Ferdinandi de Velasco* Comitem de Haro Dominum Domûs de Salas, cuius in Regia Bibliotheca Matritensi exstat: *El seguro que dio en nombre de su Alteza el Rei Don Juan el Segundo à los convocados, y que ovieren à venir à la Villa de Tordesillas al llamamiento de su Alteza en el año MCCCCXXXIX.* Typis iam editus Matriti in Sylloge Chronicor. Hispan. 1784. ap. Ant. de Sancha.

(1) Idem ipse, ut videtur codex Hispanicas *Valerii Maximi & Lucani* versiones continens Auctore *Anonymo*, habetur in Regia Bibliotheca Matritensi; in quo post Valerii libros legitur è minio: *Este libro de Valerio Maximo escribió Diego de Lonbraña* (non *Lobrañan*) *criado de Alfon Gonzalez de Leon Contador del Rey por mandado del dicho Alfonso Gonzalez. En la muy noble Cibdat de Sevilla año del Señor de M.CCC. è XXXIII.* Deest prologo initium in quo forsan Interpretis olim nomen exstabat; in superstite tamen eius parte hæc leguntur: *E como entre los otros estoriales que han tratado de los fechos virtuosos de Roma en conpendioso & breve estilo & mui sentencioso fea Valerio, el qual vos Señor havedes singularmente por manos, que deseades que los omes que non son Gramaticos entiendan el dicho Valerio perfectamente. El qual es peregrino & poco comunicado por el Reyno de Aragon. E esto por el estrecho estilo que tiene en su ordenacion. Porque Yo ha mandamiento de vuestra Señoría* HELO TRAIDO EN NUESTRA AUULGADA LENGUA MATERNA VALENCIANA *assi breve como pude: ya fea que otros lo hayan traido de latin en rromance catalan* &c. Quæ indicant Hispanam hanc Valerii versionem è Lemovicensi Valentina descendere. In primo codicis folio, manu recenti legitur: *Historia de los Romanos traducida por el Gran Cardenal: tiene 329. fojas:* quæ verba infrà recurrent in *Petro Gonzalezio de Mendoza.*

tre & fratribus, in Ecclesia Burgensi anno ætatis suæ quadragesimo, sæculi autem superioris nonagesimo, sectæ suæ sacro lavacro exceptus renuntiâsset, cognomento sibi SANCTÆ MARIÆ cooptato, ut indicaret ad Leviticam Deiparæ genitorum familiam originem familiæ suæ pertinere [x]: Christianissimi quàm optimè instruendus mysteriis, Parisios usque venisse dicitur; ibique doctoris pileum suscepisse; postmodumque in Romani Pontificis Avenionensi curia eximiam ab habendis ad populum sacris concionibus laudem ac meritum reportâsse. Nactus interim in eadem Burgensi Ecclesia eum, quem *de Treviño* vocant, archidiaconatum, Carthaginensi paulò pòst Ecclesiæ præficitur; indeque ad Burgensem translatus, in celsissimo dignitatis, & apud Henricum III. & Ioannem II. eius filium Castellæ ac Legionis Reges existimationis & gratiæ fastigio usque ad mortem positus, vixit.

[x] Notat Fernandez *Annales de Placencia* lib. 1. cap. 27.

272. Prioris quippe horum electione nominatus fuit ex his unus, qui supremam eius, cùm fato functus esset, voluntatem exsequi deberent; necnon & inter eos, quibus Ioannis filii nondum biennis custodiam usque ad pubertatis annos habendam commisit: quem & Cancellarium ut vocavit illa ætas, maiorem eiusdem principis iam creaverat. Ad hæc Ferdinandus Infans, defuncti Henrici Regis frater & Ioannis ex eo nepotis tutor, anno huius sæculi XI. (*rest.* XII.) Aragoniam profecturus ad capessendum regni huius sibi delati regimen, eundem Paulum cum aliis regiam vicem eius gesturis delegit [y]. Erat quippe magni consilii, profundæque vir prudentiæ, ac secretorum retinentissimus: quas eius dotes cuiusvis boni ac prudentis Regis demerendæ gratiæ valdè opportunas, Ferdinandus Petri Guzmanius, Ioannis II. chronographus, disertè in elogio eius commendat [z].

[y] *Hist.* eadem *Ioann. II.* cap. 165. año XI. (XII.)

[z] In libello *Generaciones de los Reyes* cap. 26.

273. Planè in huius historia frequens, & quoties de comitiis omnium regni statuum agitur, præcipua mentio nostri habetur. Cuius utique gloriæ accessit quòd pares sibi sortitus est filios olim in matrimonio procreatos, Gundisalvum scilicet Placentinum & Seguntinum præsulem [a], qui Constantiensi Concilio Alphonsi Aragoniæ Regis legatus interfuit: Alphonsum, quem in Burgensi Pontificatu successorem vivus habuit [b], eundemque Concilii Basileensis maximum ornamentum: Alvarum Garsiam de Sancta Maria rerum Ioannis Regis ex parte Scriptorem: Petrum quoque de Carthagena, cuius & hastiludii ab eo Burgis coram eodem Rege fortiter depugnati Ferdinandus idem Guzmanius in *Historia Ioannis* meminit [c]. Cùm verò Ecclesiæ suæ Burgensi per vicennium præfuisset, quo locum daret Alphonso filio, huic muneri renuntiavit, Aquileiensi suscepto Patriarchatu: quod quidem ab æquali Scriptore & qui eiusdem Alphonsi Episcopi familiaris fuit, proditum [d], ita interpretari debemus, ut datum fuerit ei hoc munus titulo tenus; cùm in catalogo Patriarcharum huius Ecclesiæ [e] nulla legatur Pauli Patriarchæ memoria. Quam quidem renuntiationem, dum haberetur Basileæ Synodus generalis, ibique Alphonsus degeret, factam ex eo credimus, quòd in historia toties laudata tunc cùm Ecclesiarum Compostellanæ, ac Segoviensis decanum tantùm ageret, eò missus cum aliis Ioannis Regis referatur legatis; in libris verò de eiusdem Concilii gestis Æneæ Sylvii, Burgensis Episcopus, quoties occurrit de eo loquendi occasio (& occurrit sæpiùs) appellatur.

[a] Anno XIX. cap. 272. anno XXI. cap. 324. ann. XXV. c. 68.

[b] Ibidem.

[c] Anno XXI. cap. 68.

[d] Anno XXXII. cap. 243.

[e] *Italiæ sacræ* tomo 5. in principio.

274. Sed ne sacrarum Scripturarum exquisitæ suæ, quâ pollebat doctrinæ in Hebraicis fontibus haustæ, fructum invidisse posteris videretur; & (*cum*) *Postillas* (sic illa ætas de Latinis lusit vocabulis) Nicolai Lyrani, eiusdem originis viri Minorumque ordinis clarissimi sideris, ad omnes veteris ac novi Instrumenti libros perpetuas fundamentum vigiliis suis biblicis delegisset: elucubravit ipse

275. I. *Additiones notabiles ad has Postillas Nicolai de Lyra in totam Scripturam:* ad Alphonsum filium, de quo nuper locuti sumus: quibus corrigere nonnulla, & supplere alia Postillatoris sese commodùm posse existimavit. Et hæ quidem additiones cum iisdem *Postillis* editæ leguntur præcipuè in editione Lugdunensi anni MDXC. & eis, quæ secutæ sunt, *Bibliæ magnæ cum scholiis seu glossis diversorum.* Attamen & simul prostant subiectæ Paulinis additionibus portiones ex *Defensorio Lyrani* quod Matthæus, aliàs Matthias Doringus seu Toringus eiusdem sæculi Franciscanus sodalis, provinciæque Saxoniæ minister, pro Lyrano decertans contra Pauli Burgensis additiones, composuit, parum modesto usus titulo, & ut Averrois contra Argazelum stilum imitaretur, *Correctorii corruptoris Burgensis.* Tribuntur & Paulo

276. II. *De cœna Domini* liber. Necnon & alius

277. III. *De genealogia Iesu Christi.*

At maioris operæ est, & clarius, in eoque genere quod contra Iudæos Evangelii tuetur fidem opus præstantissimum, quod sequitur,

IV.

[f] Editionis Paginæ an. MDCX. pag. 10.

278. IV. *Scrutinium* scilicet *Scripturarum*: aliàs dialogus, quem hoc nomine laudat *Fortalitii Fidei* auctor, quòd dialogus verè sit, duobus libris continuatus: quorum prior est polemicus contra Iudæorum errores, dialogistis *Saulo* & *Paulo*, hoc est, Hebræo, & ex Hebræo Christiano; posterior autem didascalicus inter magistrum Ioannem & discipulum: quo primus secundum instruit de iis quæ discipulus in Scrutinio Scripturarum mira, declarationeque digna reperisset. Huius operis editio princeps in Sapientiæ Romanæ bibliotheca est, Mantuana scilicet apud Ioannem Schallum MCDLXXV. in folio (1). Aliam habet bibliotheca quæ fuit Lucæ Wadingi Romani Franciscanorum Hibernorum collegii, absque tamen loco & anno, bene antiquam. Huic notam appositi typographus huius hexastichi non parum arguti sensus:

Anser Tarpeii, custos Iovis, unde quòd alis
Consterneres, Gallus decidit, ultor ades.
Vuldricus Gallus, ne quem pascantur in usum
Edocuit, pennis nil opus esse tuis.
Imprimit ille die quantum non scribitur anno:
Ingenio, haud noceas, omnia vincit homo.

Tetrastichon Ioannis Antonii Campani est in celebrem tunc temporis typographum Udalricum Han, qui Romam hanc artem ex Germania detulit, Iacobo Wimphelingio teste, in *Epitome rerum Germanicarum*, quem laudat Iacobus Mentelius *De vera typographiæ origine* præneſi [f]. Distichum verò ultimum suis editionibus veluti notam infigere Udalricus is consuevit.

279. Hunc dialogum à Paulo compositum post additiones ad Lyrani postillas anno Christiano MCDXXXIV. ætatis suæ LXXXI. hoc est paulò ante mortem, docet inscriptio iam laudatæ Udalrici Galli editionis. Recognitum verò ac restitutum à Christophoro Santotisio Augustiniano eiusdem Burgensis urbis, adiunctâ etiam Pauli Vitâ, fideliter ex vetustissimis historiis, ac ipsiusmet Patriarchæ scriptis collectâ, Burgis prodiit ex officina Philippi Iuntæ anno MDXCI. Servari autem hos libros omnes manu auctoris exaratos, sive ut aiunt originales, in cœnobio Dominicanorum S. Pauli eiusdem urbis, quod ipse sumtibus suis non parùm ampliavit, Ægidius Gundisalvi Davila in *Theatro Burgensis Ecclesiæ* prodidit.

280. Sed & vernaculæ opus linguæ, sive verè sive falsò, ei tributum observavimus. Exstat quippe à nobis visus codex MS. cum hoc titulo:

V. *Suma de las Coronicas de España, hecha por el christianissimo y gran varon el Obispo D. Pablo.* Principium tale est: *Los que escribieron el departamiento de las tierras.* In fine, post absolutum Chronicon, nomen suum transcriptor iis verbis subiecit, quæ nisi de auctore iam ab initio ipso nos docuisset, ambiguum relinqueret ipsine deberemus an alii adscribere [g]. *Hic liber* (ait Latinè loquens ex Hispano) *scriptus in nobili urbe Burgensi, Castellæ capite, & absolutus Septembri mense anno Nativitatis Dominicæ MDLXXI.* (immo MCDLXXI. ut mihi stilus persuadet proprio idiomate ad oram videndò) *quem librum cum consilio, advisatione, & auxilio divino scripsit Ferdinandus Martinez de Burgis notarius olim publicus eiusdem urbis, qui quidem* [h] *Io. Martini obiit sodalis in monasterio S. Dominici de Benfica non longè ab Ulyssipponensi urbe in Portugalliæ regno.* Deficit historia in Ferdinandi Castellæ Infantis in Aragoniæ Regem electione, qui fuit (*annus*) huius sæculi decimus tertius (*rest. secundus*). In qua id ante alia singulare, notaque valdè dignum est, quòd Bernardi de Carpio fortissimi viri res gestas, non ut ceteræ historiæ nostræ, Alphonsi Casti sive secundi, sed Alphonsi tertii sive Magni, regno æquales collocat.

281. In bibliotheca Iocupletissima Raphaelis Fricheti Fresnæi Galli, cuius catalogus in manibus omnium est, MS. similiter fuit: *Compendio de la Chronica del Obispo D. Pablo, que trata de las cosas de España desde el año de trecientos y quarenta y tres, hasta mil y quatrocientos y cinquenta y quatro.* Quam quidem, sive eandem cum superiore historiam sive deductum ex ea compendium, aliquot annis, à decimo tertio usque ad quinquagesimum quartum, locupletavit aliquis, Alphonsus forsan Pauli filius, qui biennio pòst obiit. Paulus enim quî potuit huc pertingere, ante vicennium fato functus? Clarissimus verò dignitate vir, doctrinaque, & cunctis virtutibus sacro antistite &

[g] *Este libro se escrivio en la muy noble ciudad de Burgos, cabeza de Castilla, y acabóse en el mes de Setiembre año del nacimiento de nuestro Señor Jesu Christo de mil y quinientos y setenta y un años: el qual libro con el consejo, avisacion, e ayuda divina escrivio Fernan Martinez de Burgos, escribano publico que fue de la dicha ciudad, el qual Juan Martinez finò fraire en el monasterio de S. Domingo de Benfica, cerca de la ciudad de Lisboa, en el reyno de Portugal.*

[h] Sic legitur pro: *Ferdinando Martini.*

(1) Immo princeps *Scrutinii Scripturarum* editio ea est, quam Noster mox recenset *Udalrici Han*, id est *Galli* (cognomine, non patriâ); circa annum enim MCCCCLXX. & Romæ facta perhibetur in Catalogo librorum olim Ducis de la Valliere *T. I. Theologie, pag.* 50. *n.* 172 scilicet: *Dialogus qui vocatur Scrutinium Scripturarum per Rev. Patrem Dominum Paulum de Sancta Maria Episcopum Burgensem: quem composuit ::: anno Domini* 1434. *anno vero ætatis suæ* 81. *Romæ per Udalricum Gallum circa* 1470. *in fol.* in cuius fine exstat: *Anser Tarpeii* &c. & subditur: *Superbe exemplaire de la premiere edition* &c.

& consiliario regio dignis, atque item liberalitate & munificentia in pauperes, & pia alia opera (*sic*), quorum memoriam historici nostri literis suis ad posteros transire fecerunt, obiit tandem Burgis in Sede sua Augusti die XXIX. anni MCDXXXV. ætatis suæ LXXXIII. sub inscriptione ista tumulatus in maiori capella cœnobii S. Pauli eiusdem urbis:

Hic quiescit corpus reverendissimi patris
Domini Pauli miseratione divina Episcopi
Burgensis, magistri in theologia, archicancellarii,
Atque consiliarii sereniss. dom. nostri Regis
Ioannis huius nominis secundi. Qui venerandus
Pontifex hanc Ecclesiam cum sacristia &
Capitulo suis sumtibus ædificavit, additiones
Ad postillam mag. Nicolai de Lyra, & librum
Qui dicitur Scrutinium Scripturarum, *ad fidelium*
Eruditionem, & infidelium impugnationem
Composuit. Et post hæc, & multa alia opera
Liberatus de corpore mortis huius profectus est ad
Omnipotentem Deum senex & plenus dierum
xxix. Augusti anno Dom. MCDXXXV. ætatis verò
Suæ LXXXIII. clementia divina illum in gloria
Sua collocare dignatus. Amen (1).

282. Huic Paulo unum ex filiis eius coniungimus, quòd incertum sit nobis, quo potiùs loco sit laudandus. ALVARUS GARSIAS DE SANCTA MARIA is est, cuius in referenda summi viri mascula prole nuper meminimus: quem Ioanni Regi Castellæ à secretis fuisse, & Ioannis Infantis, Ferdinandi & Alphonsi Aragoniæ Regum filii, & germani fratris. Quæstorem sive rationibus præpositum Hieronymus Surita lib. 13. *Annalium Aragoniæ* cap. 37. refert: quo loco, & alibi [k] ad Alphonsum veniisse eum cum aliis, ait, Castellæ ac Legionis urbium procuratoribus, Burgensium nomine, ut eiusdem Alphonsi in Castellani ditionem cum exercitu ingressum communibus officiis & protestationibus moraretur. Verè enim is in magna olim floruerat gratia Ferdinandi priùs memorati, qui ex Castellæ Infante in Aragoniæ Regem cooptari promeruit: quem & in hoc regnum secutus, laterique eius adhæsisse dicitur in *Prologo historiæ Ioannis II. Regis*, quem Laurentius Galindi Carvaxalius confecit, & ad Carolum V. Imperatorem direxit.

[k] Cap. 36. eiusdem lib. 3.

283. In hoc eodem prologo scripsisse ait Alvarum historiæ prædicti Ioannis Regis principium ab Henrici exorsus parentis obitu, usque ad vicesimum huius sæculi annum, sive regni eius decimum quartum. Quæ quidem historiæ pars potissimùm, aut vix nisi Ferdinandi Infantis nuper laudati res in tutela Ioannis Regis, atque inde in capessendo Aragoniæ regno enarrat gestas. Atque exstant quidem in ea, quæ in vulgus emanavit, Ioannis II. Regis historia, prologus, & capita viginti quinque nostri Alvari, eas res continentia, quæ ante mortem Henrici Regis tertii Ioannis huius parentis contigêre.

284. At illa, quibus inchoâsse eum, ac per aliquot annos prosecutum fuisse Ioannis Chronicon suprà monuimus, supererant ea quidem, cùm Carvaxalius prædictus ad memoratum Ioannis Chronicon à se recognitum prælocutus fuit. Ibi enim refert recordari se Ferdinando V. Regi cognomento Catholico Castellanorum & Aragonensium Regi, oblatum à quodam equite istud Alvari commentarium, quasi Ferdinandi Aragoniæ, non Ioannis Castellæ Regis verè esset Chronicon. Subiungit verò ibidem, historiam hanc Alvari Garsiæ usque ad annum sæculi vicesimum tantùm ab eo perductam, Anonymum quendam ad usque quintum supra tricesimum continuâsse: quem Ioannem fuisse Menam, poetam eius ævi clarissimum, fama est.

285. De tribus aliis huius Helenæ procis, Petro Carrillo Albornozio, & Lupo Barriento, ac Ferdinando Perezio Guzmano dicendi locus alius nos manet; dummodo interim hìc notemus, horum postremum Guzmanum, cui tota nunc *Historia Ioannis II. Regis Castellæ* adscribitur, Alvari

(1) Pauli Burgensis *Postillæ*, & *Scrutinium* sæpius excusa sunt & nullibi non obvia; non item *Tractatus de cœna Domini*, ac *De Iesu Christi genealogia*: ad quos forte respexit epitaphii auctor illis verbis: *Et post hæc, & multa alia opera. Chronicorum Hispaniæ summa* exstat in Escurialensis Bibliothecæ sæculi XV. non multum adulti codice, *Lit. h. Plut. II. sub num.* 22. (T. II. p. 90.) eodem prorsus atque apud Nostrum initio: *Los que escribieron el departimiento de las tierras.* Item in codice *Lit. X. Plut. I. sub num.* 12. (II. p. 397.): *Compendium Chronicorum Hispaniæ & eiusdem Regum successiones à Pelagio usque ad Henricum III. Castellæ Regem:* quod forsan fuerit cuius Noster hoc numero meminit, atque à Paulo conscriptum, & post eius decessum ab Alfonso locupletatum conicit. Nobis is codex iam ad manum non est.

ri Garsiæ commentaria & aliorum ita sua fecisse, ut nullum iam illarum partium quæ cuiusque eorum fuere vestigium deprehendere valeamus. Et hanc auctorum sub uno nomine misturam fefellisse magnum virum Suritam existimo; quandoquidem de Alvaro Garsia loquens dicto cap. 37. lib. 13. *Annalium*, fuisse eum Alvaro de Luna Comestabili addictissimum, rerumque ab hoc gestarum magnum chronographum affirmat. Cùm verè is annum decimum quartum regni Ioannis, qui decimus quintus ætatis eius fuit, Carvaxalio auctore, non prætergressus: neutiquam potuerit de Alvaro Comestabili narrare alicuius momenti rem; cuius hominis, nedum gestorum eius, toto hoc tempore *Historia Ioannis* auctor vix meminerit. Quare alium ab Alvaro Garsia fuisse eum oportet (Anonymum illum forsan continuatorem), quem Surita rerum ab Alvaro Luna gestarum auctorem laudare voluit. Immò descripsit quoque Alvarus Garsias *Henrici III. Regis* tempora, uti ex aliis Stephanus Garibaius lib. 15. cap. 48. refert: quod opus nunquam sese ait vidisse. De aliis Pauli Burgensis Episcopi filiis, Alphonso & Gundisalvo, suis locis mentio à nobis habebitur.

286. In Lusitania per eosdem annos floruit ALPHONSUS DE ALFAMA, Carmelitarum ordinis vicarius generalis, præter merita propria eo nomine memorabilis, quòd magni illius Lusitanorum Comestabilis Nonnii Alvari Pereiræ post suspensum à se in Ulyssiponensi Carmelitarum templo fatalem illum tot palmarum gladium, sæculo renuntiantis, sacramentum religiosam vitam in eodem ordine profitendi, factus ex munere tantæ rei spectator & auctor, susceperit. Scripsisse verò eum aiunt *Super Cassiani collationes* librum unum, cui titulus: *Doctrinale patrum;* necnon & *De ordinis sui progressu* libros 2. Ulyssippone natus dicitur (1).

287. Eidem Lusitaniæ annus sæculi tricesimus octavus, circa quem versamur, funestissimus fuit, Tingensis in Africa superioris anni cladis malum cumulante Regis EDUARDI obitu. Ioannis I. ac Philippæ Lencastriæ hic filius, Visensi in urbe ferè cum sæculo in lucem editus: quinque tantùm annis regno præfuit, cùm secundum iam super tricesimum agens patri successisset. Multas ei animi & corporis, mentis nimirum, doctrinæ, præsertim philosophorum cupidæ, iustitiæ ac religiosorum rituum curiosissimæ, pulcri etiam aspectûs & magnarum virium, atque item maximæ in equestribus cunctis exercitationibus dexteritatis, summæ ad hæc in loquendo venustatis & eloquentiæ, dotes, Lusitanorum historiæ attribuunt [k]. Bonis suis felix, nisi adversata ei omnia essent, continua ferè toto regno pestis, infelix bellum, mors denique apud Tomaris cœnobium XIII. Calen. Octobris immatura.

[k] Brito in *elogiis Regum Portugalliæ*, vulgaris linguæ. Vasconzelos in *Anacephalæosi Reg. Lusit.* Mariana lib. 21. cap. 13. Garibay lib. 35. c. 9.

288. Scripsit in philosophia morum non contemnenda vulgaris Lusitaniæ suæ linguæ opuscula, scilicet [l] *De consiliario fideli* [m]. *De bono regimine iustitiæ.* Cuius libri fragmenta aliquot haud parvi momenti se vidisse in codice admodum antiquo Lusitaniæ magnus historicus Bernardus Brittus ait [n]; necnon & [o] *De misericordia.* Quæ tria idem Brittus laudat; Auctor autem historiæ huius Eduardi Regis, quæ ceteras superiorum Regum sequitur, ac Roderici Pinæ vulgò existimatur opus, secundum illum *De regimine iustitiæ* Latinè ab eo fuisse formatum commentarium refert: cuius aliquam portionem in domo Ulyssiponensi, uti vocant, Supplicationis, suo adhuc tempore superfuisse ait. Aliud verò *De fideli consiliario* Reginæ coniugi nuncupatum, vernaculæ certiùs linguæ adscribendum, vel hoc uno nuncupationis indicio existimamus. Tertium præter hos duos laudat librum laudatæ historiæ auctor, *De re equestri*, sive *equitandi arte.*

[l] *Dò fiel Conselheiro.*
[m] *Dò bon goberno da iustiza.*
[n] Ubi proximè.
[o] *Da misericordia.*

289. THOMAS MIERES, Catalanus, Gerundensis, iurisconsultus sui temporis primarius, Alphonso V. Regi Aragoniæ à consiliis, regiique patrimonii in Catalonia advocatus fiscalis, publicavit anno sæculi XXXIX. *Apparatum super constitutionibus curiarum generalium Cataloniæ.* Quod opus ornavit postea Sigismundus Despuiol *indice singularum materiarum doctorum practicorum Cataloniæ, in quo latebræ, quæ in Thomæ hoc Apparatu existebant abditæ, demonstrantur.* Editus dicitur hic Apparatus Barcinone MDXXXIII. duobus tomis, rursusque MDCX. in folio. Scripsisse quoque fertur *De homagio & oppressionibus* (2).

290. In Catalonia vivebat, ut fama est, his annis IOANNES FRANCES Barcinonensis natu; qui vernaculo gentis idio-

(1) Meminêre huius Alfonsi Didacus Barbosa Biblioth. Lusit. I. pag. 27. item Anonymus Bibliothecæ Carmeliticæ Aurelianensis 1752. auctor *T. I. pag.* 42. neuter tamen aliud præterea scriptum ab eo prodiisse affirmat.

(2) Hunc *Thomam* inter Usaticorum Barcinonensium Glossatores supra retulimus Lib. IX. cap. IV. num. 240.

mate, quod Lemosinum vulgus vocat, copiosè ac verè *Historiam Regum Aragoniæ atque Comitum Barcinonis* composuit: quæ in schedis adhuc latet paucis visa. Hanc tamen laudat Ioannes Franciscus Andreas Ustarrozius Aragoniæ regni chronographus in libro *Coronationum Regum Aragoniæ* [p], quem cum notationibus suis foras emisit; eamque cccx. capitibus comprehensam desinere tandem ait in Alphonsi IV. coronationis solennitate: quam ante centum & ultrà annos, hoc est MCCCXXVIII. Cæsaraugusta urbs regni princeps omnium superiorum magnificentissimam vidit: de qua Hieronymus Surita lib. 7. cap. 1. *Annalium Aragonensium* agit, laudato dumtaxat rei auctore Raymundo Montanerio, æquali eius temporis, non autem Ioanne nostro, quem forsan non viderat. Iccircò idem Ustarrozius [q] hunc Ioannem Francès distinguit ab alio eiusdem nominis, IOANNE FRANCES BOSCAN, optimæ fidei historico, cuius quidem veras *relationes* Suritam in iisdem *Annalibus* laudare ait.

[p] *Nota marginal.* pag. 40.

[q] In Elencho auctorum quibus MSS. usus fuit in *Coronationum* opere.

291. Matriti penes Marchionem Mondexarensem liber exstat MS. qui hanc historiam continet. Cuius tamen titulus hic est: *En nom de nostro Senyor Iesu Christ Salvador, e Redentor &c. Com sia cosa natural que tota persona desitge saber e hoir nobles fets, per rahò dasio Jo. Francesc natural de Brtha* (Barcelona) *comèns à dictar e ordenar questa obra. La tal es appellada, libre de les nobleses dels Reys, sò es dels nobles fets e valenties, e cavalleries que feren en fets darmes &c. Comèns assi à parlar del primer Rey que avia sò al mon, lo tal avie nom Ambrot, senyor de Trcja &c.* Patriæ nomen auctoris iisdem literis quibus scriptum est descripsimus, quibus vix videtur Barcino urbs notari. Convenit autem cum relatione Andreæ Ustarrozii, quòd hæc historia usque ad inaugurationem Alphonsi Regis IV. Iacobi II. filii extenditur (1).

292. Anno huius sæculi quadragesimo fama fert in carcere demortuum Sætabitanæ urbis regni Valentini, ob contumaciam muneri Iustitiæ Aragoniæ contra fidem Regi Alphonso præstitam, non cedendi, MARTINUM DIDACI DE AUX, qui ante sex annos id obtinuerat. Rem narrat ex Martini Pertusæ scriptis consulendus Hieronymus Blancas in *Aragonensium rerum commentario*: ubi de Iustitiatûs hoc munere §. 42. *Industriâ is valuit* (ut eiusdem verbis de eo quod ad rem nostram pertinet Auxium laudemus) *& usu complurium negotiorum multum. Præterea is vir fuit, qui ex comitiali decreto regni nostri Scita, quæ Salanova, Hospitalis, & alii veteres, eorum observatores collegerant, undique tamquam flosculos carpens, coegit in genera, in illudque redegit, quod nunc sub* Observantiarum *nomine connexum exstat legibus nostris volumen. Qua in re eorum omnium diligentiam superavit; auctoritate verò longè operam vicit; quandoquidem huic eius labori is magnus cumulus dignitatis accessit ut publicarum legum instar publica ipsa lege sanciretur: sic fecit quod quisque eorum fecit, & quod omnibus defuit explevit.* Hæc ille (2).

293. Eiusdem temporis æqualem Valentia urbs iactat IACOBUM (*Jaime* vulgus vocat) ROIG, poetam vernaculâ eius regni, quæ eadem Lemosina est, linguâ facetum & ingeniosum: qui professione medicus hanc artem exercuit apud Mariam Reginam Alphonsi V. Aragoniæ ac Neapolis Regis magni coniugem.

Scri-

(1) In *Raimundi Montanerii* antiquo sane Regiæ Bibliothecæ Matritensis codice post Montanerii historiam habetur aliâ manu sed itidem antiqua: *Parvum Chronicon Comitum Barcinonensium* præmisso eorundem stemmate, quod excipiunt: *Annales urbis Barcinonensis ab anno* MCXCVI. atque exitu Ildefonsi Aragoniæ Regis & Comitis Barcinonensis usque ad annum MCCCCLXXX. in quibus præcipua Regum Aragoniæ & Comitum Barcinonensium gesta summatim continentur; anniversariæ autem Magistratuum, Consiliariorum, & Officialium urbis Barcinonensis electiones minutissimè describuntur, adiecta per singulos annos prolixa nomenclaturâ electorum ad peculiaria eiusdem munera: quod opus optimæ frugis plenum mihi visum fuit. *Boscanum* autem aliquem auctorem habere (quod propiùs nos spectat) id mihi indicio est, quod quoties inter electos, eius gentis sive familiæ cognomen occurrit, in margine è regione perpetuò adiicitur hæc nota †: quod mihi primum observare licuit in electione Magistratuum anni MCCCXIV. quo loco *in Concilio centum Iuratorum* (Concêll de cent Iurâts) legitur † *Iachme Boschâ*; itemque anni MCCCXVI. & MCCCXLII. atque anni MCCCXLIV. †, *Pere Boschâ* & † *Iachme Boschâ*; ac demum anni MCCCLX. † *Iachme Boschâ*, & † *Pere Boschâ*, Fuerítne autem hic *Ioannes Francès* Barcinonensis, quode hoc loco Noster? Postquam hæc scripseram, in hanc eiusdem Codicis notam incidi, quæ omnem de *parvi* huius *Chronici* auctore dubitationem amovere videtur: *En aquest present trienni* (inquit N. Boschâ Ioannis Francès id est *Francisci* filius) *plagué à nostre Senyor Deu apellar de aquesta present vida al Senyor mon pare* EN IOAN FRANCH. BOSCHA *lo qual mort dissapte deprés dinàr passades les quatre hores e miga, apres mig jorn, que comptauem cinch de febrer del any* 1450. *dia de Santa Agata.*

(2) Habetur hæc *Observantiarum Regni Aragoniæ Collectio* auctore *Martino Didaci de Aux* in Bibliotheca Escurialensi *Lit.* n. *Plut. II. num.* 22. (T. III. p. 154.)

294. Scripsisse dicitur, alia inter metrica, genere quodam versificandi, quod *Cudolâda* Valentini vocant, librum adversus feminas, quem inscripsit *Consejos*. Hoc opus & auctorem laudat Gaspar Escolanus *Historiæ Valentini regni & urbis* lib. 3. cap. 14. §. 4. & lib. 4. cod. 4. §. 10. Augustinus item Morlà in *Emporii iuris* præfatione, in qua agit de viris doctrinâ & scriptis in ea urbe claris: adiungens, conversum iam in Castellanam linguam legi posse hunc poetam. Planè edita Barcinone Iaimii Roig opera anno MDLXI. in 4°. in catalogo quodam librorum bibliothecæ regiæ Escorialensis olim legimus (1).

295. Anno XLIV. huius sæculi obiit in Africano carcere Ferdinandus Portugalliæ Infans, cuius Vitam ANONYMUS ferè æqualis in scriptum redegit. Vidimus eum in Vaticano codice, ex manuscriptis 3634. cum hoc titulo: *Incipit martyrium pariter & gesta magnifici ac potentis Infantis dom. Ferdinandi magnif. ac potentis. Regis Portugalliæ filii, apud Fez pro Fidei zelo & ardore & Christi amore.* Incipit: *Diebus istis novissimis pater misericordiarum & Deus totius consolationis* &c. E regione huius tituli visitur Ferdinandi imago, ex vivo, ut credere par est, deducta: scriptura enim æqualis eius videtur temporis. Huius forsan auctor est IOANNES ALVAREZ presbyter militaris de Avis, Ferdinandoque à secretis. Nam huic inscriptam legimus: *A vida do santo Infante D. Fernando*, quam à Hieronymo Lopez, Ioannis Regis III. Portugalliæ familiari (*escudeiro* vocant) acceptam Ulyssiponensis quidam typographus anno MDXXVII. in lucem emisit. Nisi quòd hæc Lusitanè, superior verò illa scripta sit Latinè.

296. Anno quinto super quadragesimum, XV. die Iulii, Calataiubii decessit HENRICUS Infans Aragoniæ, Alphonsi V. magni germanus frater, Ferdinandi Castellæ Infantis deindeque Aragoniæ Regis filius, magister ordinis S. Iacobi, postquam unà cum Ioanne Rege Navarræ fratre ad Ulmetum Castellæ veteris prœlio victus atque fugatus fuisset. *Vir magni quidem* (ait Mariana noster [r].) *sed inquieti animi, neque otium patientis*, & qui magnas turbas, dum vixit, Castellæ Regi Ioanni II. fratrum Aragoniæ & Navarræ Regum, ac propriis viribus, dedit. Fama

[r] Lib. 22. c. 2.

Biblioth. vet. Hisp. Tom. II.

(1) Quinquies minimum Valentiæ & Barcinone ab anno MDXXXI. editam docet Vinc. Ximenus *T. I. Bibl. Val. p.* 51.

(2) Huius Henrici habentur præterea in Escurialensi codice *Lit. M. Plut. I. sub n.* 20. *Leges & statuta Ordinis Militiæ Sancti Iacobi de Spatha in eiusdem Ordinis generalibus Comitiis Toleti anno MCCCCXL. celebratis editæ.*

fert, atque editi libri fides confirmat, delectatum eum fuisse in vertendis in vulgarem sermonem veterum Mythicorum fabulis, quibus per allegorica mysteria non mediocris secretioris philosophiæ thesaurus comparatur. Liber exstat huic adscriptus cum hoc titulo: *Quatro libros de las fabulas de Esopo: Las extravagantes: Otras de la translacion de Remigio: Las de Arriano: Las collectas de Alfonso y Poggio, como largamente se dice en el prologo.* Editus fuit Burgis per Fredericum Aleman MCDXCVI. in folio (2).

297. Anno MCDXLVIII. die xx. Maii mensis occisus in prœlio diem suum obiit PETRUS Portugalliæ Infans, Ioannis I. Regis filius è Philippa Lencastria Regina, idemque Alphonsi V. ex fratre Eduardo nepotis socer. Hic duobus supra triginta annis natus, ne otio & vitiis otii assectis iuventutem marcescere, atque aciem virtutis absque aliquo stimulo, quod cotis vice esset, hebetari sineret: orbis terrarum magnæ partis aggressus peregrinationem, post visitatum sanctum Domini nostri sepulcrum Hierosolymis, magnique Turcarum Imperatoris atque Ægyptiorum Soldani aulas, Italiæ, Germaniæ, Daciæ, quod tunc temporis vigebat, Angliæ, Navarræ, Castellæ regna, magni ubique habitus; omnes enim harum Reges, sive propinquitate sive amicitia obnoxios habebat, multorum denique hominum, ut cum poeta loquar, mores vidit & urbes, pace belloque (nam & hoc exercuit) æque bonus: tandem Alphonsi Regis generi ex fratreque nepotis indignationem malis consiliariorum artibus in se convertens, bello tueri se opus habuit: quo quidem optimus Princeps strenuè sese defendens in acie occubuit.

298. De hoc multis agit Portugalliæ Regum historicus antiquus in Chronico Ioannis I. cap. 99. & Alphonsi V. cap. 21. Huius nomine scripta est Lusitaniæ vernaculo sermone Historia Infantis Petri, *que anduvo las siete partidas del mundo* nuncupata: quæ quidem in Castellanum translata, cùm pueri essemus, vix è puerorum manibus cadere solebat: multis licèt fabulis potiùs illius sæculi genio, quod huiusmodi inventionibus delectabatur, quàm veritati conformata. Cuius quidem historiæ hìc memoriam relinquere, quo tempore in vivis esse desiit Petrus In-

fans, cùm veri auctoris ignoretur ætas, opportunum existimavimus. Exstant quoque, quæ non vidimus carmina sive de eo sive ab eo scripta, quæ edita cum hoc titulo novimus : *Las coplas del Infante Don Pedro de Portugal, con glossa.*

299. IACOBUS (vulgò JAIME) MARQUILLES, iurisconsultus Catalanus, circa hæc tempora egregiam illustrandis legibus patriis navavit operam. *Usatica* hæ audiunt, à Gothicis originem ducentes, ad quæ post Iacobum de Monte-Iudaico, Iacobum, & Guilielmum de Vallesicca, Iacobumque Calicium, præsumsit non absque fructu se novum commentarium ex iis, quæ illi præoccupâssent, & quæ adiungere proprii laboris poterat, se confecturum. Quare eum ceterorum Cataloniæ Doctorum parentem Hieronymus appellat Puiades [s].

300. Presbyter hic, & civis Barcinonensis urbis, Vicecancellarium egit Martini Regis, ut ipse alicubi testatur [t], postquam in gymnasio Ilerdensi Scita utriusque iuris edoctus, baccalaureatûs, quod in præfatione commentarii sui ipse notat, insignia reportâsset. Exstat hic, *Manna Iacobi de Marquilles super Usaticis Barcinonæ* inscriptus, & in hac urbe ab Ioanne Luschner Alemanno anno MDV. in folio editus. Publicavit hunc cum magno auctoris elogio Ioannes Andreas Riquerius iurisconsultus, ac regiæ curiæ Barcinonensis iudex, Petro Cardonæ Urgellensi Episcopo, & principatûs Cataloniæ Cancellario nuncupatum. Sed audire ipsum Marquilles de se loquentem, ut ferebat sive hominis sive ætatis quâ vixit genius, iuvat librum suum dirigentem. *N. & N civitatis Barcinonensis consiliariis Iacobus Marquilles presbyter minimus in decretis baccalaureorum, civis & incola civitatis cuius suprà, & in octogenaria ætate cum uno constitutus, nullumque obtinens beneficium, nisi quandam in Barcinonensi Ecclesia capellaniam valoris septem librarum cum dimidia Barcinonensium, vel circa.* Quasi hoc scire omnes quicquam interesset.

301. Post alia subiungit : *Prædictum librum* Usaticorum *dominis Iacobo de Monte-Iudaico, Bertrando de Seva, Iacobo de Vallesicca, & Iacobo Calis, & aliis dominis & doctoribus, & ipsorum dictis me adhærendo, nihilque eis detrahendo, tremebundè assumsi glossandum.* Absolvitque his proœmium : *Regnante victoriosissimo principe & Rege Aragonum, Comiteque Barcinonæ, dom. Alphonso IV. die Martis secundà mensis Aprilis anno à Nativ. Domini MCDXLVIII. regnique ipsius domini Regis XXXIII.* Hæc in iure (1).

302. Ceterùm scripsisse eum quoque opus *Genealogicum* circa annum MCDL. è tabulariis publicis atque aliis authenticis instrumentis, *Casas solariegas de Cataluña*, hoc est, *De Cataloniæ nobilibus familiis*, inscriptum, nonnusquam legimus.

303. GUNDISALVUS GARZIAS DE SANCTA MARIA, Pauli Burgensis Episcopi filius è legitimo toro natus, Alphonsi eiusdem urbis præsulis, & Alvari Garsiæ germanus frater, non indignum ea se stirpe summorum virorum fœcunda, & Regum apud quos vixit, Ioannis Castellæ & Alphonsi Aragoniæ gratiâ præstitit. Cùm enim esset apprimè ornatus non tantùm Latinè pronuntiandi peritiâ, sed & iuris doctrinâ atque historicæ rei cognitione : Alphonso Aragonensi quem diximus adhærens, præcipuus habitus ab eo fuit, qui alios inter sex ad Concilium Constantiense tollendi schismatis causa coacti Legatus mitteretur. Quo loco in electione Ottonis Cardinalis Columnæ, qui Martinus dictus fuit quintus, ad summum Pontificatum, unum è sex Hispanicæ nationis suffragium habuit : quod ex Hieronymi Suritæ *Annalium Aragonensium* lib. 12. cap. 63. & 66. constat. Interfuisse idem Concilio Basileensi refertur, aliaque munera regia obiisse. At in Ecclesiasticis plura obtinuit : Berovisca priùs Archidiaconatum in Ecclesia Burgensi, atque inde insulas Asturicensis, Placentinæ, Seguntinæque hoc ordine Sedium : extinctus in hac ultima XVII. Decembris MCDXLVIII. quod in sepulcro eius ad S. Paulum Dominicanorum Burgensis urbis, è regione sepulcri Pauli parentis extructo dicitur, in *Theatro Seguntinæ Ecclesiæ* Ægidii Gundisalvi Avila videndo.

304. At Gundisalvus ad nos pertinet. Scripsit enim Latino stilo *Aragoniæ Regum historiam*, sed cuiusnam temporis non ait Hieronymus Surita lib. 12. cap. 55. in fine.

305. Miratus sum cùm legerem in Notis quas ad librum Coronationum Regum Aragoniæ scripsit Ioannes Franciscus Andreas Ustarrozius eiusdem regni chronographus, vir exquisitæ industriæ, pag. 4. laudatam Aragonensem historiam Gauberti Fabricii de Vagâd Cistercienſis, atque huius historiæ Latinum interpretem Gundi-

[s] In *Histor. Catal.*

[t] In *Usaticum : Princeps namque* vers. *Ea propter :* & in *Usatic. Potestatem*, quæst. ultima.

(1) Et hunc *Iacobum* inter Usaticorum Barcinonensium Glossatores è Franckenavii elencho supra retulimus *Lib. IX. c. IV. n.* 240.

disalvum Garsiam à S. Maria ; cùm verè Gaubertus quinquaginta annis post Gundisalvi obitum suum opus evulgaverit. Alium ergo oportet Gundisalvum Garsiam esse : eum nempe qui recognovit Fabricii historiam, cuius hominis in eiusdem initio & fine, atque item navatæ ab eo huius operæ mentio fit (1). De quo nos in altera Bibliothecæ prius edita parte, & in additionibus ad eandem in hac altera parte antiquioris ævi (2).

CAPUT VI.

FERDINANDUS LOPEZ. *Quorumnam Regum Portugalliæ Vitas scripserit ? Damianus Goesius laudatur.* PETRUS DE CAVALLERIA *Cæsaraugustanus.* IOANNES RODRIGUEZ DEL PADRON. DIDACUS DE VALENTIA. ANTONIUS DE CASTELLANOS *historiæ rerum D. Alvari de Luna Scriptor.* ALVARUS *ipse* DE LUNA. MARCUS GARZIA. ALPHONSUS MARTINEZ A TOLETO *Archipresbyter de Talavera.* DIDACUS DE S. PETRO *poeta.* FERDINANDUS GOMEZIUS DE CIVITATE-REGALI *Ioannis II. Regis medicus.* IOANNES SANCII A MENDOZA. IOANNES DE LUCENA. GUTERIUS GAMIZ. IOANNES SERRA. ANONYMUS *poeta* IOANNES ALPHONSUS DE BAENA. *Cantionaria systemata* (*vulgò* Cancioneros) *inter nos plura.* LEANDER DE MURCIA *Mercenariorum ordinis.* GUILIELMUS DE LOARTE. GUILIELMUS SANCHEZ DE MENDOZA. DIDACUS DE HERRERA. PETRUS DIACIUS DE TOLETO *Senecæ vulgaris interpres.* PETRUS TAFUR. LUPUS DE ESPEJO. PAULUS *Lusitanus.* ANONYMUS *Scriptor* Breviarii historiarum Castellæ Regum.

306. LUSITANORUM Regum, qui ab initio nascentis Portugalliæ nominis imperiique usque ad nostrum vixêre sæculum, historiam resque gestas poste-

(1) Vide infra notata nostra ad annum sæcularem MD. Cæsaraugustanus is fuit, atque Alphonsi de Aragonia Archiepiscopatûs Cæsaraugustani Administratoris perpetui, advocatus, qui & alia plurima scripsit apud Nostrum videnda in *Bibliotheca* Eiusdem *Nova.*

(2) ADDENDI AB ANNO MCCCCXL. ET DEINCEPS USQUE AD ANNUM CIRCITER MCCCCL.

HVC refero *Doctorem Martinum de Luzena*, cognomento *El Machabeo*, cuius in Bibliotheca Escurialensi inter libros quorum lectio promiscue interdicta est n. 14. exstat : *Hispana versio sacri textûs quatuor Evangeliorum* ; necnon : *XIII. Pauli Apostoli Epistolarum*, rogatu Illustris Viri Eneci Lupi de Mendoza Marchionis Sant-Iulianensis confecta. De eô nos suprà *Lib X. cap. 3 n.* 114. in Not.. ITEM *Alphonsum de Sancto Christophoro* ex Ordine Prædicatorum ipsis, ut videtur, eius instituti Bibliographis Quetifo & Echardo indictum, auctorem *Hispanicæ versionis Literalis, Moralis & Asceticæ IV. Librorum Flavii Vegetii De re militari, in tres partes divisæ* : quarum

Prima : *Dirà lo que dixo Vegecio en sus libros rromançandolo.*

Secunda : *Serà como glossa de los libros de los Sabios que concuerdan con Vegecio.*

Tertia : *Fablarà espiritualmente, trayendo los dichos de Vegecio à las veces à las virtudes è à los pecados de esta vida*

cum glossis & allegoriis quibus interior homo adversus spirituales nequitias armatur. Ad Ioannem (ut videtur) II. & fortassis ad Henricum IV. Castellæ Regem. In Bibliotheca Escurialensi *Lit.* L. *Plut. I. n.* 10. (T. III. pag. 225.) Et *Digramm.* &, *Plut. II. n.* 18. (T. II. p. 218.).. ITEM *Fratrem Bernardum Fontóva* Valentinum è Cartusianorum Ordine Cœnobii Vallis-Christi prope urbem Segobricam alumnum, Mariæ Henrici Castellæ Regis filiæ, Alfonsi V. Aragonum coniugis conscientiæ moderatorem, cuius ex-

[a] *Guardamòr da Torre do Tombo.*

[x] *Escrivâon da puridade.*

ritas forsan desiderâsset, nisi hoc vixisset, instrumentaque omnia huic operæ necessaria, cùm à natura tum ab Eduardo Rege, qui anno tricesimo octavo vitâ functus fuit, accepisset, FERDINANDUS LUPI, seu LOPEZ, eiusdem gentis homo : quem [a] Turris *do Tombo* (ita vocant) sive archivi regii Ulyssipponensis archicustodem, atque Infanti Ferdinando, Eduardi Regis germano fratri, à secretis intimis [x] fuisse aiunt.

307. Hunc verò eas formâsse omnes historias, quas singulorum regni eius ab Alphonso I. Regum Lusitani manu tantùm exaratas in ulnis & manibus diu habuêre compendio earum contenti, quod Eduardus Nonnius de Leone iurisconsultus Eborensis, regius idem senator, amoliendo ex earum prolixitate delicatorum fastidio edidit, iure quidem existimat, atque aliis persuadere Damianus Goesius, Emmanuelis Regis chronographus diligens æquè disertusque, contendit. Hic in huius Regis historiæ parte 4. cap. 38. dum magnâ diligentiâ iudicioque de Portugalliæ Regum omnibus historiis, earumque auctoribus censet, multa certè adducit huic rei confirmandæ : quorum momenta hìc insinuare haud quidem erit extra rem agere. De historiis loquimur Alphonsi Regis primi (nam Henrici Portugalliæ Comitis, Alphonsi patris exstitisse aliquam, Lusitanis incertum est), Sancii I. Alphonsi II. Sancii II. Alphonsi III. Dionysii, Alphonsi IV. Petri, Ferdinandi, Ioannis I. atque Eduardi, sub quo Ferdinandus Lupi forsan diem suum obiit. Quas distinctè appellare opus fuit ; eò quòd in asserendo uno omnium auctore altera alteri opem fert & coniurat amicè.

308. In primis Ferdinandum nostrum fuisse curæ huic impositum ab Eduardo adhuc principe, cùm Ioannes genitor etiam nunc

nunc in vivis esset, ut literis Eduardus fuit & bonis artibus non perfunctorie deditus, coniectari rectè possumus ex eo quòd Gomezius Ioannis (Gomezeanes vulgus appellat) de Zurara in *Chronico Septensis urbis* cap. 3. refert Ferdinandum hunc scilicet multùm ac diu vagatum fuisse iussu Eduardi toto regno ut publicis chartophylaciis excussis, epitaphiisque Ecclesiarum & monasteriorum exceptis, bene de iis doctus ad eum rediret; eundemque Eduardum in Castellæ quoque regnis multa instrumenta conquiri fecisse. Quæ quidem cura veterum regni monumentorum eo studio promota, nisi eò quò credimus tenderet, inutilis prorsus futura fuit; nec ullius usus in conficienda tantùm Ioannis Regis, quam Ferdinandum habere auctorem in confesso est, historiâ, superstitum quidem, non demortuorum testimoniis in latebris iam antiquorum tabulariorum delitescentibus comprobanda: quod prudenter Goesius expendit.

309. Extare etiam subiungit ipse antiquum librum Portorii, seu vectigalium Ulysiponensis urbis, cuius quodam versu scriptum legitur: *Ferdinando Lupi turris do Tombo archicustodi assignatam à Rege summam fuisse quingentorum regalium* (Reaes) *singulis mensibus, dum viveret, super Portorio Ulysiponensi, ob magnum laborem ab eo exantlatum, deindeque exantlandum, in formatione Chronici rerum à Portugalliæ Regibus gestarum.* Quo quidem documento idoneè satis addictum eum vixisse huic rei gerendæ comprobari nemo ambiget.

310. Ut verò ad rem propriùs veniamus, ac singulas consideremus historias, in eius, quæ Petri Regis est, prologo, prosecuturum sese illum ordinem auctor ait, quem in primo prologo sibi præscripserat: hoc est, ut in primis eius de quo acturus est Regis mores vitæque formam referat. Quod quidem nisi ad generalem totius historiarum systematis procœmium referas, vix est ut aliquem idoneum sensum habeat. In hoc etiam Petri Chronico tribuit sibi auctor Alphonsi IV. ibidemque Ioannis I. historias. In Chronico Ferdinandi cap. 39. refert se ad eandem Alphonsi IV. & cap. 83. ad eum locum, ubi eventum quendam temporis Sancii II. *Capelli* cognomento, in literas retulit. Quòd si Sancii hanc, & Alphonsi illam idem scripserit, nonne & intermedias duas Alphonsi III. Dionysiique? Planè ex Ioannis historia, quam nullus non Ferdinando adscribit, id ipsum quod intendimus, non semel evincitur. Cap. 50. hæc verba habet ex Lusitano Latina: *Iuxta id quod loco suo scripsimus, ubi de diminutione monetarum à Ferdinando Rege facta locuti sumus.* Quæ ad huius Regis historiam utique respiciunt à se confectam. Cap. 58. magis adhuc apertè, *Eo modo* (inquit) *quo in principio huius operis nonnullorum virorum nobilium mentionem fecimus, qui operam suam Comiti Henrico in expellendis à regno nostro Mauris navaverunt: similiter nunc in secundo isto volumine quorumdam recordabimur, qui in tuendo ab hostibus eodem regno comites Magistro fuere.* De Ioanne loquitur, qui ex Avisiensis ordinis Magistro sibi ad Portugalliæ regnum viam vi aperuit. Unus ergo idemque est integri huius, seu omnium Regum Chronici, ab Henrico huiusve filio Alphonso, ad Ioannem usque: quod in volumina duo se divisisse laudatis verbis significat auctor Ferdinandus Lupi, Ioannis historiæ certus Scriptor.

311. His tamen omnibus historiis sub eandem Scriptoris manum, Goesii iudicio, non temerè remissis: observandum tamen est de prima Alphonsi primi, penultima & ultima Ioannis primi & Eduardi Regum, non solidè id ipsum in confesso esse. Alphonsi etenim primi historiam, quæ quidem non eodem ac aliæ stilo exarata est, Eduardus Galvanus Emmanuelis Regis iussu, schedis & vigiliis usus ut creditur Ferdinandi Lupi, sive reformavit, sive in compendium redegit: quam quidem MS. asservari ad S. Crucis Conimbricæ, in Bibliothecæ huius altera parte, quæ iam dudum prodiit, cùm de Galvano dicendi occasio esset, annotavimus. Quod quidem ipsum non in hac solùm, sed & in ceteris quoque subsequentium Regum historiis facere, ut fecit postea Eduardus alter Nonnius Leonius, de quo nuper diximus, Galvanus meditatus forsan fuit; cùm audiamus in bibliotheca Excellentissimi Comitis Villumbrosani Ex-præsidis supremi Castellæ Consilii MS. codicem *Historia do reyno de Portugal por Duarte Galvaon*

exstant Tractatus Hispanici ascetici: I. *Tratado espiritual de las tres vias purgativa, iluminativa y unitiva.* II. *Menosprecio de las cosas visibles.* III. *Escuela de la Divina Sabiduría.* Apud Vinc. Ximenum in eo *Biblioth. Val.* p. 46... ITEM Fratrem *Franciscum Marêsme* Saguntino-Valentinum ex eodem Cartusianorum Ordine in Cœnobio de Porta-Cœli, eiusque Instituti ad annum MCCCCXXXI. Priorem Generalem, virum aliàs clarissimum, auctorem: *Tractatus de unione Cartusiani Ordinis occasione funestissimi & maximi Ecclesiæ schismatis per XL. annos in sectas divisi.* Extare hodie à Iosepho Rodriguezio *Biblioth. Valent.* p. 137. dicitur MS. in memorato Cœnobio de Porta-Cœli.

vaon inscriptum Matriti exstare.

312. De altera verò Ioannis primi ut iam dicamus, publicata ea quidem fuit statim atque res Portugalliæ post quadragesimum huius, quod excurrit, sæculi annum ad Brigantinam domum conversæ sunt: cuius partem primam vidimus anno MDCXLIV. ab Antonio Alvari Ulyssippone in folio editam, quam secuta est forsan posterior pars. Ea distertè adscribitur Ferdinando Lupi, ut ex hac inscriptione quam subiecimus, manifestum fit: *Chronica del Rey D. Joan I. de boa memoria, e dos Reis de Portugal ò decimo. Primeira parte, en que se contem à defenzam do reino àte ser eleito Rey, ofrecida à Magestade del Rey D. Juan o quarto nosso señor de miraculosa memoria. Composta per Fernan Lopez.* Manu exaratum exemplar tribus comprehensum tomis habet Matriti bibliotheca Villumbrosana.

313. Nondum tamen certum est eiusdem esse auctoris integram hanc historiam, cùm Gomesius Ioannis de Zurara, Alphonsi V. historicus, qui quidem iuvenis Ferdinandum noscere potuit, non obscurè scriptum cap. 3. laudati iam commentarii vulgaris linguæ [y] *De Septæ urbis Africæ expugnatione* reliquerit Goesii testimonio, non ultra huius Septæ urbis tempus, hoc est annum MCDXV. Ferdinandum fuisse res Ioannis gestas prosecutum. Ipsi tamen Goesio certius videtur non alii quàm Ferdinando totam deberi hanc historiam; quinimmo nec dubitare se ait Eduardi Ioannis filii etiam illam, quæ superiorem consequitur, eiusdem esse; si tamen quædam exceperis à Gomesio eodem Ioannis addita, ut breviorem Eduardi rerum commentarium locupletaret: cui Spartæ ornandæ Rodericum Pinam tertium accessisse ait. Nihilominus tam Ferdinando Lupi quàm Zuraræ recentiores tribuunt eius gentis homines [z] totum historiæ Ioannis Regis corpus tribus voluminibus comprehensum.

[y] Da Tomara de Septa.

[z] Toscanus in *Parallelis* cap. 28. & 44.

314. PETRUS DE CAVALLERIA Cæsaraugustanus circa annum MCDL. tractatum quendam scripsit, *Zelum Christi contra Iudæos, Saracenos, & Infideles* nuncupatum: cuius exemplum à se repertum cum alio Savonensi contulit doctus vir Martinus Alphonsus Vibaldus Toletanus, auctor *Candelabri aurei* moralis, scripti famigeratissimi, ac primus in lucem prodire curavit, glossis adiunctis affatim eruditis, apud Baretium de Baretiis typographum Venetum anno MDXCII. in 4.° ut in altera parte iam diximus, cùm de Vibaldo sermo nobis esset (1).

315. IOANNES RODRIGUEZ DEL PADRON, Gallæcus cognomen ab oppido huius appellationis in regno isto, ut videtur, sortitus, in Ioannis II. Regis aula bonam vitæ partem vanis amoribus colendis carmineque celebrandis, qua versificatoria arte plurimùm valuit, contrivisse dicitur. Perterritus tandem violenta Maziæ sibi perfamiliaris morte, quam ei ardentissimi cuiusdam amoris obstinatio peperit (cuius quidem cadaver, ne id ex occasione taceamus, in capella Catharinæ martyri dicata castelli oppidi *Arjonilla*, provinciæ Bæticæ regnique Giennensis sepultum hac inscriptione dignoscitur: *Aqui jace Mazias el enamorado*: quod in *Annalibus Ecclesiæ Giennensis* [a] annotatum reliquit posteris Martinus Ximena): perterritus, inquam, amici eâdem viâ deerrantis casu, cuius Ioannes de Mena eius temporis poeta meminit [b], ac in se reversus: laicum statum, moresque insaniæ impensos pro religiosa vita commutare voluit, & Franciscanorum sacramento in patria addictus, magno inter eos virtutum omnium viro huius conversionis dignarum, exemplo vixit, ædificandoque ibi eiusdem instituti monasterio facultates suas elargitus est. Hanc vitæ, tum profanæ, tum religiosæ, periodum, Ioannis Roderici nostri, cùm Gundisalvus Argote de Molina in lib. 2. *Nobilitatis Beticæ* [c], tum Lucas Wadingus *De Scriptoribus ordinis Minorum* agens, descripsere: quorum ultimus videndus est sub nomine Ioannis de Herbon, quo item nomine, familiæ forsan, idem fuit appellatus. Va-

[a] Pag. 171.

[b] In *labyrintho, orden 3 de Venus.* copla 105. & ibi Ferdinandus Pincianus in glossa.

[c] Fol. 272.

(1) Hunc *Petrum de Cavallerla* seu *Cavallanianum*, ut in Regis Galliarum Bibliotheca *T. III. pag.* 409. *cod.* 3662. nos suprà *Lib. VII. cap. VIII. pag. huius vol.* 104. *col. I. in Notis* ad finem sæculi XIII. retulimus, parum memores de eo à Nostro hoc loco, qui proprius est, agi. Constat enim inclinante hoc de quo agimus sæculo XV. floruisse, atque ad annum MCCCCLXIX. Complutum è Valentia nostra, unà cum Alfonso Palentino Catholicorum postea Hispaniæ Regum Historico, à Ferdinando Aragoniæ Principe & Siciliæ Rege missum ad Alfonsum Carrillum Archiepiscopum Toletanum, nuptiarum Principis cum Elisabetha Ioannis II. Castellæ Regis filia Enrici IV. sorore germana παράνυμφον, cum mandatis, ut XX. florenorum millia, monileque aureum pretiosissimum, nuptiarum arrhabonem, ad Archiepiscopum Toletanum deferrent: ut legimus in Didaci Valeræ MSto. hactenus ut putamus, inedito Enrici IV. Castellæ Regis Chronico Regiæ Matritensis Bibliothecæ, ad annum MCCCCLXIX. cap. XLIX. fol. XCV. pag. 2. quo loco *Petrum* de quo agimus vocat: *honrado Ciudadano de Çaragoça*; & rursum eius meminit *cap. sequenti* seu L. *fol. XCVII. pag.* 1. de hoc nos Didaci Valeræ Chronico, infrà in eo.

316. Varia ſcripſit carmina, & in iis *Infernum amoris*.

317. Item aliud opus *Cadira de honor*, hoc eſt, *ſedem ſeu cathedram honoris*, ut interpretor: quod laudat Ferdinandus Mexia in ſuo *Nobiliario* lib. 1. cap. 45.

318. Necnon & genealogicum opus, quod vulgò ei attribui ſolet, *Compendio de linages* dictum; niſi alius ſit eiuſdem nominis, quod valdè ſuſpicor (1).

319. Sub eodem Ioanne II. & Alvari de Luna Comeſtabilis Caſtellæ, cui quidem Ioannes totus obnoxius fuit, clientela DIDACUS DE VALENTIA vixit: de quo nîl aliud novimus quàm eiuſdem Alvari auſpiciis iuſſuque librum edidiſſe vulgaris linguæ *Arbol de batallas* inſcriptum, è Gallico tamen Honorati Bonet converſum: qui quidem Honoratus dicavit opus hoc ſuum, de ſacris, ut videtur, Bibliorum hiſtoriis conceptum, ut in tranſlatione legimus, *A la ſanta corona de Francia, en la qual el dia de hoy por la ordenanza de Dios reyna Carlos ſexto en eſte nombre.* Hoc eſt: *Sanctæ coronæ Francicæ, in qua hodie Carolus huius nominis ſextus divina ordinatione regnat.* Doctorem ſe ibi auctor Decretorum, ac *de Lalo* (ita ſonat Hiſpana ſcriptura) priorem vocavit. Verus libri Gallici & auctoris titulus: *L'Arbre des batailles fait & composè par Maiſtre Honorè Bonet docteur en Decret, & Prior de Challôn, à l'honneur de Dieu, & en faveur du Roy Charle le bien aimè.* Latinè appellatur hæc dignitas *Prior Catalaunenſis*, Mareſio *de Ioanna Papiſſa* pag. 11. qui ait habere ſe hunc librum MS. & compoſitum ante CCC. annos (2).

320. Nîl magis in hiſtoria Caſtellæ Regum decantat fama duratque ad poſterorum documentum, quàm Ioannem II. addictum pluſquam deceret maiorem vitæ partem vixiſſe, ac nihil non detuliſſe Alvaro à Luna Aragonenſi, quem Caſtellæ Comeſtabilem, S. Iacobi ordinis Magiſtrum, ſexagintaque oppidorum & arcium toparcham, magnà omnium aliorum Caſtellæ Magnatum iniuriâ, nec minori invidia creaverat. Hunc ipſum, variante fortuna vices anno huius ſæculi quinquageſimo tertio Pincianum municipium in foro ſuo, Regis eiuſdem ſententiâ, decapitatum vidit. Cuius quidem rerum geſtarum hiſtoriam cum hac inſcriptione: *Chronica del Condeſtable Don Alvaro de Luna* edidit neſcio quis, abſque nomine tamen auctoris, Mediolani anno MDXLVI. in folio. Quam apud Marchionem Acropolitanum olim Matriti vidimus. (3).

321. At huius Chronici auctorem ANTONIUM DE CASTELLANOS, hominem aliunde ignotum, rebus tamen quas deſcripſit æqualem, paulove inferiorem, ut ex ſtilo apparet, fuiſſe, affirmatè nos docuit huiuſmodi monumentorum cognitione multum vir ſubactus D. Ioſephus Pellizerius, regius hiſtoricus Philippi IV. & Caroli II. non uno loco [d], huius hiſtoriæ hunc architectum laudans (4). An autem hæc ſit eadem cum ea quæ ſine nomine auctoris MS. ſervatur in bibliotheca Villumbroſana Matritenſi, exſcripta, ut ibidem annotatur, ex codice bene antiquo caſtri ſive arcis villæ de Cornago, nondum affirmare poſſumus.

322. Eidem tamen ALVARO DE LUNA tribuitur liber *De las claras mugeres Hebreas, Gentiles, y Chriſtianas:* ſive *De claris mulieribus Hebræis, Ethnicis, atque Chriſtianis*, in exemplo huius operis MS. quod *deſpedimiento de ſu Señora.*

[d] *Memorial por la grandeza de los Condes de Miranda* fol. 37. & in libro nuncupato *Informe de los Sarmientos* fol. 83.

(1) Exſtant variæ huius Ioannis eclogæ in Συνήμασι Poetarum & poematum Hiſpanicorum, quæ *Cancioneros* vernaculè appellamus. In Hiſpalenſi 1540. apud Ioannem Cronberger, fol. IX. p. 2. & X. *De caduca mundi gloria: Ad Chriſtum Cruci affixum. Ad beatiſſimam Virginem Mariam Chriſtum è cruce depoſitum gremio ſuo excipientem...* Fol. LXIV. *Septem amoris gaudia...* Fol. LXV. *Decalogus*, ſeu *decem amoris præcepta...* Fol. CLIV. p. 2. *Canticum eroticum.* Abſunt *Compendium genealogicum: Cathedra honoris*, & *Infernus amoris.* Sub hoc titulo: *Infierno de amor*, ludit in eodem Cantionario fol. LXXXVI. pag. 2. *Garſias Sanchez de Badajoz*, quo in carcere *Ioannem Rodriguezium del Padron* detentum ſe vidiſſe narrat... Sub titulo *Infierno de amores, D. Carolus de Guivara*, ibid. fol. LXXVI. pag. 2. atque item Marchio Sant-Iulianenſis: *El infierno de los enamorados* apud D. Sanchezium *T. I.* Syll. Poem. Hiſp. p. XXXVIII. In veteri autem Eſcurialenſi Cantionario MS. de quo mox, habetur *Ioannis Rodriguezii del Padron* Poemation hoc titulo: *Cantiga quando ſe fue à meter frayre à Jeruſalen, en*

(2) Huius operis verſionem aliam Hiſpanicam *Antonii Coritæ* è codice Eſcurialenſi *Lit.* h. *Plut. II. n.* 19. ſupra retulimus, hoc libro, *cap.* 2. *poſt n.* 96. in *Addendis ad annum uſque MCCCXX.*

(3) Recuſum fuit *Alvari de Luna Chronicon* Matriti apud De Sancha 1784. in Sylloge Chronicorum Hiſpaniæ curante Cl. Ioſepho Michaele de Flores Regio Matritenſi criminibus vindicandis XII. viro ſæpius à nobis laudato. MStum. exſtitit in Bibliotheca Comitis olim Ducis Olivarienſis pag. 162. A. MS. *D. Alvaro de Luna. Su Chronica. fol. D.* 27. Item, in editis Lit. A: *Alvaro de Luna ſu Chronica en folio. ſin nota de Impreſſion. K.* 8.

(4) *Antonium de Caſtellanos*, qui hactenus creditus fuit *Alvari de Luna Chronici* auctor, fictitium eſſe nomen, ex *Antonio de Caſtellono*, qui prioris omnium Mediolanenſis eiuſdem Chronici editionis 1546. curator fuit, in Hiſpanum ſermonem parcè detortum, monuit opportune in editionis Matritenſis 1784. prologo nuper laudatus D. Ioſephus Michael Flores.

quod in ſupellectile ſua libraria ditiſſima Excellentiſſimus Comes Villumbroſanus ſervat: ubi & annotatur anno MCDXLVI. *en el real ſobre Atienza*, id eſt, in obſidione Atienzæ oppidi publicatum fuiſſe (1).

323. Magis quòd ad hunc eundem Alvarum pertinet, quàm quod huius temporis eſſe noſcamus, laudandus venit nunc liber, *Defenſa contra la conjuracion de D. Alvaro de Luna* qui in bibliotheca Olivarienſi olim exſtitit, ut ex eius catalogo conſtat, appoſito *Baccalauri Marquillos* auctoris nomine: cuius quidem veram fuiſſe appellationem MARCUM GARZIA, cui munus, *Alcalde mayor de Toledo*, in eiuſdem catalogi MS. ora notatum voluit, aliquis non ineruditus homo: qui totum, quantus ille eſt catalogus, marginalibus huiuſcemodi animadverſionibus locupletavit (2).

324. Huiuſmet Regis Ioannis capellæ miniſter fuit, & archipresbyter *de Talavera* (quod municipium eſt in agro Toletano nobiliſſimum) ALPHONSUS MARTINI A TOLETO: cuius exſtat liber non parum utilis admonendæ iuventuti, & ab amaſiarum laqueis ſervandæ, hoc titulo inſignis, in editione Lucronienſi MDXXIX. in folio Michaelis de Eguia: *Compendio breve y muy provechoſo para informacion de los que no tienen experiencia de los males y daños que cauſan las malas mugeres à los locos amadores, y de otras coſas anexas à eſte propoſito, nuevamente añadido y impreſſo.* Hoc eſt, *Breve compendium, ſed valdè utile, ad informandos eos, qui damna nondum experti ſunt, quæ inſanis amantibus inhoneſtæ inferunt feminæ.* Prodiit iterum Hiſpali anno MDXLVII. in 8.° ex officina Andreæ de Burgos. Opus hoc à quibuſdam *Corvacho* appellatum novimus (3).

325. Eundem quoque auctorem habuit liber *Atalaya de las Coronicas*, ſive, *Specula Chronicorum* nuncupatus: quem inter libros noſtri olim dum viveret amici, religioſi viri Fr. Ludovici Emmanuelis de Eſpinoſa domûs B. Virginis de Monte-ſerrato Matritenſis abbatis, eiuſdemque illuſtriſſimi Dom. Ioannis Emmanuelis de Eſpinoſa Tarraconenſis præſulis, germani fratris, manu exaratum contrectavimus. Poſſedit olim (idem an aliud?) exemplum Didacus Colmenares Segovienſium rerum hiſtoricus, quod penes Marchionem de Cábregas nunc eſſe, monuit nos in *Diſſertationibus* ſuis *Eccleſiaſticis* [e] Acropolitanus olim, hodie iam Mondexarenſis Marchio. Alphonſus hîc duorum iſtorum operum Scriptor magis notus eſt *Archipresbyteri de Talavera* dignitate, quàm proprio ſuo & familiæ nomine (4).

326. In poetarum temporis eiuſdem Ioannis Regis, ſub quo maximè apud nos huic arti ſeſe dedêre ingenioſi homines, aliquo numero fuiſſe dicitur DIDACUS DE S. PETRO Decurio Vallisoletani municipii: cuius ad eundem Regem directum exſtare opus metricum *De los llantos* inſcriptum, verſibus dodecaſyllabis ferè iam antiquatis, nulliuſque inter nos hodie præhendecaſyllabis ab Italia acceptis pretii, D. Ioſephus Pellizerius alicubi [f] affirmat (5). Hoc idem hominis nomen præ ſe fert proſaicum opus, *Carcel de amor*, hoc eſt *Carcer amoris* dictum, & ad Didacum Ferdinandi, quem *Alcayde de los donzeles* vocat, directum: cuius quidem Antuerpienſem Martini Nucii anni MDXCVIII. editionem laudare poſſumus.

[e] *Diſertaciones Eccleſiaſticas por el honor de los antiguos tutelares, contra las ficciones modernas.* par. 1. diſertacion 1. c. 4. §. 32.

[f] *Origen de la caſa de los Sarmientos de Villa-mayor* f. 20.

(1) Exſtat in Bibliotheca Collegii Sancti Bartholomæi Salmanticenſis, hoc titulo: *D. Alvaro de Luna, Claras Mugeres*, ac duplici exemplo: apud Marchionem de Alvêntos *Hiſt. Coll. T. I. p.* 312.

(2) Fruſtra fui in hoc codice in Catalogis Comitis-Ducis Olivarienſis exquirendo: v. *Baccalaurus*: v. *Marquillos*: v. *Marcus Garcia*, in utroque & *Librorum* & *Materiarum* indice.

(3) Exſtat in codice Eſcurialenſi *Lit.* h. *Plut. III. n.* 10. (T. II. p. 115.); atque item EIVSDEM *Archipresbyteri Talaverenſis* tractatus alter Hiſpanicus: *Contra la comun fabla & opinion que ſe tiene falſamente acerca de los Fados, Fortuna, Signos y Planetas*, anno, ut ibidem legitur, MCCCCXXXII. ab Auctore editus. Utraque & Lucronienſis MDXXIX. fol. & Hiſpalenſis MDXLVII. 8.° ad manum nobis cum hæc ſcribimus eſt.

(4) Librum *Atalaya de las Chronicas*, ſive *Speculam Chronicorum* non ad hunc *Alfonſum Martini à Toleto Archipresbyterum de Talavera*, ſed ad *Alfonſum* alium *de Toleto Conchenſem in Decretis Baccalaureum*, Noſtro indictum, pertinere puto: cuius eſt etiam liber Hiſpanicè inſcriptus: *El Invencionario, en el qual ſe hallan los primeros inventores de las coſas, aſſi temporales como eſpirituales, & los motivos & las cauſas de las invenciones*: ad Alfonſum Carrillum Archiepiſcopum Toletanum Hiſpaniarum Primatem, in Bibliothecæ Eſcurialenſis codice, *Lit.* h. *Plut. II. n.* 24. anno MCCCCLXXXV. ab Antonio Corduba, ut in eodem legitur, exarato exſtans. In eius enim codicis fine meminit Auctor alterius operis Hiſpanici à ſe conſcripti iuſſu Conchenſis Epiſcopi, hoc titulo: *Eſpejo de las Hiſtorias*: ut nos olim in eius codicis recenſione *T. II. Latinor. pag.* 93. notavimus: quod non diverſum ab *Specula*, ſive *Atalaya Hiſtoriarum* fuerit. De hoc *Alfonſo à Toleto* nos infra in *Addendis ad annum MCCCCLXXX.*

(5) Non exſtat in Hiſpalenſi anni MDXL. Cantionario; neque in Antuerpienſi MDLXXIII. apud Philippum Nucium 8.° In alio autem eius poematio Hiſpanicè inſcripto: *Deſprecio de la fortuna*, meminit alterius eius operis itidem Hiſpanici, cui titulus: *Carcel de amor.*

At neque alium à Vallisoletano Decurione & poeta hunc esse, confirmari potest è nuncupatione ipsa; Didacus enim Ferdinandi à Corduba Comarensium Marchionum progenitor, huiusmet ætatis quam percurrimus domicellorumque, seu puerorum regiorum magister præfectusve, quod munus *Alcayde de los donzeles* vulgus appellabat, is videtur, cui librum inscriptum voluit auctor.

327. Huius toties dicti Regis medicus fuit FERDINANDUS GOMEZIUS DE CIVITATE REGALI, nescio an à municipio cognomine Castellæ novæ sortitus appellationem: qui & perpetuam sibi à Baccalaurei scholastico honore inditam voluit adhærere notam, in aula regia quatuor supra quadraginta & ampliùs annorum spatio medicinam fecit, ob urbanum ac veré aulicum ingenium in paucis cùm Regi, tum eiusdem proceribus carus. Ioannem hic Menam poeticâ per id tempus laude clarissimum, cuius & ipse haud expers fuit, eundemque regium historicum res gestas eius temporis conscribentem, crebris literis, quo Regis obsequeretur iussibus, in iisque veris eventuum narrationibus quos apprimè callebat, instruere consuevit.

328. Quæ quidem literæ unà cum aliis ad alios missis, inter cimelia præteriti istius ævi chalcographicæque artis recèns tunc natæ, pauciss imorum hodie manibus teruntur. Elegantes quidem ipsæ (quæ illius temporis elegantia erat) facetiis partim, saleque innoxio aspersæ, ceteroqui rerum tot annis in turbulentissimo regno gestarum illustrem summam verè continent. Burgis has prodiisse docet libri frons anno MCDXCIX. sic inscripta: *Centon epistolario del Bachiller Fernan Gomez de Ciudad-real, fisico del muy poderoso e sublimado Rey D. Juan el segundo de este nombre.* Neque aliam existimo eam editionem anni MDC. in 4.° eiusdem Burgensis urbis, quam notatam inter libros Raphaelis Tricheti præfert eius bibliothecæ catalogus, immo errorem in designando numero admissum fuisse. Nihilominus subleSti aliquid in ea editione ab eo, qui intrusis eò familiæ suæ aliàs nobilissimæ cognomine notatis aliquot viris, eam magnificare voluit, commissum; atque ut antiquitatem repræsentaret, veterum characterum alicubi repertorum, aut de novo fusorum, habitu eam vestitam fuisse, sunt inter nos equidem qui valdè suspicentur (1).

329. Colligemus nunc quorundam, qui sub eodem Ioanne II. Castellæ ac Legionis Rege, anno MCDLIV. fato functo, floruêre, nec de eorum obitu quicquam certò affirmari potest, nomina & literarum monumenta.

330. IOANNES SANCII A MENDOZA, quem familiarem huiusce Regis appellatum invenimus, laudari solet ex opere haraldico & genealogico huius tituli: *Discurso de armas y linages*: quod MS. exstat.

331. IOANNES DE LUCENA, eidem Ioanni Regi à consiliis, scriptum reliquit vulgari sermone opus *De vita beata*, commutantibus verba duobus dialogistis, eximiis quidem virtute & proficuâ doctrinâ viris, Alphonso Burgensi, Episcopo *de Cartagena* dicto, & Enneco Lupi à Mendoza, sanctæ Iulianæ [g] Marchione; ac disquirentibus in quonam vita hominis beata consistat: quod ferè post sæculum prodiit typis editum Medinæ Campi ex officina Petri de Castro anno MDXLI. in 4.° (2).

[g] *Marques de Santillana.*

332. GUTERIUS quidam GAMIZ per hæc tempora scripsisse dicitur *La historia del Conde de Buelna D. Pedro Niño:* cuius ipse signifer fuisse dicitur, quam usque ad annum MCDXLVI. perductam, hoc est ad mortem Beatricis Portugalliæ, fuisse legimus in libro indice *Bibliothecæ Villumbrosanæ* Matritensis fol. 106. in qua asservatur eius quoddam exemplum (3).

333. IOANNES SERRA Valentinus notum se posteris, atque à nobis Scriptores persequentibus Hispanos commendandum reddidit, scribens hoc ipso tempore, aut circiter, librum quendam *De controversia trium animæ potentiarum, invicem de præstantia*

(1) Nimirum *à D. Ioanne Antonio de Vera & Zuniga* Comite de la Roca, ut vulgus Eruditorum putat: de cuius ingenio vidêsis Nostrum *Bibl. Hisp. Nov.* T. I. pag. 482. in eo... *Epistolaris Cento* nuper recusus fuit Matriti 1774. in Regio typographio *de la Gazeta* indigenis dicto, cum Hispanicis aliis opusculis. Cl. Editor Anonymus nonnihil innuit de suspicionis labe qua inuritur Burgensis *Centonis* annum MCDXCIX. (1499.) præseferens editio, quasi longe recentior sit, atque à nonnemine alicubi interpolata; nihil tamen de hoc definit. Indicatur hæc editio à Maittairio *T. I pag.* 359. hoc titulo: *Centon Epistolar del Bachiller por Jean de Rey.* 4.° *Burgis* 1499.

(2) Prodierat Burgis MCDXCIX. exstatque eius editionis exemplum penes me, in cuius fine legitur: *Esta obra fue impressa en la muy noble & mas leal Cibdat de Burgos. Acabose Jueves á ocho dias del mes de agosto por Juan de Burgos emprentador. Año del Señor: de mil y CCCC. y noventa y nueve* anos. Folio.

(3) Totidem hæc atque ipsis fere verbis apud Nostrum legas suprà, *Cap. III. huius libri n.* 106. prorsus ut alicubi superfluant; ea tamen omittere religio fuit.

stantia disceptantium inscriptum, ac Dominico S. R. E. Cardinali S. Crucis in Hierusalem nuncupatum, qui MS. asservatur inter Vaticanos codices (1). Hic est Dominicus Capranica, celeberrimus huius temporis sub Eugenio IV. Nicolao V. & Callisto III. summis Pontificibus, cunctisque virtutibus ornatus, ac literatorum Mæcenas, idemque ipse doctissimus sacri senatus pater: cuius res gestas luculenter habemus à Ciaconio, & qui Ciaconium continuaverunt, inter Cardinales Martini V. descriptos [h]. Obiit is anno huius sæculi quinquagesimo octavo; Nicolaus autem Papa, sub quo liber scriptus fuit, quode agimus, anno quinquagesimo quinto.

[h] Ultimæ editionis Rom. an. MDCLXXVII. tom. 2. col. 837.

334. ANONYMI poetæ carmen exstat Ioannis quoque tempore scriptum *De las fazañas de Hercules*, sive *De laboribus & expeditionibus Herculis* versibus vernaculis dodecasyllabis: cuius fragmentum in bibliotheca suorum operum Valentiæ MDCLXXI. edita D. Iosephus Pellize- *Biblioth. vet. Hisp.* Tom. II.

rius regius historicus, tamquam totius operis specimen, publicavit [i].

[i] Fol. 119.

335. IOANNES ALPHONSUS DE BAENA, nescio quis, compilavit, aut ipse auctor fuit, systematis cuiusdam variorum carminum, quod *Cancionero Español recopilado en tiempo del Rey D. Juan el segundo por Juan Alonso de Baena*, in codice chartaceo MS. regiæ Escorialensis bibliothecæ inscriptum exstat. Sed ex occasione hìc adiungam, in eadem bibliotheca, iuxta meum eiusdem catalogum, sub titulo *Poetas y gramaticos en Castellano de à folio de mano:* unà cum iam laudato Baenæ, ut sic dicam, Cantionario, tres alios eiusdem cum eo nuncupationis, hos scilicet, reperiri:

336. *Cancionero Español, que comienza:* Este jamas perdiò su reposo.

337. *Cancionero de devocion, que empieza:* Diversas virtudes y vicios.

338. *Cancionero de devocion de una obra larga continuada* (2).

(1) Exstat penes me MS. in membranis hoc titulo: *De contemplatione amicitiæ in coniunctione animæ & corporis* (nisi diversa sunt opera); atque in Bibliotheca Regis Galliarum apud Montfaucon. *Biblioth. Bibl. cod.* 6313. & memini hoc titulo editum in Catalogis librorum venalium Lugdunensibus Tournesianis aut Fratrum de Ville circa annum 1740. evulgatis.

(2) Exstat *Ioannis Alfonsi Baenæ* Bibliothecæ Escurialensis *Cantionarius Lit.* h. *Plut. I. n.* 5. quem nos ad annum 1763. in recensione MStorum. eiusdem codicum ita describebamus (T. II. à pag. 64.):
, *El Judino Juan Alfon de Baena*, qui se alicubi
, Regium tabellionem appellat. Titulus ab Auctore si-
, ve Collectore operi impositus: *El libro fundado*
, *sobre la muy graciosa & sotil arte de la Poetria*
, *& Gaya ciencia, en el qual son escriptas è asen-*
, *tadas todas las cántigas muy dulces & gracio-*
, *samente assonadas de muchas & diversas artes.*
, Colluditautem Auctor in eo cum famosioribus
, eius ævi Poetis, quorum nomina Hispano idioma-
, te, atque eodem quo in codice scripta sunt ordi-
, ne sistere placuit, nimirum:
, Juan Alfon de Baena escribano del Rey, com-
, pilador, y en gran parte auctor de este libro.
, Alfon Alvarez de Villasandin.
, Fray Diego de Valencia del Orden de San Fran-
, cisco Maestro en Santa Theulugia, è gran Maes-
, tro en las artes liberales, gran physico, estro-
, logo, mecanico, tanto è tan mucho que en
, su tiempo non se fallò ome tan fundado en las
, ciencias como êl; y lo manifestò bien en la
, respuesta que dio al Comendador Ferrandes Ca-
, lavera en la muy alta trascedente question: *De*
, *precitos è predestinados.*
, Don Pedro Velez de Guevara.
, Fray Miguel de la Orden de Sant Hieronymo
, Capellan del honrado Obispo de Segovia.
, Don Juan de Tordesillas.
, Ferrant Manuel *del Arando* (aliàs: *de Lando* aut
, *de Lango*) Doncel del Rey.
, Fray Pedro de Colunga de la Orden de los Pre-
, dicadores (aliàs *De San Pablo*)
, Un Bachiller y Maestro en Artes de Salamanca,
, que no se nombra.
, Pedro Morrera.
, Francisco de Baena Escribano del Adelantado
, Perafan de Ribera.
, Pedro Carrillo.
, Alvaro de Cañizales.
, El Maestro Fray Lope del Monte del Orden de
, San Francisco Bachiller en Theulugia.
, Ferrant Perez de Guzman Señor de Batres.
, Alfonso Sanchez de Jaen Canonigo de Toledo.
, Don Gutierre de Toledo Arcediano de Guadal-
, fajara ó bien sea...
, Ferrand Perez de Illescas Señor Déba...
, Micer Francisco Imperial natural de Genova, re-
, sidente en Sevilla.
, Fray Bartholome Garcia de Cordoba del Mones-
, terio de Frex de Val en Burgos.
, Don Mosse Curgiano del Rey Don Enrique.
, Diego Martines de Medina Jurado de Sevilla.
, Maestro Fray Alfonso de la Monja.
, Pedro Gonzalez de Mendoza Padre del Almiran-
, te D. Diego Furtado.
, Alonso de Morraña.
, Ruiz Paez de Ribera vezino de Sevilla.
, Pedro Ferrús su cántica para los Rabies.
, Los Rabies, respuesta.
, Macias el enamorado.
, El Arcidiano de Toro.
, Gonzalo Martinez de Medina.
, Pedro Gonzalez de Uceda hijo de Gonzalo San-
, chez de Uceda el viejo natural de Cordoba,
, ome muy entendido en todas Ciencias, espe-
, cialmente en el arteficio è libros de Maestro
, Rremon (*Lullii*)
, Gomez Perez Patino criado del Obispo de Bur-
, gos Don Juan de Villacreces, que era buen
, Gramatico, Logico, è Philosofo è Theologo è
, mecanico en las otras artes.
, Juan Garcia de Vinuesa Oficial de Juan Garcia
, de Soria Despensero del Rey.

339. LEANDER DE MURCIA cognomen fortassе ab urbe patria habuit. Huius viri fama, qui sodalis fratrum B. Mariæ de Mercede in Murciæ urbis cœnobio, dum rerum Ioannes II. Castellæ Rex potiretur, vixit, extincta ferme apud nos est; cùm & libri ab eo conscripti atque ea ipsa hominis fama inter exteros etiam nunc duret. Insignem habuisse cognitionem literarum proditur, floruisseque eâ poeticæ artis facultate ut in consuetudinem proverbii de eo venerit, vel vivere in Leandro, vel suscitatum à Leandro Virgilium fuisse. Eruditionem quoque cum pietate coniunxisse, qui ut sibi viveret conditionem honestissimam docendi Latinas literas Ferdinandi Castellæ Infantis, Ioannis Regis patrui, filios repudiaverit. Scripta huius prossa versaque oratione hæc memorantur:

340. *Christias:* hoc est, *Vita Christi.*
Distichon morale.
Annales sacri.
Anagrammatum varietas.
Hæc omnia desumsimus ex *Historia ordinis Mercenariorum* Alphonsi Ramonis lib. 10. cap. 11. ne hìc desiderarentur. Ceterùm vellem ab eo adduci huius hominis, atque horum eius operum, idonea documenta.

341. Eiusdem ordinis GUILIELMUS (vulgò GUILLEN) DE LOARTE, Aragonensis, qui diu Granatæ commoratus, opus Instituti sui agens, Regi priùs valdè carus, post ea verso in odium amore, quod Mauros quosdam nobiles ad Christi fidem convertisset, ab eodem Rege in carcerem detrusus fuit, durissimeque tractatus. Nec nisi post mortem eius solutus vinculis libertatem obtinuit. Reversus, Pinciæ in monasterio ordinis, quoad vixit, continuit se, asperrimè corpus tractans, ac religiosissimè in omnibus agens. Scripsisse dicitur quosdam, qui periêre, tractatus, & in primis *De obligatione Principis Christiani ad redimendos eleemosynis suis captivos qui à Mauris detinentur.* Historia ordinis Mercenariorum lib. 10. cap. 19. Lanuza *Hist. Aragon.* lib. 4. prioris partis cap. 36.

342. IOANNES SANCHEZ DE MENDOZA in familia eiusdem Regis Ioannis fuisse dicitur, scripsissèque nescio quid *De armas y linages.*

343. DIDACUS DE HERRERA in montanis Burgensibus natus, ad S. Bartholomæi Salmanticæ olim sodalis, atque inde monachus Hieronymianus in Melioratæ Ulmeto propinqua domo, cuius vitæ sanctitatem historici huiusce ordinis enixè laudant, scripsisse dicitur inter alia quorum periit memoria, cùm theologus & philosophus esset eximius, memoriaque ad miraculum singulari,

In libros metaphysicorum Aristotelis commentaria.

In Boetii libros De consolatione

glossam quandam. Obiit, cùm esset iterum domus suæ præfectus, floruitque hoc eodem tempore sub Ioanne II. Rege. Præter Hieronymianos Vegam lib. 2. cap. 23. & Seguntinum parte 2. lib. 4. cap. 7. vide Vergaram in *Historia Collegii S. Bartholomæi Salmanticensis* pag. 97.

344. PETRUS quoque DIAZIUS DE TOLETO circa hæc tempora, eiusdemque Regis auspiciis, de literis antiquis mereri quadantenus voluit, Senecâ in manus sumto, quem nondum iis communicatum, qui Latinè nescirent, civibus suis ægrè ferebat. Sed, quæ erat illius ævi infelicitas, cùm nondum critica sagacitas vera opera antiquorum auctorum ab supposititiis, subque magno aliquo nomine sese venditantibus, distinxisset: pro Senecæ germanis libris eos propemodum Hispana donavit civitate, qui in Senecæ sacrarium profani violentique irruerunt; non quidem aliàs viro probo doctoque, attamen Cordubensi illo sopho indigni.

345. Sed antequam huc accedamus præmittere opus est, Petrum hunc nostrum proverbia vulgaris linguæ amplissimi eius temporis Hispaniarum Magnatis Eneci Lupi à Mendoza Marchionis de Santillana excellentissimorum Ducum Infantatûs progenitoris de quo infrà erit nobis tractandum, quæ carminibus auctor complexus fuit, scholiis quibusdam unicuique eorum subiectis exposuisse. Præloquitur his Petrus ad Henricum principem, sese hanc glossam genitoris eius Ioannis Regis præcepto ductum confeciisse: ubi & refert, iisdem auspiciis iussuque *Proverbia Senecæ* iam olim se in Hispanum sermonem vertisse. Multis quidem prudentibus documentis hæc plena glossa est; sæpe tamen ob ignorantiam rerum & hominum veterum deficiens.

346. Polycratum sæpe uti auctorem laudat, quæ operis Ioannis Saresberiensis compellatio est. Elimandum quoque in *Historia Romanorum* citat, qui Helinandus forsan est Gallorum historicus. Armenii etiam Bononiensis in libro *De Florica Fidei Argivi uxore*, nescio cuius testimonio utitur. Brasenum quendam in septenario Athenienium, sive Græciæ sapientum, collocat. Pompeium ait in Numantino prœlio in campis Philippicis à Cæsare victum. Platonem Stoicorum magistrum magnum vocat. De officiis librum Senecæ tribuit, ac fortasse alia, viro forsan iurisprudentiæ dedito (nam & Doctor in his monumentis audit) ad amœna hæc historiæ divertenti condonanda.

347. Hæc autem duo proverbiorum, quibus lucem noster commodare voluit, systemata Marchionis Sant-Iulianæi alterum, ut sic dicam, glossatum, Pseudo-Senecæ alterum Hispanè conversum, simul prodière Antuerpiensibus typis anno MDLII. in 8.° hac inscriptione: *Proverbios del Marques de Santillana, glossados por el doctor Pedro Diaz de Toledo*; unàque *Los proverbios y sentencias de Seneca.* Hæc eadem Senecæ proverbiorum interpretatio vulgaris cum aliis eiusdem libris similiter conversis simul prodiit Medinæ, ut credimus (liber enim nunc ad manus non est) anno MDLV. in folio ex officina Hadriani Ghemart. Quæ collectio hæc continet. Primò *Los proverbios:* Sed ii Publii Syri & Laberii Mimi sunt, ut in rebus Senecæ annotavimus, multorum qui aliàs crediderunt, & in his Ioannis Saresberiensis, errorem arguentes.

348. Annotat in præfatione huius libri auctor sese non hunc dumtaxat Senecæ, sed & alium eiusdem librum, quem *De las costumbres y hechos* appellat, vernaculo interpretatum sermone; necnon & ex Aristotelis philosophia morali (Ethicorum libros intelligo) testimonia quædam ex Latina ex Arabico versione desumta: quo quidem ostenditur illo tempore non è Græco Aristotelem, sed è Græco-Arabico Latinum fuisse habitum. Sequuntur II. epistolæ, *Las epistolas.* Sed ex CXXIV. quibus hodie fruimur, quinque tantùm & septuaginta, & alio quàm nunc eduntur ordine. III. *De la vida bienaventurada.* IV. *De las siete artes liberales:* qui non liber, sed epistola est Senecæ octogesima octava. V. *De las amonestaciones y dotrinas:* qui Senecæ non est. Incipit: *No hay cosa tan mortal á los ingenios humanos como la luxuria* &c. VI. *De la providencia de Dios*; inversis tamen capitibus. VII. *Libro segundo de la providencia de Dios*; cùm unus tantùm exstet Senecæ. Non tamen scimus quem intellexerit, cùm ista solùm inscriptione contentus, ad quorumdam fragmentorum interpretationem sese convertat, quæ ex Senecæ operibus aliquis antiquus racemator decerpserit. Pertinet autem ad auctoris laudem quod sequitur, hactenus pertingere hanc compilationem, quam primam sive priorem vocat, *Senecæ dictorum è nostra* (ut ait) *magna*

, Alvar Rruiz de Toro Escudero de Juan San-
, chez de Palenzuela.
, Don Juan de Guzman Hermano del Conde de
, Niebla.
Martin Alfonso de Montemayor Señor de la Villa
, de Alcabdete.
, El Mariscal Iñigo de Astúniga.
, Un Moro que decían Maestro Mahomât El Xar-
, tose de Guadalsajara Phisico que sue del Al-
, mirante Don Diego Furtado de Mendoza.
, Juan de Mena.
, Rodrigo de Arana.
, El Despensero de Don Ferrando Obispo de Cór-
, doba.
, Gonzalo de Quadros.
, Un Bachiller. (*innominatus.*)
, Juan Rodriguez del Padròn. Meminerat huius
, Noster hoc libro X. c. V. num. 315. *eiusque*
, *poematii:* Cántiga quando se sue á meter fray-
, re à Jerusálen en despedimiento de su Señora.
, Juan de Viena.
, Nicolas de Valencia criado de Juan Alvarez Os-
, sorio.
, Pedro Lopez de Ayala (*Cancellarius maior.*)
, Ferrant Sanchez Calavera, nimirum quem paulo
, appellaverat: *El Comendador Ferrandes Ca-*
, *lavera.* Comendador de Villarubia
, Fray Alfonso de Medina Monge de San Geroni-
, mo de Guadalupe, Bachiller en Teologia
, Garci Alvarez de Alarcon escribano del Rey
, vecino de Madrid.
, Alonso Alvares (*Ioparcha, ut puto de Valde-*
, *corneja*).
, Garci Fernandez de Jarena, el qual se tornò
, Moro y luego se volvio al Christianismo (*è*

, *cuius poematiis eliciuntur præcipua & val-*
, *de rara eius vitæ gesta*; figmentaque &
, hypocrisis.)
, El Mariscal Pero Garcia
, Suero de Ribera

Hactenus Poctarum nomina quorum scripta collegit Ioannes Alfonsus Baena; ea vero in codice excipiunt: *La Carta sobre los Proverbios que mandò el Marques Inigo Lopez de Mendoza al Principe de Castilla Don Enrique;* Et Hispanica notissimaque *Georgii Manrici* carmina: de quibus nos infrà.

, Pervellem equidem (pergebam codicem recensens)
, nobiliorum Poetarum carmina aut saltem unius & alte-
, rius eorum gustum sistere; cùm ut Poeticam singulo-
, rum indolem internoscere liceret; tum ut metri genus,
, obsoletaque patrii sermonis vocabula nostratium aures
, arrigerent ac titillarent. Quando autem id exequi
, non vacat, unum moneo collectionem hanc uberri-
, mam atque omnium quæ circumferuntur antiquis-
, simam esse; neque exiguum operæ pretium factu-
, rum quicumque eam non perfunctorie legerit. In
, his enim poematiis præter eorum elegantiam, nati-
, vamque patrii sermonis copiam, bona forsan ævi
, quo scripta fuerunt historiæ pars graphicè depingi-
, tur. Nimirum his verborum involucris ac τοῖς ἀνέ-
, γμασι Poetæ animi sensa, quæ aliàs propalare tutum
, minime foret, includere amant.

Exstat præterea in Regia Bibliotheca Matritensi *Cantionarius* alter Lusitanus paulo priore recentior, in quo plurima, varii argumenti non iniucunda neque illepida exstant poematia. Sistimus alterius eorum ideam quando plura non licet: *Trovas do Coudelmoor à huma moça que le pedyô uns çocos, e que fôsse hon par de laubr.*

gna dictorum eius atque doctrinæ compilatione depromtam. VIII. *Fragmentos de las declamaciones* : quas quidem fortè exiſtimavit eſſe eiuſdem Senecæ, cùm patris Marci ſint. Hactenus hæc ſylloge (1).

349. PETRUS TAFUR, Cordubenſis eques, *Itinerarium* quoddam reliquit ſcriptum, quo quidem adhuc in ſchedis ſervato Ambroſius Morales uſus fuit, dum in opuſculo *De genealogia S. Dominici* quod in finem *Hiſtoriæ* ſuæ *Hiſpanæ* coniecit, Bononienſis urbis, atque in ea corporis eiuſdem Dominici aſſervati, inſigniumque Guzmanicæ domus ſepulcro inſcriptorum meminit. Familiarem eum Ioannis Regis II. fuiſſe ibidem ait. Hunc & conſulebat Gundiſalvus Argote de Molina; ſiquidem in libris ſuis, quos ad manum habuit, cum *Beticæ nobilitatis* conficeret commentarios, Petrum Tafur laudat.

350. LUPUS DE ESPEJO Oriolanus Nicolao V. Pontifici ſeſe commendavit ad eum directâ epiſtolâ ex Neapolitana urbe anno huius ſæculi quinquageſimo tertio, præambula opuſculi, quod appellavit: *Propoſitionem adverſus quoſdam curioſos detractores Eccleſiæ, quia poſſidet, & ſuper ſtatu eius :* facta coram eodem Papa. Incipit: *Loquebar de teſtimoniis tuis* &c. In epiſtolæ principio fere oſtendit patriam, ac de ſe aliqua. *Et ut confutando reſpondeam, Beatiſs. Pater, alicui fortè me in promtu arguenti quod iniuſtè detraho de his quæ non ſentio : noverit ipſe reprehenſor quòd in ea natus fuerim, quæ non tunc, ſed nunc eſt civitas Oriola* (facta ſcilicet poſt natalem auctoris annum civitas) *pulcra, fertilis, amœna, de regno Valentiæ; & ibidem uſque ad duplex ſeptennium educatus, demum inter coætaneos noſtros in adoleſcentia noſtra in ſtudiis noſtrarum regionum totìus Hiſpaniæ in arte componendi metra cuiuſcumque generis per dactylos & ſpondæos & ceteros pedes, de quibus facit mentionem Hieronymus in prologo ſuper Iob, non tantùm primus, ſed ſolus fui; non tamen ſic eleganter, quia in Italia fui ſupremus, aut nullus* &c. Inſcripſit ſeſe epiſtolæ: *Humillimum ſervulum & devotum Lupum de Eſpejo.*

351. In fine ſunt hi verſus quaſi compendium operis:

Pars prior hortatur quòd ſacras quiſque loquatur
Semper Scripturas, clerus & ipſe magis.
Parſque ſecunda gemit laicorum murmur iniquum
Eccleſiam contra, ne bona poſſideat;
Eccleſiæ & Petri Papæ quoque tractat honorem,
Atque poteſtatem triplice lege probans.
Tertia pauca tenens, multa excellentia tangit
Alphonſo Regi munera ceſſa Dei.
Quarta parum dixit, Fidei niſi robur, & altas
Eccleſiæ vires. Sic citò claudit opus.

Vidimus eiuſdem Lupi de Eſpejo Italico ſermone ſcriptam

352. *Hiſtoria de' primi Rè delli regni de Napoli e d' Aragona* : ad Alphonſum de Aragonia Calabriæ Ducem, quod interpretor, Alphonſum Ferdinandi filium qui poſt patrem regnavit. Librum ſervant Carmelitani PP. Excalceati hoſpitii Romanæ urbis ſanctæ Annæ ſacri.

353. Hoc eodem tempore PAULUS Luſitanus, congregationis S. Ioannis Evangeliſtæ canonicorum regularium in Portugallia, ſcripſit huiuſmet ſuæ congregationis Chronicon, quod Cardoſus vidit, atque eo utitur in Hagiologio Luſitano die XII. Martii [k], unde vixiſſe anno huius ſæculi LVIII. ſuſpicari poſſumus. [k] Pag. 150.

354. Sub eodem Rege Ioanne II. natum fuit opus hiſtoricum incerti auctoris, quod continebat Breviarium, ſeu abbreviationem (hoc enim verbo auctor uſus forſan fuit) hiſtoriarum omnium Caſtellæ Regum. Quam vidiſſe videtur Hieronymus Surita, eam laudans in prologo ad opus ſuum, ante paucos annos publicatum: *Emendationum & animadverſionum ad Chronica regia D. Petri Lupi ab Ayala.* (2)

CA-

(1) Quaterna minimùm huius operis exempla exſtant in Bibliotheca Eſcurialenſi: bina ſcilicet *Lit.* t. *Plut. III. nn.* 9. 10. alterum *Lit.* s. *Plut. II. n.* 10. ac demum alterum *Lit.* N. *Plut. II. n.* 7.

(2) ADDENDI AB ANNO MCCCCXL. AD ANNVM CIRCITER MCCCCL.

PRIMVM autem omnium ne memoriâ excidat, huc refero Fratrem Didacum de Valentia Ordinis Minorum cuius in nuper deſcripto Ioannis Alfonſi Baenæ Cantionario laudatur *Reſponſum ad Commendatarium Calaveram ſuper quæſito : De reprobis & prædeſtinatis ad gloriam...* ITEM *Vaſcum de Guzman* (*) auctorem Hiſpanicæ verſionis Salluſtii Hiſtoriarum *De coniuratione Catilinæ* ac *De bello Iugurthino:* Ad Ferdinandum Perezium de Guzman eiuſque hortatu, quæ habetur in Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit.* G. *Plut. III. n.* 11. (T. II. pag. 28.) Item *Fratrem Gundiſalvum* cuius in Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit.* t. *Plut. III. num.* 3. (T. II. p. 523.) exſtat Hiſpanica verſio *L. Annæi Senecæ librorum: De ira eiuſque remediis ad Novatum:* in cuius prologo legitur: *Eſte libro eſcribio Frai Gonzalo ſuficiente Ortografo Capellan de la muy generoſa, & non menos virtuoſa Señora Doña Ines de Torres muger de Don Luis de Guzman de preclariſſima memoria Maeſtre de Calatrava que Dios haya. Et acaboſe à 8. de Octubre de MCCCCXLV. de*

(*) Cognominem *Vaſcum Ramirezium de Guzman* Archidiaconum Toletanum auctorem eximiæ nuncupatoriæ Epiſtolæ ad Ioannem I. Caſtellæ Regem Hiſpanicæ verſionis Dialogi Lucianæi: *De bellicæ laudis gloria & prima-*

tu, inter Auct[...]
res ſæculi XIV[...]
inclinantis re[...]
mus ſupra, Lib[...]
IX. in fine ca[...]
tis V. è Bib[...]
thecæ Regiæ M[...]
tritenſis codic[...]
atque ex Eſcur[...]
lenſi *Lit.* h. *Pl*[...]
II. n. 22. (T. [...]
pag. 91.) quo [...]
co habetur, [...]
INCERTI nomi[...]

CAPUT VII.

De ALPHONSO TOSTATO *Abulenſi Epiſcopo. Inſignes animi eius dotes & doctrina. Ferdinandi Pulgaris elogia laudantur. Adventus in curiam Pontificiam, ubi propugnatæ quædam theſes* Apologetici *argumentum ei præbuêre, & occaſionem Ioannis Turrecrematæ ſcripto. Collatus eidem ab Eugenio Pontifice Abulenſis Epiſcopatus. Immenſa vis & alacritas ingenii in commentando, mirabiliſque eius memoria. Biblicorum operum editiones. De die mortis Chriſti ſententia Toſtati ſequaces habuit. Propoſitionum eiuſdem à Turrecremata impugnatarum congruus ſenſus. In Euſebium commentaria vernaculæ linguæ, & alia.*

355. DUO ſequuntur ordine temporis, qui ſub eodem Ioanne Rege clariſſimi vixere, quantumvis poſt eius obitum, Henrico IV. iam rerum domino, diem ſuum intra eundem annum obierint. Quibus ſingula dabimus capita. Prior eſt ALPHONSUS TOSTATUS, notior Europæ integræ quàm peculiari egeat laude, niſi deberemus hìc nos præſcriptis operi legibus obtemperare. *Madrigal* Caſtellæ oppidum patriam habuit, à quo maluit quàm à proprio cognomine, cùm in ſtudiis literarum celebrari cœpiſſet, appellari. Unde vel *Alphonſum Toſtatum*, vel *Alphonſum de Madrigal*, vel *Abulenſem*, ab Epiſcopatu huiuſce urbis quem geſſit, vocatum offendimus.

356. Anno MCD. aut circiter Alphonſum noſtrum genitori eiuſdem nominis honeſtæque familiæ Maria de Ribera mater edidit. Grammaticis literis ſtatim atque compos rationis factus, Arevali inter Franciſcanos fratres, philoſophiâ atque theologiâ Salmanticæ inſtructus, adiunxit in eadem ampliſſima Academia canonici ac civilis iuris prudentiam, linguarum Hebraicæ Græcæque notitiam, liberalium ceterarum artium doctrinam. Capaciſſimum quippe omnium ingenium, quòcumque transferres (ut Senecæ utar verbis) idem poterat.

357. Factuſque brevi tempore totius encyclopediæ opum dives, gigantæis veluti paſſibus cæteros omnes eius gymnaſii doctos, atque aliàs antiquiores magiſtros poſt ſe relinquens: & magiſterii pileum vigintiquinque natus annos promeruit, & unus, veluti gerens omnium vices, adeptus fuit, ut ex cathedra memoratas iſtas ferè omnes ſive ſcientias ſive artes publico ſalario (triplici aiunt diſertè alii) ornatus ſimul doceret; geſtientibus omnibus illo uti magiſtro: quem, ut Livium Patavinum è Gadibus uſque olim aliquem, viſuros æquè tunc plerosque doctrinâ claros homines tam noſtrates quàm exteros, Salmanticam veniſſe fama eſt ab æqualibus ad poſteros fidis utique literarum monumentis propagata.

358. Planè inter alia exſtat Ferdinandi Pulgaris, quem ſæculum hoc idem protulit elogium Toſtato dictum, ſobrium quidem ac prudentiæ plenum moderationiſque, ut cetera eiuſdem, Catholicorum Regum Ferdinandi atque Eliſabethæ chronographi, ſimul iam olim edita. In quo gnarus ille humanæ debilitatis, vix audet eo niti, ut contendat Alphonſum noſtrum omnium ſcientiarum perfectam cognitionem conſecutum; credere ſe tamen ait, in artium ac theologiæ, necnon philoſophiæ utriuſque naturalis atque moralis; aſtronomiæ inſuper & aſtrologiæ doctrinâ nuſquam gentium tempore ſuo æqualem habuiſſe.

359. Admiſſus interim ad collegium S. Bartholomæi (*ad Laurum* Poſſevinus addidit, ignoto aliis huiuſce domûs cognomento) quod ante aliquot annos Didacus de Añaja Maldonado vir clariſſimus Hiſpalenſis antiſtes, in eadem academia, virorum undique eminentiſſimorum promtuarium futurum, exſtruxerat: ei aliquando præfuit rector, inter præcipua & ſingularia huius ſodalitii ornamenta nunquam non accenſendus. Cuius quidem viri famæ ut ſecundaret Eugenius IV. Pontifex, canonicatum & Scholaſtriam Salmanticenſis Eccleſiæ, penes quam dignitatem ultimò dictam ius eſt omne academicum, ei contulit: quod ille munus integerrimè rexit & con-

de la ſalutifera Encarnacion. Interpreſne autem an exſcriptor fuerit?... ITEM *Coſmatem de Monte Serrato* Archidiaconum Sancti Laurentii Tarraconenſem, Priorem Sedis Cæſarauguſtanæ, Magiſtrum in Sacra Theologia, Datarium in Palatio Apoſtolico, & Confeſſorem SSmi. Domini noſtri Papæ Callixti III. Epiſcopum Gerundenſem & mox Vicenſem, qui circa annum MCCCCL. collegit ex *antiquiſſimis*, ut ipſe ait, *libris Monaſterii Sancti Laurentii Extra-muros Urbis Romæ, varia ſcripta de Chriſto Ieſu: De Beatiſſima Virgine MARIA: De Sanctis Apoſtolis: De Sancto Ioanne Evangeliſta*, deque aliis. Exſtat hæc collectio in Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit. Q. Plut. III. ſub n.* 15. (T. III. p. 44.).. ITEM *Gundiſalvum de Ocaña* Monachum Hieronymianum ad Sanctæ Maria *de la Siſla* prope Toletum, cuius in Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit.* b. *Plut. II. nn.* 9 & 13. (T. I. p. 199. ſeq.) habetur: *Hiſpanica verſio quatuor librorum, qui inſcribuntur: Dialogi Sancti Gregorii Papæ*, ad preces Illuſtris viri Ferdinandi Perezii de Guzman, cuius in limine codicis exſtat pia ac diſerta Epiſtola ad Gundiſalvum, & huius ad Ferdinandum reſponſum non minus elegans.

constantissimè. At quòd vasti & subtilissimi ingenii viribus eò forsan penetraverit quod aliis arduum & impervium videretur: quorumdam incurrisse dicitur in curia ipsa Papæ Romani censuram: quæ à viris utique non mediocris doctrinæ scriptis etiam confirmata eò usque percussit constantem hactenus de magno literarum coryphæo existimationem: ut iuxta aliquos rerum eius auctores, & necesse habuerit quàm primùm eò sese conferre; & in conspectu huius Ecclesiæ totius compendii, Eugenio priùs difficili, tandemque propitio, nominis sui causam dicere, palamque atque editis scriptis defendere.

360. Venisse tamen eum non ea necessitate ad Pontificem, sed cùm aliàs venisset, in Senarum urbe in qua Eugenius morabatur, thesses quamplures ex theologia ostentationis causâ disputandas proposuisse: quarum aliquæ censuræ priùs dictæ subiacuêre, verosimilius est, & narrationi *Defensorii* libri magis consonum: à quo nec discedit Ioannes Mariana lib. 21. cap. ultimo, & Raynaldus *Annal. Eccles.* tom. 8. ad annum MCDXLIV. [1] Quo quidem anno id existimat contigisse, cùm potiùs proximè præcedenti contigerit, ut postea videbitur; in eo tamen explicatione etiam indigens, quòd Abulensem Episcopum iam eo tempore Tostatum vocat, qui in privato adhuc ordine numerabatur. Planè Ioannem Turrecrematam Hispaniæ civem, & ex ordine S. Dominici assumtum, postea S. R. E. Cardinalem parium inter se doctrinæ ac dignitatis famæque hominem, adversarium inter alios habuit.

[1] Num. 24.

361. Numerantur & alii duo, Anconitanus & Rhegiensis antistites. Anconitanus autem huius temporis Ioannes Cafarellus Romanus [m], Rhegiensisque Guilielmus Logotheta [n] eius urbis civis fuêre. Quibus omnibus & Curiæ integræ approbare is tandem conatus est se quidem subtiliter paradoxeque, nec tamen acatholicè, aut contra perpetuam Ecclesiæ persuasionem, quicquam in publica ista disputatione propugnâsse. Attamen propositiones eius, de quibus statim agemus, acri censione notatas docet antagonista Turrecremata in tractatu super his MS. qui inter Vaticanos libros servatur.

[m] *Ital. Sacræ* tom 1. col. 384.

[n] Eiusdem operis tom. 9. col. 446.

362. E Roma Basileam transiisse, idque anno sæculi quadragesimo, hoc est ante hoc tempus, quod à nonnullis dicitur, vix credimus: nuper dictâ ibi in Concilio Eugenii IV. exauctoratione ac Felicis exaltatione, hoc est, indicto bello in Eugenium: quem, qui Basileensibus communicaret patribus, damnare quodammodo videretur. Quamquam non diffitear eos in præcipuo themate, quo quasi fundamento Eugenio adversantes nitebantur, Alphonsum, ut ex aliquo eius testimonio liquidum est [o], secundantem habuisse. Crederem potiùs Basileam cum aliis Hispanis theologis venire potuisse, indeque Romam circa annum MCDXLIII. ut inde alii, & inter eos Ioannes ipse de Turrecremata, recesserunt.

[o] Part. 2. Defensorii.

363. Est & qui è publicis monumentis Tarraconensis Scalæ-Dei monasterii Carthusianorum confirmare velit [p], in Hispaniam reversum ac strictioris vivendi normæ desiderio tactum in ea domo sese Carthusianis sodalem dedisse; tribus tamen ferè elapsis mensibus huic instituto renuntiare opus habuisse ut regiis expostulationibus, nec minùs publicorum negotiorum quibus sese subtraxerat necessitati, obsequeretur. Ascitus enim fuerat à Ioanne Rege in consilium suum, maiorque cancellarius, & Abbas Pincianæ collegiatæ Ecclesiæ dictus.

[p] (D. Iosef.) Valls in libro vulgaris lingua (*Fundaciones de las Cartujas de España*. Matriti edit. 1663) (t).

364. Tandem, ne pontificali dignitati vis quodammodo iniuriaque ultrà fieri videretur: idem Eugenius Pontifex rogatu Ioannis Regis Abulensis urbis antistitem Alphonsum Tostatum in locum Alphonsi Fonsecæ ad Hispalensem Ecclesiam translati, anno MCDXLIX. renuntiavit. Quo munere per sexenium piissimè atque integerrimè functus, naturæ tandem concessit in oppido suæ diœcesis *Bonilla de la Sierra* dicto, III. die Septembris MCDLV. ætatis suæ anno LV. cùm ante aliquot menses publicis novi Regis Henrici huius nominis IV. coronationis comitiis interfuisset [q]. In quo quidem assignando ætatis anno, nimis à vero abeunt qui quadragenarium eum obiisse aiunt [r].

[q] *Hist. Reg. Ioannis II.* hunc annum.

[r] Bellarmin. Labbeus, Pollvinus.

365. Statura fuit mediocri (Pulgaris ait iam laudatus) crasso quidem corpore, sed aptè

(1) Huius Scriptoris locum describit D. Iosephus de Roxas & Contreras Marchio de Alvéntos in Historia Collegii Sancti Bartholomæi Salmanticensis nuper Matriti edita tribus vol. fol. *Part. II. pag.* 18. nimirum: *Que á* 16. *de Enero del año* 1444. *vispera de San Antonio Abad tomó el habito de novicio en el Monasterio de Scala-Dei* (*que es uno de los que tiene la Religion de la Cartuja en el Principado de Cataluña:::*) *y que permaneció en él asta el dia* 15. *de Abril, tercero de Pasqua de Resurreccion, en que le fue preciso dejarlo, por haber sido requerido de su Rey, y de la Republica Christiana por los graves negocios que trataba: que salió de la Religion con harto dolor suyo y de los Padres.* &c. Videnda. tamen de Alfonsi Madrigalii Monachatu idem *D. Roxas & Contreras* in eadem Historia *P. II. pag.* 20. *fin. & init. seq.*

[s] Vide præfationem collegii ipsius S. Bartholomæi ad *Commentum Eusebianum* Tostati.

[t] Referunt Ioannes de Guzman in *Rhetorica*, Vergara in *Hist. collegii S. Bartholomæi* pag. 89. Ægid. Gonzalez in *Theatro Eccl. Abulensis.*

aptè formato, grandi capite robustoque, hoc est, virili vultu, eoque breviori collo subnixo. Quibus autem viribus ingenii memoriæque ad pertingendum literarum omnium apicem, nomenque suum in eminenti quodam loco, quo quidem eniti datum fuit pauciissimis, collocandum acceserit perpetuoque usus fuerit: monumenta ipsa ab eo relicta immensæ molis, neque imparis doctrinæ, clamant. Quæ quidem si annorum quinquaginta quinque quos vixit, diebus componas, nisi fallit curiosorum hominum [s], qui iam olim supputaverunt calculus: singulis eorum dierum tria non minùs expansæ chartæ folia Tostatum exaravisse integra oportet; sive, ut adstrictiùs dicam ferè quinque aut sex omnino, pueritiæ si demas adolescentiæque planè discendi, non docendi aut scribendi, annos, stupendo ad posterorum omnium sive documentum sive æmulationem exemplo.

366. Memoriâ item viguit felicitatis tenacitatisque vix credendæ, adeò ut quæcumque semel etiam legisset, veluti è fidelissimo depositо statim & quandocumque reddiderit. Mira prorsus res traditur Gundisalvi de Aiora Catholicorum Regum historici fide confirmata [t], Bononiæ eum libri cuiusdam usum, ut legeret quin tamen exscriberet à possessore adeptum: legisse quidem illum semel atque iterum eâ animi contentione, ut domum veniens facilè integrum è memoriæ penu depromtum schedis commiserit. Quo quidem Charmidam illum apud Plinium lib. 7. c. 24. laudatum ex æquo provocari, quis non videt? Recensentur alia eiusdem documenta rei cum Cyri, Cinnæque, Scipionis, aut Mithridatis, quorum idem recordatur ibidem auctor, conferenda. Huiusque non ultimum amplissimæ indicium est eius memoriæ, quòd in sic vasta librorum ab eo relictorum mole nîl contradictorium, aut, in quo à se ipse abierit, reperiatur: quod in præfatione ad Eusebianum eiusdem commentum sodales Bartholomæani collegii admonent. Alia notavit Bovosius statim laudandus.

367. Et hac tanta opus quidem ei fuit memoria, ut tot libris sic doctè copioseque de tot gravissimis, tam sacrarum quàm profanarum rerum atque historiarum quæstionibus à se subtiliter inventis, acutissimè atque nervosissimè tractatis, cumque admiranda soliditate & perspicuitate resolutis: unus homo tan immaturè rapiendus disputare posset. Hac tanta, inquam, opus ei fuit memoria ut de re quacumque disputare posset, Gorgiæ illius rhetoris exemplo, qui se in auditoriis (si fides aliqua est antiquitatis) qua quisque de re vellet interrogari permittebat [u], locumque dare, ut de se prædicaretur:

Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne,

Atque item *admirabilem theologum, universalemque scientiarum Oceanum* ab aliquo magnæ doctrinæ viro, *scriptorum mole, cognitione antiquitatis, multiplici eruditione ad miraculum clarum*, à Ioanne Mariana [x]: *virum multiscium, cuius numerosa & variis de rebus, tùm sacris tùm profanis, edita volumina Didymo illi Alexandrino parem faciunt*, ab Alvaro Gomezio [y], ab aliis aliter audire.

[u] Quintilianus lib. 2 *Institut. orat.* cap. ultimo.

[x] Lib. 21. c. ult.

[y] Lib. 5. *De rebus gestis Francisci Ximenii Cardinalis.*

368. Prætermitti neutiquam debet Alphonsi Garsiæ Matamori elogium, qui *ex tam infinita doctorum hominum* (ait) *multitudine, quantam hæc ætas habuit, nemo citra controversiam ad Alphonsi Tostati Episcopi Abulensis laudem aspiravit: cui si alio, quàm suo sæculo, vivere contigisset, neque Hippone Augustinum, neque Stridone Hieronymum, nec alium quempiam ex illis proceribus Ecclesiæ antiquis nunc invideremus. Excellentis vir ingenii fuit, & admirandæ memoriæ, divinæ etiam sapientiæ, & antiquitatis peritissimus: dignus fortasse qui post quatuor Ecclesiæ doctores cum Isidoro & Thoma de quinto loco certaret. Quòd si purior quædam splendidiorque consuetudo loquendi suis temporibus fuisset, non dubito quin posteriores omnes in sui admirationem esset conversurus.* Hæc ille in *Apologetico* ad rem dignissimè. Raynerii Bovosii canonici regularis elogium, de quo infrà dicemus, lectu non minùs dignum est.

369. Sed iam ad scripta, quæ quidem asservata olim in monasterio Hieronymianorum S. Mariæ *de Guadalupe*, & in Salmantino gymnasio MSS. uti Ferdinandus Pulgaris refert, nos hìc recensebimus ex editione Veneta anni MDCXV. apud Ambrosium Dei, quæ viginti quatuor voluminibus, industriâ Paulini Berti Lucensis, ordinis eremitarum S. Augustini congregationis Lombardiæ, *vetustissimo* (ut ait) *originali configurata, ac tribus indicibus insignita, scilicet quæstionum, conceptuum ad prædicatorum usum, & sententiarum sacræ Scripturæ ab auctore expositarum*, Latina omnia nostri opera hactenus edita comprehendit. Quibus præmittitur Raynerii Bovosii canonici regularis congregationis S. Salvatoris de auctore atque eius editione ad lectorem præfatio. Sequuntur opera:

370. I. Tomus. *Commentaria in Genesin.* Quibus præit *Commentarius in epistolam sancti Hieronymi ad Paulinum*, qui *prologus* audit *Galeatus*; & *in præfationem* eiusdem *in Pentateuchum.*

II. *In Exodum.* Duabus partibus.
III. *In Leviticum.*
IV. & V. *In Numeros.* Duabus partibus.
VI. *In Deuteronomium.*
VII. & VIII. *Super Iosue.* Duabus partibus.
IX. *Super Iudices & Ruth.*
X. *Super primum librum Regum.* Duabus partibus.
XI. *Super 2. & 3. Regum.*
XII. *Super quartum Regum.*
XIII. *Super primum Paralipomenôn,*
XIV. *Super secundum Paralipomenôn.*

371. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI, hoc est septem non minùs volumina, in *Euangelium Matthæi*: quorum sextum anno MCDXLVI. absolvit, septimum MCDXLIX. Interest enim vel minuta de viris summis hæc notari. Quæ sunt omnes ferè historiales libri veteris Testamenti; & copiosissima novi ab Evangelista Matthæo scripta historia: quos quidem ad literam (ut aiunt) relinquens, aliis moralia explanare conatus fuit.

372. XXII. Tomus continet opuscula, quæ hactenus edita sunt, nempe:

1. *Defensorium trium propositionum*, quod emisit anno MCDXLIII. videlicet Senis in Curia Eugenii IV. coram magna prælatorum, & eruditissimorum virorum frequentia, viginti & unam conclusiones à se propositas publicè, uti antea diximus, per biduum defendit: quarum quatuor parum sanæ quibusdam visæ sunt. Exstat quidem in bibliotheca Vaticana [z] *Ioannis à Turrecremata tractatus, in quo ponuntur impugnationes quarundam propositionum, quas quidam magister in theologia, nominatus Alphonsus de Matricali posuit & asseruit in disputatione publica in Romana Curia* XXI. *die Iunii anni MCDXLIII.* Propositiones sunt, 1.° *In nullo anno ætatis Christi eum mortuum dicere possumus, nisi quando incœperit temporis sui annus tricesimus tertius.* II. *Quòd die Annuntiationis Virginis, scilicet* XXV. *Martii, ut communiter asseritur, Christum passum fuisse dici non potest; sed die tertio Aprilis eum mortuum fuisse dici necesse est.* III. *Nullum peccatum, cuiuscumque conditionis, & pro quocumque statu irremissibile esse.* IV. *Quòd à pœna & à culpa Deus non absolvit.* V. *Quòd neque aliquis sacerdos absolvere potest.*

[z] Cod. 5606. Mss.

373. Harum tribus ultimis adversus impugnatorem vindicandis *Defensorii* sui priorem partem, quæ Guterio Toletano huius urbis præsuli, duabus primis, posteriorem, quæ Ioanni Carvaxalio Cardinali S. Angeli directa est, addixit. Censoriâ quidem notâ eas tunc confixas fuisse, scilicet duas de Christi mortis die, ut temerarias & scandalosas; tres autem reliquas de absolutione peccatorum, uti falsas, erroneas, & hæreticas, in iudicio trium Cardinalium & aliorum egregiorum, & in utroque iure divino & humano clarissimorum doctorum, Ioannes Turrecremata in fine tractatus sui refert. Nihilominus tamen *Defensorium* suum Tostatus huic promulgatæ iam sententiæ intrepidè opposuisse videtur. Neque tamen sine assertoribus & vindicibus viris nostro & superiori seculo rerum mathematicarum doctissimis [a] Alphonsi ea opinio de die mortis Christi, cuius primus ille fuit auctor, derivavit ad posteros. Et sanè ex hoc fonte, & Pauli Burgensis *in Matthæum apostillis* (Gerardus Ioannes Vossius ait [b]) *Iuniores ferè hortos suos irrigârunt, ut qui vix adferant quod non apud duos illos legerint, vel eos qui hos exscripserant.*

[a] Ioannes Luicidus *De emendat. temp. in opusc. De diu Passionis Christi* cap. 9. Pires laudat Riciolus *Almagesti* part. 1. lib. 5. cap. 18. §. 5. Lo vera *De invitâ verit. anni, mensis, & diei Passionis Christi* pag. 51. Mariana in *opusc. De anno & die mortis Christi* cap. 10. Baronium vide ad annum Christi XXXIV. n. 113.
[b] *De tempore Domin. Passionis* §. 8.

374. Neque etiam absque rationis ulla specie is dixisse videtur, quamvis nullum peccatum irremissibile sit, hoc est ex sua natura, ab eo tamen nec Deum, nec sacerdotem absolvere, sed à reatu illius dumtaxat. Culpa enim durat dum committitur; commissa transit, nec iam est quod absolvatur, quum pœnitentia intervenit. Item nec à pœna Deum aut sacerdotem absolvere aiebat; quia pœna non est propriè vinculum, quod absolutum dici possit; obligatur enim homo ad pœnam, necesseque est differre obligationem ab eo, ad quod est homo obligatus. Quæ quidem paradoxè ac rigoroso verborum atque scholastico usu, & ut ingenii vires exereret, credidit Alphonsus verè dici; adversarius verò Ioannes tamquam novè, & adversus communem sacrarum Scripturarum ac theologorum veterum phrasin usurpata, sensu alio reprobavit.

375. II. *Liber de quinque figuratis paradoxis.* Habeo editionem huius operis Venetam Ioannis & Gregorii de Gregoriis anni MDVIII. quæ in fine directionem habet *ad glorioſissimum Cæsarem, & magnificum triumphatorem semper Augustum illustrissimum Castellæ ac Legionis Regem*, &c. Ioannem II. scilicet. Incipit: *Humillimus vassallus*, &c. Cum *epistola nuncupatoria* Benedicti Binni Veneti *Francisco Simanesio Cardinali.* Hic est Franciscus Ximenez Toletanus antistes (1).

III. *De*

(1) Exstat *Hispanicè* translatus in Bibliotheca Escurialensi *Lit.* A. *Plut. IV. num.* 3. (T. I. p. 127.) in cuius versionis fine: *A la mui esclarecida & glorioſa Señora mui magnifica & poderoſa Reina de Castilla & de Leon* (Mariam videlicet Ioannis II. uxorem): *Del menor de sus vasallos Alfonso de Madrigal Maestro en Artes & Bachiller en Theologia: De las cinco figuratas Paradoxas un breve Tratado, con felicidâ se concluye.*

III. *De sanctissima Trinitate.* Incipit: *Iuxta conditionem temporis vernalis.* Est penes me MS.

IV. *Libellus super* Ecce virgo concipiet, &c. *Isaiæ cap. 7.* Incipit: *Hoc mihi propositi*, &c. apud me MS.

V. *Libellus contra sacerdotes publicos concubinarios.*

VI. *Libellus de statu animarum post mortem* (1). Editus aliàs cum Barthol. Sibyllæ & Ioannis Trithemii *De Deo & intelligentiis*, Antuerpiæ apud Belleros MDCXXI. in 8.°

VII. *Libellus de optima politia.* Ms. codex noster, qui aliqua è superioribus continet, hoc opus sic inscriptum habet: *Amœnissimi ingenii, omniumque disciplinarum laude, & humanarum rerum usu ac consilio instructissimi, D. Alphonsi Episcopi Abulensis. Repetitio De optima politia.* Incipit *Nuper cùm valdè adolescentibus*, &c.

376. XXIII. Tomus. *Index rerum est præcipuarum, quæ in commentariis ac operibus omnibus Alphonsi Tostati*, &c. *continentur, auctore Francisco Fontano sacræ theologiæ magistro, per R. D. Raynerium Bovosium canonicum Regularem restitutus, nunc tandem per Paulinum Berti*, &c. *à mendis expurgatus & auctus.* Hic est Franciscus de la Fuente Ellenerensis, Complutensis Ecclesiæ canonicus, qui suum hunc indicem Carolo V. Imperatori dedicavit, editum Pinciæ à Ioanne de Villaquiràn MDXLVII. in folio duobus tomis, ut in altera bibliothecæ huius parte diximus.

377. XXIV. *Index conceptuum ad prædicatorum usum in totum anni cursum ex eiusdem operibus desumtus per eundem Paulinum Berti.* Item: *Index quæstionum ex omnibus dictis operibus ab eodem Berti confectus; & Index tertius auctoritatum sacræ Scripturæ, quas idem in suis commentariis obiter exponit.*

378. His XXIV. voluminibus comprehensa sunt in hac editione opera omnia Alphonsi Latina, quæ reperiri potuerunt. Sed princeps editio eorum, quæ in sacræ Scripturæ libros historicos commentaria sunt, Venetiis facta est à Gregorio de Gregoriis tredecim voluminibus anno MDVII. si non fallit Gesnerus, ut ex eius constat epitome: sumtus videlicet præbente magno illo Toletano præsule & S. R. E. Cardinali Francisco Ximenio de Cisneros [c]: cuius an eximiæ sanctitati, an auctoris meritis tribuere debeamus patratum non obscurè

[c] Constat id ex epist. dedicatoria Benedicti Binni Veneti ad editionem *Quæstionum paradoxarum* ann. MDCVIII. de qua nos suprà.

Biblioth. vet. Hisp. Tom. II.

(1) Huc refer Isidori Hispalensis librum: *De ordine creaturarum*, quode Noster in priore volumine *Lib. V.* cap. IV. *num.* 170. nosque ibidem in Notis *pag.* 355.

in manuscriptis codicibus miraculum, cùm in Italiam navi ad editores iterum divulgandi perveherentur, ambigua res prorsus est.

379. Quassata navi, vectorum substantia omnis periit, unàque arca doctissimarum lucubrationum custos, Alphonsi Poli Conchensis canonici curæ commissa, qui cum ceteris ad Provinciæ litus prope oppidum *Matalòn* thesauro illo spoliatus ægrè evasit. Proximo autem mane coram innumeris unica præteriti naufragii præda ex alto ad litus arca eiecta fuit; salvumque in ea quicquid Alphonsus tot vigiliis elucubraverat, quicquid tot hominum doctorum ardentissimis exspectabatur votis, paulò pòst publicandum. Cuius rei examen factum Romæ apud Auditorem Cameræ anno MDXXV. sedecim non minus rogatis testibus qui rem vidêre, publicoque instrumento consignatum in tabulario Bartholomæani collegii Salmanticensis urbis asservatur [d]. Quin verò eventum hunc primæ ac secundæ attribuamus editionis tempori, eò cogit nos viginti ferè annorum intervallum inter priorem illam anni MDVII. editionem, & sumtum Romæ eo, quod nuper diximus, de recuperata è mari librorum arca testimonium: quod ceteri de hoc scribentes non animadvertunt.

[d] Ægidius Gonzalez Davila in *Theat. Eccl. Abulensis*, & *Alphonsi vitâ* pag. 92.

380. Huius quidem alterius editionis Caroli V. auspiciis ac iussu Venetiis nuper (ut ait) factæ, meminit Franciscus Fontanus in nuncupatoria indicis ad eum epistola circa annum MDXLVII. quo is liber prodiit, scripta; in quo tamen auctore obscurum mihi est, quòd alibi dixerit, se indicem istum ad exemplar eorum quæ Venetiis semel tantùm excusa fuerant, accommodâsse. In hac etenim urbe, tam prima illa anni MDVII. quàm secunda Carolina hæc, factæ sunt. Quæ quidem urbs & tertiùm edidit apud Sessas anno MDXCVI. qua editione XXVII. tomis distinctâ usum se, cùm historicæ *De Scriptoribus Ecclesiasticis* dissertationi navaret operam Philippus Labbeus testatur. Colonienſem quartam anni MDCXIII. ex officina Ioannis Gymnici prodiisse novimus: quam tomis tredecim comprehensam nostra Veneta, cuius ordini adhæsimus, anni MDCXV. secuta est. Audio tamen eorum operum quædam Antuerpiæ MDLI. atque item Hispali & Salmanticæ recocta fuisse [e].

[e] Idem Gonzalez in *Theat. Abulensis Eccl.*

381. Prodiit quoque in publicam hominum lucem eiusdem Alphonsi opus Hi-

ſpanum præcipuæ celebritatis, quod inſcribitur:

Commentario ſobre Euſebio, ſive in eius Chronicon, quinque voluminibus Salmanticæ per Hans Giſſer MDVI. in folio, expenſis eiuſdem Franciſci Ximenii Toletani præſulis. Simulque

382. *Tratado de los Dioſes de la gentilidad; ò Las catorze quæſtiones.* Quæ iterum Burgis prodiêre anno MDXLV. in folio, curâ Ludovici Ortiz computatoris tormentariæ rei Caroli V. Cæſaris, Petro Ferdinandi à Velaſco Caſtellæ Comeſtabili dicata; necnon & Antuerpiæ apud Martinum Nutium anno MDLI. in 8.° Quibus quatuordecim Quæſtionibus comprehenduntur quatuor illæ à Guterio Toletano (*de Toledo*), Palentino Epiſcopo, auctori propoſitæ. I. ſcilicet: *Cur tam frequenter Scriptores ſacri, tum Ioannis Baptiſtæ, tum Apoſtolorum; Deiparæ autem Virginis ſic rarò meminerint.* II. *Cur Deus Moyſi præceperit ut faceret tabulas lapideas duas, quibus inſcriberetur lex, nulla artificii curâ; vaſa autem omnia & inſtrumenta tabernaculi non niſi artificioſiſſimè à Beſeleel, & Oliab, & aliis conficienda eidem iniunxerit.* III. *Vitane contemplativa an activa, fructuoſa magis ac meritoria ſit.* IV. *Naturalis an moralis philoſophia utilior ſit.* Quæſtiones autem decem, quæ ſequuntur, ferè de diis gentium agunt: nempe V. *De Apolline.* VI. *De Neptuno.* VII. *De Luna.* VIII. *De Narciſſo.* IX. *De Venere.* X. *De vitæ humanæ ætatibus.* XI. *De quatuor virtutibus moralibus quas cardinales appellamus, ac de earum dignitate & præcellentia.* XII. *Quòd poetis frequens fuerit Dei alicuius aut Deæ nominibus res naturales ſignificare.* XIII. *De Minerva.* XIV. *De Cupidine* (1).

383. *Confeſſional, en el qual deſpues de haver tratado de todos los pecados, pone en fin los caſos al Obiſpo y ſumo Pontifice pertenecientes.* Lucronii apud Michaelem de Eguia MDXXIX. in 4.° iterumque alibi anno MDXLV. in 8.° opus nuncupatum ab auctore Mariæ Reginæ Ioannis Regis II. uxori (2).

384. Neſcimus autem an diverſum opus ſit id quod in quadam catalogo librorum ampliſſimæ & manuſcriptis ditiſſimæ bibliothecæ invenimus ſub hac inſcriptione laudatum: *Suma de caſos de conciencia de Alfonſo de Madrigal.*

385. *Artes y inſtruccion para todo fiel Chriſtiano como ha de dezir Miſſa, y ſu valor.* Cæſaraugustæ MDIII. in 4.° Diverſus ab hoc videtur

386. *Reſpueſta à una peticion del Conde Don Alvaro de Zuñiga ſobre la expoſicion de la Miſſa, y como el Chriſtiano hà de eſtar en la Igleſia à oir los divinos oficios.* Cuius editionem anno MDCXVII. Salmanticæ ſeſe procurâſſe ait Ægidius Gonzalez Davila.

387. *Breve obra de los fechos de Medea.* Quod auctor ipſe laudat in principio *Quæſtionis* octavæ libri 14. *Quæſtionum.*

388. *Tratado que fizo el muy ſciente maeſtro en ſanta theologia el Toſtado, Obiſpo de Avila, eſtando en el eſtudio: por el qual prueva como al home es neceſſario amar.* Exſtat ſic inſcriptus in bibliotheca regia Eſcorialenſi manu exaratus (3); atque item in Colonæa Hiſpalenſis almæ Eccleſiæ, ut ab eius bibliothecario D. Ioanne de Loaiſa accepimus. (4).

CA-

(1) Item Salmanticæ 1509. In Bibliotheca Comitis olim Ducis Olivarienſis *T. I. lit. T. pag.* 148. *Toſtado: Sobre la Chronica de Euſebio, y las Queſtiones de los Dioſes: dos tomos en folio. Salamanca* 1509. *E.* 1. 2... Commentarii in Euſebium quinque elegantiſſima membranacea volumina MS. in fol. vidimus ante hoc triennium in Bibliotheca Illuſtriſſimi Doctiſſimique Pace Iulienſis (Béja) in Luſitania Tranſtagana Præſulis Domini Emmanuelis à Cœnaculo è Minorum quos Tertii Ordinis vocant Inſtituto, numquam à nobis abſque elogio gratique animi ſignificatione nominandi.

(2) Exſtat in Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit. a. Plut. IV. n.* 4. & repetitum n. 5. (T. I. p. 129.)

(3) Hoc idem opus eſſe olim coniiciebam cum eo quod in Eſcurialenſis Bibliothecæ codice *Lit. h. Plut. II. n.* 15. (T. II. p. 85.) inſcribitur: *Breviloquio de amor y amicitia ſobre un dicho de Platon*; in cuius fine legitur: *Al mui glorioſo Ceſar & magnifico & vencedor ſiempre Auguſto mui eſclarecido Rey de Caſtilla & Leon mui poderoſo Principe* (Joannem ſcilicet II ut exiſtimo): *del menor de todos ſus ſiervos Alfonſo de Madrigal Maeſtro en Artes*; *Breviloquio de amor & amicitia ſobre un Breve dicho Platonico algun tanto reſpondiente.* Verum in proxime ſequenti nota atque ſcriptorum Alfonſi elencho, ut diverſa, diverſiſque titulis inſcribuntur nn. ſcilicet II. & XXIII.

(4) D. Joſephus de Roxas & Contreras *Hiſt. Coll. S. Barth. Salmant. Part. I. pag.* 122. ineditorum omnium Alfonſi Madrigalii operum catalogum exhibet nimirum. I. *Sobre los fechos de Medea..* II. *Que al home es neceſſario amar..* III. *Alegaciones del Teſtamento Viejo..* IV. *De las cinco Leyes Chriſtiana, de Naturaleza, de Moyſen, Gentilica y de Mahoma..* V. *Del origen y diſtincion de las Juriſdicciones..* VI. *De præſcriptionibus..* VII. *De poteſtate Papæ..* VIII. *De la reformacion de la Igleſia..* IX. *De Indulgentiis..* X. *De muger Sarracena convertida á la Ley de Moyſen..* XI. *De deſcriptione Terræ Sanctæ..* XII. *De errore & benedictione Iſaac..* XIII. *Sermones del tiempo..* XIV. *Sermones de Ferias de Quareſma..* XV. *Sermones de Santos..* XVI. *De Conciliis generalibus..* XVII. *De Monarchia.* XVIII. *Del error del Kalendario..* XIX. *Contra los errores del Alcoran..* XX. *Sobre la Epiſtola de San Pablo á los Hebreos, que no eſtà acabada..* XXI. *Sobre caza..* XXII. *Su-*

CAPUT VIII.

De ALPHONSO DE S. MARIA, *ſive* DE CARTAGENA, *Burgenſi Epiſcopo, Pauli Epiſcopi etiam Burgenſis filio. Eius magnæ virtutes atque dignitas in Concilio Baſileenſi ſatis perſpectæ, mireque laudatæ. Eiuſdem legationes & ſcripta*, (ſuper) *controverſia præcedentiæ inter Angliæ & Caſtellæ Regum Oratores; & ſuper inſularum Fortunatarum dominio inter Caſtellæ & Portugalliæ. Diverſa olim opinio de non repellendis ab honore & dignitate ulla è Iudaiſmo converſis. De* IOANNE DE MENA *Cordubenſi, poeta & regio Ioannis II. Caſtellæ Regis hiſtorico, & eius carminibus. De* IACOBO DE S. IOANNE, FERDINANDO PETRI DE GUZMAN *Ioannis eiuſdem Regis II. chronographo, &* ALPHONSO (imo *Petro*) CARRILLO DE ALBORNOZ. *De* ALPHONSO *item Aragoniæ & utriuſque Siciliæ magno Rege, eiuſque in literas & literatos amore. De* BERNARDO DE MONTESA *Carmelitarum ſodali, ac* BERNARDO *altero Ciſtercienſi monacho*: CALLISTO *Papa III. &* DIDACO DE COMONTES.

389. ALTER, poſt nunquam ſatis laudatum Abulenſem Epiſcopum, ALPHONSUS huic loco ſiſtendum ſe offert, utpote decem tantùm ab obitu Toſtati menſibus fato functus. Pauli Burgenſis Epiſcopi ex legitima coniuge filius, DE SANCTA MARIA, atque etiam GARSIAS DE S. MARIA, ac DE CARTAGENA, cognominatus, Burgenſis & idem quoque præſul; nec ipſe minor exiſtimatione huius ſæculi Alphonſo Abulenſi, ſi virtus & animi robur, necnon inſignis Eccleſiaſticæ & publicæ rei utilis doctrinæ, ſimulque prudentiæ atque facundiæ dotes conſiderentur. Quibus, dum viveret, Hiſpaniarum omnia regna, Germaniæ nationes, atque ipſam ſummi Eccleſiæ Sacerdotis aulam, ſive fama, ſive coràm præceptis, cum ſingulari quadam nec facilè aliis communi famæ celebritate complevit.

390. Natus hic, uti creditur, anno ſuperioris ſæculi ſexto ſupra nonageſimum, & ſub diſciplina magni parentis ad ſacram tempore ſuo ineundam vitæ rationem educatus, integerrimis & graviſſimis moribus, quos vultus ipſe ac ſtatus decore & honeſtate pleni commendabant, eximiam iuris utriuſque prudentiam, naturaliſque totius philoſophiæ cognitionem, veluti monogrammæ ac lineari picturæ colores, adiunxit. Decanum ille tunc gerebat Compoſtellanæ Eccleſiæ (addunt & Segovienſis), cumque Portugalliæ Rege Ioanne, anno ſcilicet XXIII. Ioannis Caſtellæ Regis ſui nomine pacem pepigerat: cùm idem Ioannes Caſtellæ Rex ſecundus Hiſpanam pro dignitate rei ad Baſileenſem Œcumenicam Synodum legationem adornaturus (quæ Synodus anno MCDXXXI. & aliquot ſequentibus, favente olim Eugenio Papa, mox ab eo diris devota, perduravit): Alphonſum eò noſtrum [f], unà cum Alvaro de Oſorna Conchenſi antiſtite, & Ioanne de Sylva Cifontano Comite, deſtinavit. Quo in loco & munere nactus is idoneum & apertum explicandæ ſuæ virtutis campum, mira res quantum honoris & plauſus ab omnibus eiuſdem Concilii patribus & confeſſu integro reportaverit.

[f] Garibay lib. 56. cap. 23.

391. Cuius rei quia egregium ſatis præſentemque geſtis omnibus habemus teſtem, Æneam nempe Sylvium, qui Pius aliquando II. Papa fuit creatus: ex eius *Commentariis* de hoc Concilio ea quæ ad propoſitum ſpectant, quòd liber ille non adeò vulgaris eſt, ſive quia præſtat omnia ſimul haberi quæ vir laudatiſſimus de viro laudari digniſſimo conſignavit ſcriptis ſuis, deſumemus. Libro I. ait ex Hiſpanis unum Epiſcopum Conchenſem, cùm inchoaretur Concilium, præſentem adfuiſſe; *nondum enim deliciæ Hiſpaniarum* (inſit) *Burgenſis ex legatione ad Cæſarem erat reverſus.* Unde liquet medio iſto tempore poſtquam ex Hiſpaniis fuerat profectus, Burgenſis eum Eccleſiæ infulis per renuntiationem (quod ſuo loco diximus) Pauli patris ornatum fuiſſe. Nam paulò pòſt Æneas de congreſſu quodam inter patres habito, *plurima etiam* (ait) *prælatorum decus Burgenſis Epiſcopus, atque Eleemoſynarius Regis Aragonum* (alius à noſtro hic eſt) *non minùs eloquentiâ quàm doctrinâ præclarus, diſputavere.* Deinde ad quæſtionem de ſuperioritate Papæ aut Concilii multa illum reſpondiſſe *ſic doctè atque verificè: ut omnes ab eius ore avidè dependerent, iam non* (*ut in aliis fit*) *orationis finem, ſed longam continuationem deſiderantes, ipſumque unicum eſſe ſcientiæ ſpeculum prædicadeque accipitrum morbis eorumque remediis*, cauſam dediſſe potuit aculeatum Alvari de Luna Magiſtri Sancti Iacobi & Caſtellæ Comeſtabilis, apud Ioannem Caſtellæ Regem in Alfonſum Madrigalium dictum: quod légeſis apud eumdem D. Roxas & Contreras *Part. I. p.* 119.

Suma de caſos de conciencia.. XXIII. *De amor y amiſtad..* XXIV. *Carta á un Señor de la Caſa de Alva, conſolatoria é inſtructiva..* XXV. *Brevis formula confeſſionum* (*ſeu* Confeſſionale).. XXVI. *De æternitate.* Ei autem quod num. XXI. inſcribitur: *Sobre caza*, id eſt *De venatione*, ſive ut ego interpretor: *De re accipitraria*;

carent. Sequuntur alia minus ad rem pertinentia. Loco autem alio : *Primus igitur Burgenſis Epiſcopus inter omnes conſilio & facundiâ præſtans, differri concluſionem* &c. ſuadebat. Et mox: *Inſtabat magnopere Burgenſis Epiſcopus, ut ſi poſſet, inter diſcordes patres concordiam ſereret, & qua ipſe ſibi perpetuò fruitur, elargiri pacem aliis ſatagebat*. Conſtat autem ex primo iſto, quem laudamus *Commentariorum* libro, Hiſpaniæ omnes præſules, quum de exauctorando Eugenio actum fuit, à ſeſſione abfuiſſe. Nec ulla ulterior in Concilii geſtis apud Æneam Alphonſi mentio.

392. Carthaginenſem quoque fuiſſe eum Epiſcopum, neſcio unde eliciunt qui hunc fuiſſe prætermiſſum in huius Eccleſiæ præſulum albo, Ægidio Gundiſalvi Davilæ, & Franciſco Caſcalio *Murcianarum rerum* hiſtorico, confundentes hunc cum Paulo genitore, culpæ vertunt. Ferdinandus enim Pulgarius in elogio altùm tacet de hoc munere.

393. Oportet autem, uti diximus, ſi Compoſtellanus erat decanus cùm Baſileam fuit deſtinatus, & ab Eugenio IV. Papa creatus fuit Romæ Burgenſis Epiſcopus (quæ duo Pulgarius diſertè docet), in eius tranſitu per Romanam curiam Baſileam aut Germaniam verſus id contigiſſe; cùm intra breve tempus cùm in Concilium veniſſet, Burgenſis iam ab Ænea Sylvio appelletur Epiſcopus. Porrò eam vel adhuc abſentis opinionem Eugenium concepiſſe noſtri auctores referunt[g]: ut cùm certior factus fuiſſet brevi eum in curiam venturum, coram ſacro Cardinalium ſenatu, ſe præſente Alphonſo, in Petri cathedra non ſine verecundia ſeſſurum ingenuè ac modeſtè pronuntiaverit.

[g] Garibay lib. 17. c. 4. Ægidius Gonzalez in *Theatro Eccleſ. Burgenſis*. Ioannes Mariana lib. 21. c. 6.

394. Dicitur quoque Alphonſus noſter publico nomine, ſive Ioannis Regis, ſive Concilii ipſius Baſileenſis, Albertum II, Auſtriacum Imperatorem & Ladiſlaum Poloniæ Regem ſuper Bohemiæ regno diſſidentes conciliâſſe: quod quidem poſt è Baſilea diſceſſum circa annum MCDXXXVIII. ſequentemve, quo tempore Albertus imperavit, oportet factum.

395. Multis Pulgarius celebrat Alphonſi virtutes, mentis atque corporis æqualem munditiam, animi demiſſionem, temporalium abſtinentiam, muneris ſui geſtionem ad unguem exacti, & inſignem piarum erogationum munificentiam. Alphonſus item Palentinus in geſtis Hiſpanienſibus ſuorum dierum, ſive *Annalibus* adhuc MSS. gravitate honeſtateque inſignem virum ac doctrinâ ſingularem prædicat. Opera autem nobis hæc reliquit, quorum non minùs quàm rectè & laudabiliter geſtorum auctoramento, poſteritati ſe commendavit. Aliquot autem eorum lucem viderunt; cetera remanſiſſe Burgis in capella, in qua tumulatus fuit, Pulgarius refert.

396. *Anacephalæôſis nempe Regum Hiſpanorum, Romanorum Imperatorum, Summorum Pontificum; necnon Regum Francorum* (ad Burgenſe capitulum, ut ex præfatione colligitur, quâ innuitur etiam, quâ formâ voluerit auctor hanc recapitulationem ſeu arborem hiſtoriâ expoſitum chartis conſignari) ex illa nempe maioris operæ, quam Ioanni nuper defuncto Regi nuncupatam olim obtulerat, ad maiorem brevitatem redacta; & ab Athanarico Gothorum Rege uſque ad Henrici Caſtellæ Regis IV. initium, ſive ad ultimum uſque Februarii diem anni MCDLVI. quod in fine ait continuata. Hanc primùm in lucem emiſit Xantus, ſeu Sancius Nebriſſenſis Antonii filius, unà cum Roderici Ximenii Toletani (&) Ioannis Gerundenſis antiſtitum, eiuſdemque Antonii Nebriſſenſis Catholicorum Regum hiſtoriis, Granatæ anno MDXLV. in folio. Unde iterum commiſſa fuit *Hiſpaniæ illuſtratæ* corpori ab Andrea Schoto. Sub *Genealogiæ Regum Hiſpanorum* titulo laudat hunc commentarium Didacus Roderici de Almela in *Valerio ſuo hiſtoriarum* lib. 8. tit. 6. cap. 9. Attamen *Anacephalæôſis* titulum præfefert codex antiquus, qui apud Olivarenſem comitem fuit manu ſcriptus (1). Vulgari autem lingua

397. *Doctrinal de cavalleros*: quem rogatu Didaci Gomezii Sandovalis Comitis de Caſtro ac de Denia ſcripſit librum, Burgis editum anno MCDLXXXVII. atque iterum MCDXCII, in folio: quæ duæ editiones in eximii viri D. Laurentii Ramirezii à Prato bibliotheca fuere. Continet hic liber nobilium virorum ad ea quæ noſcere ac facere tenentur, ex legibus olim à Regibus Hiſpaniarum promulgatis, inſtructionem (2).

Ora-

(1) Habetur in Eiuſdem librorum Catalogo *T. I. pag.* 159. *inter codd. MSS.* hoc titulo: *Alfonſi de Carthagena Epiſcopi Burgenſis Anacephalæoſis, Hiſtoria Regum Hiſpaniæ; et ea quæ de Arabico tranſtulit in Hiſpanum ſermonem, aliaque Eiuſdem opuſcula. Fol. antiquâ nota C.* 11. Quæ indicant eum & Arabicè doctum, nonnullaque Bibliographis atque hiſtoricis noſtris indicta, ex Arabicis in vernaculam linguam tranſtuliſſe.

(2) Exſtat eodem titulo in Eſcurialenſi, XV. ut videtur ſæculi inclinantis optimæ notæ codice. *Lit. h. Plut. III. n.* 4. (T. II. p. 112.) Ad Didacum Gomezium Sandovalium Comitem de Caſtro ac de Denia; codex autem Anonymo Regii ſtabuli Comiti nuncupatur: *Los famoſos Cavalleros* (inquit) *mui noble Señor Condeſtable &c.*

398. *Oracional ò tratado que contiene* (apponimus inſcriptionem integram editionis poſtumæ) *reſpueſta à algunas queſtiones que hizo el noble cavallero Fernan Perez de Guzman al reverendo P. virtuoſo Prelado D. Alonſo de Carthagena de buena memoria, Obiſpo de Burgos, tocante à la fiel y devota oracion* (1). Sequitur *: Contemplacion mezclada con oracion, compueſta en Latin, y tornada en lenguage Caſtellano, ſobre el Pſalmo de David* : Iudica me Deus (2). Item: *Declaracion de un tratado que hizo S. Juan Chryſoſtomo, el qual demueſtra y concluye, que ninguna perſona es dañada ſino por ſi miſma* (3) *; que le mandò el Rey D. Juan el II. hazer*. Adiungitur carmen ſeu epicedion Ferdinandi eiuſdem Perezii in Alphonſi obitu. Quæ omnia Didaci Roderici de Almela, qui familiaris fuit Alphonſo, ut credimus, operâ Murciæ ex typographia Gabrielis Loiſii Arimo, & Lupi de la Roca MCDLXXXVII. in folio prodierunt. Hoc *Orationale* opus, aliàs *Duodenario*, quòd quæſtionibus conſtaret duodecim, nuncupatum, idem Didacus Roderici in epiſtola quadam ad Ioannem Cordubenſem ſcripta, quæ unà it cum eius opere *De las batallas campales* ſub hac laudat epigraphe (4).

399. *Conflatorium* (neſcio cuius argumenti) laudat idem Almela in *Valerii hiſtoriarum* ſæpiùs dicto loco.

400. *Defenſorium Fidei*. Hunc librum diſertis verbis laudant idem Almela in *Valerio hiſtoriarum* lib. 8. tit. 6. cap. 9. Alphonſus Venerus in *Enchiridio temporum*, & alii. Atque hunc editum typis fuiſſe alicubi legimus.

401. *Super altercatione præeminentiæ ſedium inter oratores Regum Aragoniæ & Angliæ in Concilio Baſileenſi*. Ita inſcribitur in codice Vaticanæ bibliothecæ manuſcriptæ num. 4150. noſtris auctoribus non cum Aragoniæ, ſed cum Caſtellæ, controverſiam Anglis legatis fuiſſe affirmantibus. Planè Caſtellæ dignitatem ab eo contra oratores Anglos, qui priora ſibi vendicabant, ſcripto defenſam & patribus oblatam, Stephanus Garibaius lib. 16. cap. 23. & Ioannes Mariana lib. 21. cap. 6. docent, quo quidem ſcripto Anglorum audaciam fregit. Ac verè res inter Anglos & Caſtellanos geſta argumentum eſt libelli, quem plures viderunt. Quare mendum irrepſiſſe in Vaticani codicis inſcriptionem conſonum vero eſt. Nam codici eiuſdem bibliothecæ 4151. *Propoſitio* inſcribitur *facta per Rev. P. Alphonſum, Ep. Burgenſem, ſuper altercatione* &c. *inter Ambaſciatores ſereniſſ. & potentiſſ. principis dom. noſtri Regis, & Ambaſciatores illuſtriſſ. principis dom. Regis Angliæ* &c. Incipit: *Memor ſum, reverendiſs. reverendique PP. eius ſententiæ, quam dixiſſe fertur Demoſthenes* (5) &c. Hoc autem fortaſſe opus eſt, *De las ſeſiones*, hoc eſt, Seſſionum: quod noſtro tributum à Didaco Valera in *Cæremoniali Principum*, quod manuſcriptum exſtat, obſervavimus.

402. Item. *Super Canariæ inſulis pro Rege Caſtellæ allegationes*, quæ ſunt in Vaticano codice 4151. MSS. Lis nimirum erat ſuper dominio Fortunatarum ſive Canariarum inſularum, inter Henricum Portugalliæ Infantem Ioannis I. Regis filium cui Betancurtius Gallus nullo iure eas vendiderat, & Ioannem II. Caſtellæ Regem; reque ad Eugenium Papam delata, Ludovico Al-

(1) In Eſcurialenſi *Lit. y. Plut. III. n.* 8. ad Ferdinandum Petri Guzmanum. (T. II. p. 378.)

(2) In Eſcurialenſi, *Lit. h. Plut. II. ſub n.* 22. *ſub tit. Miſcellanea Hiſtorica.* (II. 92.) atque item *Lit. a Plut. IV. n.* 7. (I. 131.)

(3) In Eſcurialenſi *Lit. a. Plut. IV. n.* 7. (II. 92.) Latine atque idem ab Auctore Hiſpanice verſus *Lit. h. Plut. II. ſub n.* 22. (T. II. p. 93.)

(4) Habetur in Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit. f. Plut. III. ſub n.* 17. (T. I. p. 501.) *Anonymi Hiſpani Epiſcopi* (certè *Burgenſis*) : *Binarium ſecundum ad Ferdinandum Petri de Guzman*; ſeu binæ è duodecim quæſtionibus ipſi propoſitis : quaſi ſexies ad eum ſcripſerit, aut ſena epiſtolarum binaria miſerit.

(5) In Eſcurialenſi *Lit. Z. Plut. III. ſub n.* 2. (T. II. p. 329.) hoc titulo : *Allegatio pro præcedentia Regum Caſtellæ præ Regibus Angliæ &c.* Latine ; atque eadem ab Auctore Hiſpanicè verſa, *Lit. h. Plut. II. ſub n.* 22. (T. II. 92.) inſcriptaque : *Propoſicion que hizo contra los Ingleſes ſeyendo Embajador en el Concilio de Baſilea ſobre la preeminencia del Rey de Caſtilla ſobre el Rey de Inglaterra*. In Regia Matritenſi bina itidem habentur huius Allegationis exempla, quorum antiquiori circa Auctoris tempora exarato ſubditur: *Definitio facta per Sacroſanctam generalem Synodum* (Baſileenſem) *ſuper altercationibus ſedium Illuſtriſſimorum Regum Yſpaniarum & Anglorum, pro Hiſpaniarum Rege. Nos autem* (inquiunt Concilii Patres) *poſt longas & maturas in ſacris veſtris deputationibus deliberationes deſuper habitas : hodie in Congregatione noſtra generali concluſimus, Ambaſſiatoribus præfati Ioannis Regis, necnon Regum Caſtellæ & Legionis pro tempore exiſtentium, primum locum immediatum poſt Ambaſſiatores Kariſſimi in Chriſto Filii Regis Franciæ pro tempore exiſtentis in honore & voce aſſignari debere : quem ſic ipſis, ut præmittitur, tenore præſentium aſſignamus : decernentes Ambaſſiatores Regis Caſtellæ & Legionis pro tempore exiſtentis prædictos in Congregationibus & aliis locis generalis Concilii pro tempore celebrandi dictum locum futuris temporibus tenere & habere poſſe & debere : Contradictores obſtaculo quovis ſemoto &c.* Exſtitit in Bibliotheca Comitis Ducis Olivarienſis inter MS. Codd. Hiſpanicè. Pag. 162.

Alvari de Pace Ioannis procuratore, dicta pro eo ſententia fuit : quod anno huius ſæculi triceſimo primo contigiſſe, Franciſcus Lupi à Gomara in *Hiſtoria generali Indiarum* docet; atque eo adhuc diſtinctiùs Ioannes Nonnius Peña in nova iſtarum inſularum deſcriptione & hiſtoria cap. 7. Aderat fortè Alphonſus ſub idem tempus Romæ Baſileam venturus, cui commendatæ ſimul cum Ludovico cauſam inſtruendi partes fuere (1). Adiungit Almela ſimul agitatum fuiſſe de iure ad expeditiones in proximis Hiſpaniæ oræ regnis Africæ Feſſano & Marochitano faciendis. Meminit etiam huius operis Alphonſus Madridius Alcoritanus archidiaconus in *hiſtoria* MS. *Palentinæ urbis*.

403. *Orationem* quoque habuit in *Concilio Baſileenſi*, quæ in Vaticano 232. MS. codice exſtat.

404. *Defenſorium unitatis Chriſtianæ, ad ſereniſſ. principem dom. Ioannem Caſtellæ & Legionis* &c. *Regem potentiſſimum.* Converſorum ex Hebraiſmo agit cauſam, ut ſcilicet benevolè & ex Chriſtianæ charitatis legibus, non verò cum honorum indignis & expertibus ad Eccleſiæ gremium reciperentur. Liber eſt doctiſſimus ſuoque artifice dignus, ſacrarum Scripturarum, Eccleſiæ univerſalis, atque Hiſpanæ Conciliorum, nec minùs Sanctorum Patrum & iuris utriuſque teſtimoniis doctè atque nervosè explanatis, conſtans. Cuius tres partes ſunt. *Prima* (ipſius auctoris verbis) *aliquantò generaliter : Secunda particulari diſtinctione ſpecialiter hanc ſanctam* (ait) *unitatem defendere tentat : Tertia quantum errorem incurrant qui contra eam aliquid dogmatizare præſumunt ; ac quid ad eorum reductionem ſeu punitionem ſuperioribus ſuis incumbat agendum, oſtendit.*

405. Prima quidem pars continet capita 10. ſecunda in quatuor theoremata ſubdividitur. I. Demonſtrat per Redemtorem mundi Chriſtum Ieſum dominum noſtrum populum Iſraeliticum fuiſſe quoad ſufficientiam ſalvatum. II. Gentes quoque univerſas eodem modo per eundem Salvatorem gratiam recepiſſe. III. Tam Iſraelitas quàm Gentiles per ſacri baptiſmatis ianuam ad Fidem catholicam ingredientes, non duos populos aut duas gentes diverſas manere, ſed ex utriuſque venientibus unum populum novum creari. IV. Tam hinc quàm illinc ad Fidem catholicam venientes, quamcumque eminentiam, nobilitatem, aliamve dotem quam primò habebant, in quantum Eccleſiaſticæ hierarchiæ inſtitutis non obviat, recuperare, habilitatemque de novo obtinendi acquirere. Primum theorema octo capita, ſecundum tria, tertium ſex, quartum triginta quatuor habet capita.

406. Tertia demum pars operis capitibus quatuordecim continetur. Incipit prologus ad Regem : *Scripſeram quidem veſtræ regiæ maieſtati, potentiſſime princeps, ſub veſtro* [h] *Hiſpano idiomate, quæ mihi tunc occurrebant ad exhortationem reductionemque illorum, ſi aliqui ſunt, quos inadvertentia* &c. *quæ unitatem Eccleſiæ catholicæ* &c. *offendere poſſent.* Unde liquet aliud aliquid operæ in eadem adornanda Sparta ante hoc tempus eundem navâſſe. Abſolvitur totum opus his verbis : *Valeat proſperè, quinimmo feliciter, (ut unico verbo bona fortunæ & virtutis includam) regia ſerenitas veſtra, & hoc parvulum munuſculum in humilitate cordis, cum ardore caritatis oblatum, regali gratioſitate acceptare, & ubi opus fuerit, corrigere atque emendare, dignetur. Anno quinquageſimo poſt quadringentos & mille ab incarnatione Verbi æterni conſcriptum, ſacri Romani tempore Iubilæi pio & optato currente. Laus Deo.*

[h] Forſan *noſtro.*

407. Huius commentarii hoc ſpecimen nobis benignè huc inſerendum ſubminiſtravit æternùm colendus amicus noſter D. Ioannes Lucas Corteſius ex MS. codice, quem apud ſe habet, quemque nos ipſi vidimus. Attamen commune hoc inter doctiſſimos viros trium ferè ſæculorum de hac re iudicium non potuit hactenus quampluribus ſtabilitum Eccleſiarum & gymnaſiorum ſanctionibus, Pontificia etiam auctoritate nitentibus, contrarium iudicium perſuaſionemque, non infrequentibus confirmatam apoſtatarum exemplis, labefactare. Occaſionem verò huic dediſſe Alphonſi ſcripto, quod quidem anno huius ſæculi ſui quinquageſimo confeciſſe dicitur, primum de hac interdictione ab certis honoribus ſive ſedendi & ſuffragium ferendi locis novis Chriſtianis facta ſtatutum Toletanum quoddam ſuperiore anno XLIX. factum admonuit nos cuiuſdam curioſi hominis oræ libri de quo loquimur affixa nota (2). *Medacus* Velaſquius, ſeu qui ſub hoc nomine latet, *Iacobus Bretòn* à patria dictus *De Simancas* Epiſcopus Pacenſis, *Defenſ. Stat. Tolet. cap. I.* Antuerpiæ 1575. Alfonſi Burgenſis de hoc argumento ſcriptum, id eſt *Defenſorium unitatis Chriſtianæ* præceſſiſſet.

(1) In Eſcurialenſi *Lit a. Plut. IV. n.* 14. (I. 138.): *Allegationes in Concilio Baſileenſi pro Rege Caſtellæ & Legionis contra Luſitanos ſuper iure conquirendi Canarienſes Inſulas, anno MCCCCXXXV.*

(2) Ἐπιφωνικῶς; quaſi vero Statutum Toletanum, quod anno demum MDXLVII. à Ioanne Siliceo eius Sedis Antiſtite promulgatum fuit, ut docet Di-

408. *Memorial de virtudes* : quod à ſuperiùs iam laudato *Defenſorio Fidei* diſtinguimus ; quamvis confundere videantur alii, eo quòd vernacula inſcriptio quam omnes laudant, id ſuadeat, ſeorſumque ab illo habeant memorati Almela domeſticus teſtis ac Venerus (1).

409. At neſcimus planè quò reſpexerit Ludovicus Ariz Benedictinus *Hiſtoriæ Abulenſis* tertia parte fol. 12. quum *Lucam Tudenſem in additionibus Alphonſi de Carthagena* (quod interpretor *Additiones Burgenſis noſtri ad Tudenſem Epiſcopum*) laudat ; niſi *Anacephalæoſin* ſignificare voluerit.

410. Iuſſu quoque is Ioannis Regis è Latino in vernaculum vertit Senecæ aliquot libros (duodecim Almela expreſſit) lociſque opportunis gloſſas adiunxit (2). Interpretatus quoque eſt finem operis *De caſibus virorum illuſtrium* Ioannis Boccaccii à Petro Lupi de Ayala maiorem in partem è Latino in Hiſpanum translati, uti de Petro loquentes annotavimus. Necnon & cum Leonardo Aretino de Ariſtotelis Ethicorum interpretatione ab eo confecta, cùm in Italia eſſet diſputâſſe dicitur, ſcriptoque diſputationem conſignâſſe : quod Pulgarius & Almela referunt, quorum poſterior *Declinationes* opus vocat. Planè is fuit Leonardus, *de cuius facultate interpretandi præclarum erat Andronici Theſſalonicenſis iudicium. Verum quippe eum & fideliſſimum Græcorum librorum interpretem appellare ſo-*

(1) In Eſcurialenſi, *Lit. Q. Plut. II. n* 9. (T. III. p. 19.) *Memoriale virtutum. Libris duobus. Ad Eduardum Ioannis Luſitaniæ Regis filium Primogenitum, Latino ſermone* quo primum conſcriptum fuiſſe videtur. Exſtat enim in eadem Bibliotheca, *Lit. h. Plut. III. num.* 11. (T. II. p. 116.) verſio eiuſdem Hiſpanica *Anonymo interprete* ad Eliſabetham Eduardi ex fratre neptem, Eliſabethæ Catholicæ Hiſpaniarum Reginæ matrem, in cuius prologo : *Conmigo penſando determiné* (Interpres ait) *trasladar en nueſtra comun lengua Caſtellana un mui gracioſo è noble tratado que de virtudes fallé : el qual de los dichos de los Morales Philoſophos compuſo el de loable memoria Obiſpo de Burgos al muy iluſtre, é muy inclito Señor Don Duarte Rey de Portugal ſeyendo primero Principe : al qual, Memorial de virtudes intituló &c.*

(2) In codice Eſcurialenſi *Lit. L. Plut. II. n.* 15. (T. III. p. 264.) habentur I. *De vita beata. Ad Gallionem Fratrem..* II. *De Providentia Dei ad Lucilium..* III. *De tranquillitate vitæ ad Serenum..* IV. *De clementia ad Neronem..* V. *De ſeptem artibus liberalibus..* VI. *Declamationes* (Marci Patris).. VII. *Proverbia* (Publii Syri & Laberii Mimi).. VIII. *De quatuor virtutibus* (Martini Dumienſis ſeu Bracarenſis.) Item *Lit. t. Plut. III. n.* 4. (II. 524.) : *De vita beata* : *De Providentia* : *De Clementia* : *De Fortuitis*, ſeu *de remediis fortuitorum* : *Proverbia* : LIBER DE BELLO, hoc titulo : *Aqui comienza el Tratado de la guerra ;* continet autem folia formæ quartæ duodecim : *Declamationes* : *Dicta Senecæ memorabilia.* Item, *iiſdem Lit. & Plut. n.* 5. præter ſupra relata : *Libro de Seneca en el qual trata como en el Sabidor non cae ofenſa nin injuria alguna.* Et codice ſeq. ſeu 6. *De la amiſtança, ó del amigo.* Et num. 7. *Dichos de Seneca en el hecho de la Cavalleria.* Item, *Lit. h. Plut. II. ſub n.* 22. (T. II. p. 92.) *Reſpueſta á Don Inigo Lopez Marques de Santillana que le habia conſultado acerca del juramento ó ſacramento militar que hacian los Soldados Romanos.* Item *Lit. t. Plut. II. n.* 12. (T. II. p. 516.) *Libro de Marcho Tullio Ciceron que ſe llama de la Retórica trasladado de Latin en Romance por el muy Rev. Don Alfonſo de Cartagena Obiſpo de Burgos á inſtancia del muy eſclarecido Principe Don Duarte Rey de Portugal.* Videtur autem prior tantum liber *De Inventione*, ſeu *Veteris*, ut vulgo dicitur, *Rhetorices.* Omnia Hiſpanicè ; è quibus nonnulla oculatiſſimi Noſtri diligentiam fugiſſe videntur.. In *Quæſtionibus* quoque *Ortholanis*, ſive *Hortolanis* Roderici Sanctii de Arevalo Epiſcopi Palentini Romanæ Sancti Angeli arcis Præfecti de quibus infra, *cap. XI. huius Libri n.* 610. agitur, partem aliquam *Alphonſum Burgenſem* habuiſſe docet ipſe operis titulus in *Roderico Sanctii de Arevalo* inferius à nobis adducendus.

bus, unà cum ſorore unica inter cognatos adolevit; nec ante annum ætatis viceſimum tertium, amore tactus literarum iam inde, Cordubæ primùm, poſtea Salmanticæ, tandemque Romæ, ſedulò ſemper ſtudio, hiſtoriarum præſertim, univerſæque antiquitatis & humanioris doctrinæ totus incubuit. Uxore autem in patria Garſiæ ac Lupi Vaccarum ſorore ducta, amœnitati ingenii, morum iucunditate, ac ſingulari poeticæ artis, quæ aſpero & rudi illo ſæculo emergere poterat, excellentiâ, viris Hiſpaniæ principibus, & inter alios Eneco Lupi à Mendoza Santillanæ Marchioni, literatorum Mæcenati & ipſi literarum eximio cultori necnon primi inter poetas ſubſellii, mutuis benevolentiæ & obſequiorum officii ſeſe devinxit.

413. Iamque vulgò notus ac in pretio habitus, facilè etiam ſe in Ioannis II. gratiam, qui carmina vehementer amavit, & poetis non mediocriter delectabatur, omnibuſque bonis artibus & earum profeſſoribus propitius fuit, inſinuavit: ut & chronographi quoque munus ei aliquando exhiberet, in hunc bene de poſteritate merendi, reſque eius geſtas in commentarios digerendi, locum allectus.

414. Nec defuit Ioannes commiſſæ ſibi Spartæ; nam ſcribere eum æqualem eius temporis nutu Regis hiſtoriam, ignorare nos vetuerunt ex epiſtolis quas Ferdinandi Gomezii de Civitate-regali, regii medici nuper laudati iam vulgares legimus, eæ quæ, ad noſtrum Ioannem directæ ſunt. In viceſima etenim adhortatur eum, ut metrico *Circulorum ſeptem*, quod in manibus habemus atque idem confecerat iis iam diebus poemati, compendium hiſtoriale ſuccedere faciat. Et in epiſtola 47. quod vernaculo dabimus teſtimonio: *E ya ſabe ſu ſeñoria* (hic honoris titulus tunc dabatur Regibus, quem iam in aliquo vix pretio magnates noſtri habent) *que eſcrivis ſu hiſtoria à manera de comentos, e le place, e le placeria ver algunos capitulos; cà es codicioſo de loa, como de meterſe en arduos fechos; e me manda que os narre la poridad de lo que à ſu ſeñoria le mandan de fuera, e lo que ſu ſeñoria manda tambien.* Hoc eſt: Novit iam Rex hiſtoriam eius te ſcribere commentariorum ordine, quod placet ei: cuius & aliquot videre capita gratum haberet; eſt enim laudis non minus quàm aggrediendi magna quæque laudeque digna cupidus. Porrò mihi in mandatis dedit ut tecum quicquid novi ad eum aliunde ſcribitur, ipſeque aliò ſcribit, confidenter communicarem. Et in epiſtola 49. iuſſum ſe à Rege ait ad eum mittere relationem eorum quæ in expugnatione Ximenæ oppidi Maurorum geſta eſſent; & in fine ait, Regi ſe legiſſe concluſionem *Tertii circuli* (Veneris ſcilicet, in eo, quod laudavimus, poemate), Regemque unà cum precum divinarum libro ad manus hoc habere, idemque in eas ſumere frequenter ac ponere.

415. Necnon in epiſt. 74. referens ei pluiſſe iuxta Roam Caſtellæ oppidum, dum Rex venatum eò exiiſſet, pumicoſos ac ſpongioſos lapides, adeoque leves ut quamvis mortariorum quædam rotundorum, quædam & cervicalium medietatis, nonnulla quoque ſemimodiorum æquarent magnitudinem, ſemilibræ vix pondus haberent, & abſque aliquo nocumento vel capitibus exciperentur. Ex iis lapidibus quoſdam ad Menam deferri ab eodem Rege impoſitum ſibi fuiſſe ait.

416. Improlis tandem, libros loco liberorum poſt ſe propagatores ſui relinquens, cùm & Ioanni Regi à ſecretis ut aiunt fuiſſet, Turri-lacunæ anno MCDLVI. ætatis ſuæ quadrageſimo quinto, pleuritide confectus obiit, illatuſque ſepulcro fuit, Eneci Mendozii Sanctæ Iulianæ Marchionis prædicti, eorum temporum magni herois, impensâ in templo parœciali eiuſdem oppidi, quod diœceſis Toletanæ eſt, iuxta aram conſtructo (1). Quod totum ex Lucii Marinæi Siculi elogio, quod libro 6. (nonniſi in antiqua editione quærendo) *De laudibus Hiſpaniæ*, conſignavit, è Francisco Tarafa *De Hiſpaniæ Regibus* in Ioanne II. item ex epicedio quodam à Valerio Franciſco Romero, in Ferdinandi Nonnii Guzmani (Menam qui commentario ſuo illuſtravit) morte dicto; necnon è Gomezii Manrici carmine ad Marchionis Sanctæ-Iulianæ obitum, Petro Salazario Mendoza, in magni Mendozæ Cardinalis Hiſpaniæ rebus geſtis cap. 23. §. 3. & aliis conſtat.

417. Poeta hic ſublimis venæ ingeniique, cui & multæ lectionis, ac veteris ævi monumentorum ornamentum adiunxit, niſi antiquatum hoc iam tempore phraſis genus, legentium auribus quodammodo grave & ingratum eſſet, ſummis

(1) Metricum eius epitaphium ad hanc diem ſuperſtes ſiſtere placuit è D. Thomæ Ant. Sanchezii *Syll. Poemat. Hiſp. ant. ſæc. XV. Prolegom. T. I. pag. XXII.* nimirum.

FELIZ PATRIA DICHA BUENA
ESCONDRIJO DE LA MUERTE.
AQUI LE CUPO LA SUERTE
AL POETA JUAN DE MENA.

mis huius artis principibus comparandus; & qui tantùm omnes Hiſpanos ad id tempus poetas, ut Marinæus Siculus ait, quantùm Latinos Virgilius ſuperâſſe videri poteſt, hæcce poſt ſe reliquit Apollinis ſignata & Muſarum notis.

418. *El Laberinto, ò las Trecientas.* A numero octoadum, ſive, ut vocavit illa ætas, copularum octo verſibus dodecaſyllabis conſtantium: cuius operis argumentum ſecunda hæc earum oſtendit, ut exteris demus noſtræ iſtius ſæculi poeſeos guſtum, hìc à nobis poſita:

Tus caſos fallaces, Fortuna, cantamos,
Eſtados de gentes que giras e trocas;
Tus muchas mudanzas, tus firmezas pocas,
Y los que en tu rueda quexoſos hallamos:
Haſta que al tiempo de agora vengamos,
Y hechos paſſados codicia mi pluma,
Y de los preſentes hazer breve ſuma:
Dè fin Apolo, pues nos comenzamos.

419. Quibus inde eum eiuſdem Regis iuſſu ſexaginta quinque alias ſubiicere deberet, ut anni dierum æquaret numerum. Fecit quidem viginti quatuor ſaltem, quæ trecentorum clauſulæ & argumento connectuntur optimè: adeò ut dubitari nequeat eiuſdem eſſe Ioannis hanc appendicem: quod & gloſſator ex clauſula quam diximus bene confirmat, ſimileque prorſus priori eſt, alterius partis dicendi genus (1). Gloſſator inquam Ferdinandus Nonnius de Guzman, vir ſummus qui cùm adoleſcens primùm ſuæ doctrinæ ſpecimen in his dediſſet, bonarum poſtea literarum, & critici ſtudii quaſi principatum Compluti, Salmanticæque Græcam linguam, necnon Rhetoricam artem & naturalem hiſtoriam profeſſus obtinuit: in qua gloſſa ſingularem iam habere ſe antiquitatis & bonorum auctorum peritiam abundè oſtendit: qui nec diſſimulat in commentarii colophone ius quidem & æquum eſſe condonari ſibi errores, quos intentati hactenus ab alio (quodque plures aggredi non ſunt auſi multæ *Biblioth. vet. Hiſp.* Tom. II. ſcientiæ ac doctrinæ viri) operis difficultatem apud doctos homines excuſaturam non deſperabat. Planè non hic, ſed alius, adſutarum deinde *Labyrintho* viginti quatuor octoadum commentarium ſeu gloſſam confecit, ut ex eius initio apparet.

420. *Labyrintho* ſubiiciuntur in editione, quâ utimur, Hiſpalenſi apud Ioannem Varelam anni MDXXVIII. in folio, Poematia quædam levioris operæ, necnon &

421. *La coronacion al iluſtre cavallero Don Iñigo Lopez de Mendoza Marques de Santillana*, hoc eſt, eiuſdem Marchionis veri Mæcenatis in Parnaſſo coronationem, quam ipſe propriis declarationibus, ne obſcura & abditi ſenſus quædam lectores morarentur, explanavit. In quibus declarationibus affectato, ac verſibus ſimili, prorſæ orationis genere uſus, notum poſteris fecit, eam loquendi formam tunc placuiſſe. Toleti hæc edita *Coronatio* eſt cum gloſſis in 4.° anno MDIV (2). *Coronationem* hanc ſequuntur quidam alii verſus, tandemque

422. *El tratado de vicios y virtudes* (Prudentii *Pſychomachiam* dixeris): quem ab eo imperfectum relictum, Hieronymus de Olivares, Alcantaræ ordinis eques, cuius pater æqualis Menæ fuerat, quode in prologo docemur, abſolvit (3). Huic ſanè immortuus videtur Mena, quod ſcribere ſe prudentiorem ætate factum & profanorum pertæſum non diſſimulat.

423. Omnia hæc carmina prodierunt ſimul, primumque forſan, Hiſpali anno MDXII. atque ibidem iterum ex typographia Ioannis Varelæ MDXXVIII. atque inde Pinciæ anno MDXL. in folio, & Compluti ex Ioannis Villæ MDLXVI. in 8.° item Antuerpiæ MDLII. in 8.°

424. *Invocacion que hizo Juan de Mena que comienza: Canta tu Chriſtiana Muſa*, eſt in codice quodam miſcellaneo Hiſpalenſis Eccleſiæ (4).

425. Idem eſſe dicitur auctor non mi-

(1) Principem huius operis editionem nunquam videre mihi contigit; Granatenſis anno *MDV. die VII. Novembris completa* per Ioannem Varelam de Salamanca, *ſecunda editio* in eiuſdem fine dicitur; neutra tamen niſi primigenias CCC. Ioannis Menæ ogdoadas continet.

(2) Habetur in Bibliothecæ Eſcurialenſis codice *Lit. n. Plut. I. ſub n.* 13. (T. III. p. 144.) atque in alio penes nos aliquanto, ut videtur, antiquiore. In editis paſſim.

(3) Exſtat in Regiæ Bibliothecæ Matritenſis codice inſcripto: *Obras de Don Juan Fernandez de Yxar llamado el Orador*, cuius tamen ne nomen quidem in eo legitur; eamque ob cauſam *Pſeudepigraphum Ioannis Yxarenſis codicem* deinceps appellabimus, à fol. CX. pag. 1.

(4) Non diverſum opus, ſed *Pſychomachiæ*, ſeu *Tractatûs de vitiis & virtutibus* initium eſt. Habetur in *Pſeudepigrapho Ioannis Yxarenſis codice* paulo ante medium fol. ſcilicet CXXVII. pag. 2. hoc titulo: *Debate formado compueſto por Iohan de Mena: De la razon contra la voluntad*: quem excipit Gomezii Manrici ſupplementum CLVIII. ogdoadibus dimetris conſtans, præmiſſa rubricâ: *Aqui feneſce lo que el noble Poeta Johan de Mena fizo, por falleſcimiento ſuyo. E profigue el muy noble Cavallero Gomez Manrique & faze un breve prohemio*: quode opere nos inferius.

nimæ partis *Hiſtoriæ rerum Ioannis Regis*, earum nempe quæ ab anno eius ætatis vicesimo usque ad tricesimum quintum contigêre : de quo videndus in prologo huius hiſtoriæ à se recognitæ Laurentius Galindi Carvaxalius Caroli V. Cæsaris chronographus & consiliarius, ut in Ferdinandi Perezii Guzmani mentione iterum extensiusque annotabimus. Item penes Acropolitanum Marchionem, qui iam quum hæc scribimus Mondexarensis appellatur, librum manu exaratum vidimus huius tituli :

426. *Memorias de algunos linages antiguos e nobles de Caſtilla, que va eſcriviendo Juan de Mena coroniſta de ſu Alteza, el muy ſereniſſimo* (barbariſmus forsan Scriptoris) *y muy eſclarecido principe Don Juan el ſegundo de Caſtilla y Leon, por mandado del muy iluſtre ſeñor D. Alvaro de Luna Condeſtable de Caſtilla :* unà cum depictis uniuscuiusque insignibus. In bibliotheca, quæ fuit Excellentiſs. Comitis de Villaumbrosa, & nunc est lectissimæ eius viduæ, liber MS. in 4.° hac inscriptione notatur :

427. *Treynta y ſeis capitulos* (de la Iliada) *de Homero traducidos en Caſtellano por Juan de Mena, y dedicados al Rey D. Juan el ſegundo.* Codex est membranaceus, & coloribus variegatus (1). Gomezii Manrici carminis de quo suo loco monebimus poetæ nobilissimi, de Marchionis Sanctæ-Iulianæ obitu poeseos adversus mortem querelam continentis hæc ad nostrum pertinent :

Eſta muerte que condena
A buenos y comunales,
Me llevò à Juan de Mena,
Cuya pluma fue tan buena,
Que vi pocas ſus iguales.

Prosequiturque (ne de altero isto egregio, ac Menæ æquali, poeta nihil dicamus)

Y por mas me laſtimar
Llevòme ſin mas tardar
Aquel de gran perfeccion
D. JUAN DE IXAR de Aragon,
Orador muy ſingular.

Plura qui noscere de hoc huius temporis viro inclyto desideraverit, collecta ea inveniet in *Aragonensium* Vincentii Blasii Lanuzæ *Hiſtoriarum* volum. 2. lib. 5. cap. 50. (2)

428. Hoc ipso tempore floruisse dicitur IACOBUS (vulgò JAIMUS) DE S. IOANNE, natus in oppido Cervera Cataloniæ, in quo & Dominicanorum sodalium instituto se addixit, scripturus Latino sermone

429. *Vitam S. Raymundi de Peña-fort,* Barcinone, dum ibi essent Petrus Queralt Prior provincialis Aragoniæ, ac Minister generalis Martialis Auribellus anno MCDLVI. hoc ipso nempe de quo agimus. Laudat hominem & opus Franciscus Diago Dominicanus in *Hiſt. prov. Aragoniæ* huius ordinis lib. 2. cap. 17. Qui ait fuisse primum Barcinonensis urbis Inquisitorem, postquam à Nicolao IV. Papa hoc munus seorsum haberi iussum fuit à totius provinciæ Aragoniæ Inquisitoria dignitate (3). Alius forsan est eiusdem nominis JAIMIUS DE S. IOANNE Cæsaraugustani cœnobii, quem inter Scriptores duorum posteriorum sæculorum laudatum dimisimus.

430. FERDINANDUS PETRI GUZMANUS (vulgò Fernan Perez de Guzman) clarissimis Castellæ totius familiis *de Guzman, de Toledo*, ac *de Ayala* progenitus, patrem habuit Petrum Suarezium Guzmanum Toparcham de Bâtres, archinotarium provinciæ Beticæ, quod munus Cancellarium regium denotat ; matrem verò Elviram de Ayala, Ferdinandi Perezii Ayalæ filiam. Qui quidem Petrus Suarezius, cùm natus esset Petro alii Suarezio à Toleto ex Maria Ramirezia Guzmana Ioannis Ramirezii Guzmani domini *de Aviados* filia : insuper habito genitoris, quantumvis nobilissimi, genitricis nomen sibi posterisque suis adscripsit.

431. E Ferdinando autem, quem laudandum suscipimus, & domina Marquesa de Avellaneda uxore, genitus fuit Petrus Guzmanus : cuius filia Sancia, quam ei pe-

(1) Exstat in Regiæ Bibliothecæ Matritensis codice chartaceo à libro I. Iliados ad XXIII. & Patrocli funus iustaque eidem ab Achille persoluta ; sed brevis potius dicenda est argumentorum Iliados expositio quam Homerici operis versio, XIX. non amplius vulgaris folii chartis contenta. In earum postrema : *Finit volumen Iliadis Excellentiſſimi Homeri breviatum & vulgarizatum per Dominum Ioannem de Mena Oratorem Illuſtriſſimi Regis Caſtellæ Ioannis II. pro eodem Domino Rege & de eius mandato.*

(2) Egregii huius Poetæ atque Oratoris nihil in Bibliotheca Escurialensi reperi præter pauca poematia cum aliis *Ioannis* cuiusdam *de Villalpando*, *Baccalaurei Alfonſi de la Torre*, *Eſparçæ*, itidem mihi ignoti, & *Lupi de Stunica*. Exstant in codice *Lit. n. Plut. I. ſub n.* 13. (T. III. p. 144.) Habentur quoque in eadem Regia Bibliotheca *Lit. a. Plut. IV. ſub n.* 26. (T. I. p. 149.) *Ioannis Ixarensis & Antonii Panormitani* Latinæ literæ varii argumenti ad varios. Neque in Hispaniæ Cantionariis *Baenæ* aut *Villaſandini ;* neque in editis, Hispalensi 1540. Antuerpiensi 1573. aut alibi nomen eius me legisse memini.

(3) Quetifus & Echardus *T. I. pag.* 815. opus ita inscribunt : *Relatio inſignis Balearicæ transfretationis miraculoſæ Sancti Raymundi de Pennaforti ;* & præterea Auctorem *cœnobii Barcinonenſis alumnum* faciunt.

perit Maria de Ribera, Toparchiam de Bâtres in domum mariti Garsiæ Lasso de la Vega, regii apud Pontificem Legati, ordinis S. Iacobi equitis, & in Legionensi regno commendatarii maioris, transtulit. E quo coniugio nati sunt Petrus Lassus & Garsias Lassus de la Vega : à quorum priore hodierna Comitum *de los Arcos* ac de *Añover* domus derivat. Posterior autem ille est, Hispanæ poeseos lumen, de quo altera huius bibliothecæ parte nos agemus. Neque extra rem Historicum hunc celebrem, à decessorum & posterorum claritate non minùs quàm ab literarum studiis laudamus : ut nostri discant homines, quorum olim partes essent res principum gestas stilo ducere, ac posteritatem omnem propriis laboribus demereri.

Carmine quodam in Alphonsi obitu.

432. Carissimus fuit Alphonso Burgensi Episcopo, Pauli à Sancta Maria filio, cui quidem, alteri veluti Senecæ, Lucillii se loco fuisse alicubi ait [1]. Alphonsi autem testimonio libri *Orationalis* initio, Ferdinandus in virili ætate, cùm pangendi suaviter carminis, tum sacrorum studiorum & contemplationis divini cultus merito censebatur : cuius studii quædam se legisse ait, à Ioanne etiam Rege, cùm legisset & ipse, laudata.

433. Huius autem nomen *Hiſtoria* præsefert *Ioannis* eiusdem *ſecundi Caſtellæ Regis* ; sed non tota eius est, nisi quòd ab aliis accepta reformavit ac propria fecit. Verè enim Ioannis res gestas (quod Laurentius refert Galindi Carvaxalius, cui quidem huius historiæ debetur publicatio) Alvarus Garsias de Sancta Maria, Pauli & Alphonsi Burgensium Antistitum filius & germanus frater, primus omnium describere cœpit : de quo iam diximus cap. 5. ab initio nempe eius regni, hoc est sæculi anno VI. usque ad vicesimum : alius inde continuavit usque ad quintum supra tricesimum copiosè & ordinatè, quem Ioannem de Mena fuisse nonnullis placet. Ab hoc tempore usque ad Regis mortem annotata quædam à Petro Carrillo Albornozio, aucupio eiusdem Regis præfecto, quæ & Lupus Barrientus Henrici principis magister locupletaverat, ad manum habuit Ferdinandus Perezius : unde, & ex his quæ viderat ipse, historiam prosequeretur, & colophone donaret (1). Cui certè typis committendæ Caroli Cæsaris iussu Laurentius iam laudatus chronographus regius nonnulla præmisit inseruitque in prologo eius ad prædictam historiam videnda, quæ edita fuit primùm (*Lucronii 1517. fol. vid. Bibl. Nov. in Laurentio*) ; atque iterum Hispali ab Andrea de Burgos anno MDXLIII. in folio. Huic subiungitur liber inscriptus, quasi historiæ appendix,

434. *Las generationes, ſemblanzas, ò obras de los excelentes Reyes de Eſpaña D. Enrique el tercero, e D. Juan el ſegundo ; y de los venerables prelados, y notables cavalleros, que en los tiempos de eſtos Reyes fueron* (2). Quem librum auctori suo refert Laurentius ; nec tamen dissimulat quædam se correxisse atque addidisse. Annotat verò *Generationum* hoc opus ante *Hiſtoriam* ab eo scriptum ; immo priusquam ad scribendam historiam animum applicuisset, anno scilicet sæculi quinquagesimo, ut ex eiusdem Ferdinandi verbis in *Ferdinandi Caſtellæ Infantis elogio*, sive capite quarto, constat. Alia quoque habemus partim ab eo scripta, partim ei adscripta, quorum certè non fuit auctor. Planè eius sunt

435. *Las ſetecientas coplas de bien vivir. Expoſicion del Pater noſter y Ave Maria, y Confeſſionario.* Qui liber editus exstat Ulissipone MDLXIV. in 4.° apud Germanum Guillart : ad quem alludisse videtur Alphonsus Burgensis præsul, cùm opera nostri sacra ut supra diximus celebravit. Nescio autem an diversus ab isto liber alius sit, quem diverso hoc inscriptum titulo exstare aiunt :

436. *Las ſentencias, que ſon bien ſcientificas, y de grandes y diverſas materias, muy provechoſas por las quales qualquier hombre puede tomar regla, doctrina, y exemplo de bien vivir* (3). Ulissipone MDXII. in 4.° Vidit Petrus Alva.

437. *Canciones de nueſtra ſeñora.* Ms. ser-

(1) Huc refer superius à Nostro dicta capite huius libri V. n. 285. nimirum *Ferdinandum Perezium Guſmanum, cui tota nunc Hiſtoria Ioannis II. Regis Caſtellæ adſcribitur, Alvari Garſiæ & aliorum commentaria ita ſua feciſſe, ut nullum iam illarum partium quæ cuiuſque eorum fuêre veſtigium deprehendere valeamus.* Vide tamen paulo inferius de hoc argumento a nobis notata.

(2) Exstat in Bibliotheca Escurialensi *Lit. z. Plut. III. ſub n.* 2. (T. II. p. 330.) hoc titulo : *De los Reyes de Eſpaña Henrique III. y Don Iuan el II. y de los Prelados inſignes, y notables cavalleros de ſu tiempo* : nuper Matriti editus in typographio *De la Gazeta* 1775. 4. simul cum Centuria seu *Centone Epiſtolari* Ferdinandi Gomezii de Civitate Regali ; & *Claris Caſtellæ viris* Ferdinandi Pulgarii.

(3) In prælaudato à nobis *pſeudepigrapho Ioannis Yxarenſis codice*, quem maxima ex parte ad Ferdinandum Perezium Guzmanum & Ioannem Menam pertinere deprehendimus, paulo sub medium, exstat prosaicum opus ἀδέσποτον atque ἀνεπίγραφον, cui mirifice quadrat huius numeri titulus : *Las ſentencias::: por las quales qualquier hombre puede tomar regla, doctrina y exemplo de buen vivir.* Continet enim LXIII. capita per totidem loca communia distributa, quæ nihil sunt nisi sententiarum ac proverbio-

ſervatur in bibliotheca Regia Eſcorialenſi. Idem Petrus Alva in *Militia Conceptionis* (1).

438. *Placer de los Emperadores, Reyes, y principes*, Ferdinando noſtro adſcriptum vidit D. Thomas Tamaius. In bibliotheca, quam olim habuit Matriti vir magnus, & Senatûs Caſtellæ præſes D. Petrus Nuñes de Guzman Comes de Villaumbroſa, exſtabat codex MS. cum hoc titulo: *Varias poeſias antiguas del tiempo del Rey D. Juan el II. y Enrique IV. compueſtas por Hernan Perez de Guzman, abuelo de Garcilaſſo de la Vega; y de Alvar Garzia de ſanta Maria, y del Marques de Santillana.* Ms. in folio. *Vicios y virtudes hymnos rimados à loores divinos embiados al muy bueno y diſcreto Alvar Garcia de ſanta Maria del conſejo del Rey nueſtro ſeñor por Fernan Perez de Guzman* (2). Exſtat MS. huius tituli liber in Miſcellaneorum quodam codice bibliothecæ Hiſpalenſis Eccleſiæ.

439. Ceteris, quæ nomen eius ſibi arrogant, vel cauſam præſtitit, vel auctoritatem accomodavit: nempè ei libro cui *Oracional* nomen dedit auctor eius Alphonſus Burgenſis aliàs laudatus Epiſcopus: qui quidem Ferdinando de rebus ad orationi Chriſtianæ vacandum ſpectantibus ſeſe conſulenti opere iſto reſpondit.

440. *Valerius* autem *hiſtoriarum Eccleſiaſticarum*; atque item alius *Recopilacion de las batallas campales* &c. dictus libri, non utique huius ſunt, ſed Didaci Roderici de Almela Carthaginenſis ſive Murcianæ Eccleſiæ canonici, ut loco ſuo monebimus (3).

441. At quia Ferdinandi huius occaſio-

biorum ſeu parœmiarum moralium acervus. Indicis capitum initium eſt: I. *De temer á Dios.* II. *De Reyes.* III. *De Mayordomos.* IV. *De Eſcrivanos* (id eſt Scriptoribus) *buenos y parleros.* V. *De buena crianza.* VI. *De Maeſtros.* VII. *De Monges.* VIII. *Del ſiglo.* IX. *Del bien y del mal &c.* & ſic deinceps. Conſtat autem XVI. communis folii chartis: quas excipiunt quinque affinis argumenti aliæ fuſiores tamen aliquanto, nec τμήμασι ut priores illæ, ſed iuſtis ſententiarum clauſulis diſcretæ. Fueritne autem opus quod Uliſipone MDXII. editum Petrus Alva vidiſſe ait?

(1) Exiſtimo opus quod hoc num. 437. inſcribitur: *Canciones de Nueſtra Señora*, partem illius eſſe quod paulo antè, ſcilicet num. 435. retulit Noſter ſub titulo: *Las ſetecientas coplas de bien vivir. Expoſicion del Pater noſter y Ave Maria*; atque utrumque non diverſum eſſe ab alio mox ab eodem num. ſcilicet 438. laudando: *Vicios y virtudes, hymnos rimados à loores divinos*, de quo nos num. 438. ſequenti.

(2) In eodem pſeudepigrapho codice, atque in ipſo ſtatim initio exſtat metricum opus: *De virtutibus & vitiis ac de horum remediis: De myſteriis Chriſti: De vitæ brevitate: De optimo Rege: De Fide ac Spe Theologica: De tolerantia: De pœnitentia: De ſomniis*, deque aliis bene multis. Ea vero excipiunt *Divinæ laudes ad Matutinum: Beatiſſimæ Virginis MARIÆ gaudia: De eiuſdem ſingulari virginitate: Hymni ad Eandem: Alius de eadem Virgine MARIA ad Stephanum de Leon Priorem cœnobii Hieronymiani de Lupiana: Hymni de Sanctis: de Sancta Eliſabeth Hungariæ Regina: de Sancto Eugenio & Sancta Leocadia Toletanis: De Sancto Ægidio: De Sancto Luca: De Sancto Michaele Archangelo: De omnibus Sanctis: Expoſitio Hymni* Te Deum laudamus: *Expoſitio orationis Dominicæ* Pater Noſter: *Salutationis Angelicæ* Ave Maria: ac demum *Oratio ad Beatiſſimam Virginem MARIAM*: poſt quam continuo, legitur:

Utilogo.
, De la grueſa invencion mia
, E ſynple imaginacion
, Ved aqui la relacion,
, Muy buen onbre Aluar Garcia. &c.

Poſt hæc habetur opus: *Las quatro virtudes cardinales*, cum prologo: *Al honorable Señor Marſio-*

ques de Santillana Conde del Real, in cuius fine:
, Ved aqui la invencion mia
, nin ſotil nin elevada,
, como en Bátres fabricada,
, asy (es) groſera & fria &c.

& ſubditur: *Guzman*. Sunt autem, niſi me ſupputatio fallit, DC. circiter ogdoades dimetræ: prorius ut dubitari amplius nequeat quin *Las canciones de Nueſtra Señora*, pars ſint operis inſcripti *Las ſetecientas coplas &c*; quodque hoc unum ſit atque idem opus cum eo quod noſter hoc loco inſcribit: *Vicios y virtudes hymnos rimados á loores Divinos* &c.

(3) In Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit. h. Plut. II. ſub n.* 22. (T. II p. 93.) habentur huius Ferdinandi: *Coplas que hizo en la muerte del Reverendo Alfonſo de Cartagena Obiſpo de Burgos*; atque item: *Lit. y. Plut. III. ſub n.* 8. (II. 378.) In pſeudepigrapho Ioannis Yxarenſis de Aragonia codice paulo ante medium exſtant: *Los claros Varones de los Reynos de Eſpaña*, dimetris ogdoaſtichis, quod opus laudat Ferdinandus del Pulgar in Prologo *De los Claros Varones de Caſtilla*; fatum tamen eius hactenus ignorabatur. Titulus codicis eſt: *Prologo en los loores de los claros varones de Eſpaña que enbió Fernand Perez de Guzman Señor de Bátres al noble & virtuoſo cavallero Don Fernand Perez de Guzman comendador maior de Calatrava ſu ſobrino*: iuſtæ molis eſt opus, XXX. maioris formæ foliis conſtans, cum ubere in eorum oris commentario, cuius tamen partem aliquam abſcidit bibliopegi culter. Habetur primum in eo nuncupatio ad Nepotem cognominem: Introductio: dein *De Gerione tricipiti* aliiſque ad tempus mythicum: *De Numantinis: De L. Annæo Seneca: De Paulo Oroſio: De Theodoſio iuniore: De Alarico Gothorum Rege*, ac *De Ervigio & Roderico: De Pelagio: De Faſila: De Witiza & rurſum de Roderico ac Pelagio: De Alfonſo Caſto: De Bernardo Carpenſi* (del Carpio): *De Ramiro: De Alfonſo Magno: De Ferdinando Gonſalvi Caſtellæ comite: De Garſia eius filio: De Sanctio: De Enneco Ariſta: De Sancho Abarca: De Sancho Maiore: De Ramiro Aragoniæ Rege: De Ferdinando Magno: De Alfonſo VI. Caſtellæ: De Roderico Bivario* (el Cid): *De Alfonſo VII.* (el Emperador): *De Sancho II.* (el Deſeado): *De Alfonſo VIII. De Berengaria Regina: De Ferdinan-*

ſione ALPHONSUM (*imo* PETRUM) CARRILLO DE ALBORNOZ laudavimus; hic ille eſt qui uti diximus annotata quædam, ſive Adverſaria de rebus Ioannis Regis in ſchedis reliquit, quæ ſpeciem potius compendii quàm hiſtoriæ præſeferunt, eventuum nempe, diei, menſis, & anni diſtinctorum notis, uſque ad Ioannis obitum compilationem: quam quidem Lupus Barrientus, Henrici Ioannis filii præceptor, Conchenſis aliquando Eccleſiæ præſul, paucis quibus ipſe interfuerat adiunctis, integram ſibi adſcripſit. Quod utique diſertè refert Laurentius Galindez de Caravajal regius Ferdinandi Catholici Conſiliarius, in ea quam prædictæ Ioannis II. Regis hiſtoriæ, præfationem adiunxit.

442. Nihilominus tamen Petro Carrillo tamquam hiſtoriæ ſui temporis Scriptore in referenda Henrici Villenæ Marchionis morte Hieronymus Surita lib. 14. cap. 22. utitur; eandemque auctori ſuo adſcriptam vidit Io. Franciſcus Andreas Uſtarrozius, Chronographus & ipſe regni Aragoniæ: qui in notis ad *Coronationum* eiuſdem Regni librum verba refert laudati Alphonſi (*Petri*), quibus hiſtoriæ huius ſuæ publicationem vivente ſe nequaquam fieri calidis votis exoptat (1).

443. Quinquageſimo octavo ſæculi anno immortali vitæ fuit redditus, qui mortalis cùm viveret immortalem ſibi & ſuis omnibus geſtis famam quæſivit obtinuitque, ALPHONSUS Ferdinandi Honeſti Ara-

go-

dinando III. (el Santo): *De Roderico Archiepiſcopo Toletano: De Jacobo I. Aragoniæ Rege: De Alfonſo X.* (el Sabio): *De Maria de Meneſes Caſtellæ Regina: De Alfonſo XI. De Henrico II. De Benedicto Papa XIII.* (de Luna): *De Ægidio Cardinali Albornozio Archiepiſcopo Toletano: De Iuvenco Poeta: De Prudentio Poeta: De Petro Alfonſo Ex-Iudæo Oſcenſi: De Oſio: De Valerio Liciniano Emeritenſi: De Datiano Poeta, ac demum De Didaco de Campis.* Præterea (quod conſultò in hunc locum reieci) habentur in Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit. X. Plut. II. n.* 2. (T. II. p. 405.) eiuſdem Ferdinandi Perezii *Adverſaria* ſive *Deletitiæ ſchedæ* atque adnotationes pro hiſtoria Ioannis II. Caſtellæ Regis, hoc titulo: *Borradores para la hiſtoria del Rey de Caſtilla Don Juan el Segundo.* Videntur autem autographa; innumeris enim lituris reſperſa, nulloque ordine aut delectu codici aſſuta ſunt; tetradiaque inſuper oculatis ſeu terebratis foliis conſtant, ad inſerendam ſcilicet tranſverſam tæniam aut filum ne elabantur. Hæc autem indicant non vulgarem neque perfunctoriam operam à Ferdinando in conficienda Ioannis II. Regis hiſtoria collocatam fuiſſe. Demum in eadem Bibliotheca, *Lit. X. Plut. II. n.* 13. (II. 418.) habetur eiuſdem Ferdinandi Hiſtoria Ioannis ſecundi Caſtellæ Regis: *La Chronica del Rey Don Juan el ſegundo de Caſtilla*, in cuius prologo: *De fide quæ Hiſtoricum decet: De Scripturis apocryphis earumque cauſis: De Petri neſcio cuius Corralii Chronico Saracenico*; deque affinis argumenti aliis egregie diſſeritur. Cum autem, ut prædiximus, complures inſignes viri *Alvarus Garſia de Sancta Maria* Pauli Burgenſis filius, & Alfonſi itidem Burgenſis Epiſcopi germanus frater, *Petrus Carrillus Albornozius, Lupus Barrientus, Ioanneſque* ipſe *de Mena*, ut Noſter hoc loco, rebus à Ioanne ſecundo geſtis poſteritati conſecrandis operam ſuam contulerint: non facile eſt, poſtquam Ferdinandus quode agimus Ioannis Chronicon ſibi ex aſſe vindicavit, collatam à ſingulis ſymbolam cuique tribuere. Iuvat tamen huius codicis prologi ſegmentum, ut cum Laurentii Galindi Carvajalii edito conferri poſſit, ſiſtere (1): *Por lo que yo* (inquit Prologi auctor) *temiendo que en la Hiſtoria de Caſtilla del preſente tiempo haya algun defecto eſpecialmente de no oſar...* (deſunt nonnulla hoc loco)... *complacer á los Reyes: como quiera que Alvar Garcia de Santa Maria á cuya mano vino eſta Chronica, es tan noble & diſcret ombre; & que no le falleſciera ſaber para la ordenar, y conciencia para guardar la verdad; pero porque la hiſtoria le fue tomada è paſſada á otras manos* (2) *ſegund comiſſiones deſordenadas que en eſte mundo hay: razonablemente ſe debe temer que la Chronica no eſtè en aquella pureza è ſimplicidad que la que él ordenó. E por eſto* (pergit) *propongo de abraçarme con la verdat, non dando nin apropriando las honras y favores á los que lo non trabajaron: nin quitandolos á los que por ſus virtudes y trabajos y proeſas lo mereſcieron..... Et ſi por aventura fueren en eſta Chronica algunas coſas relatadas en comiençó della del muí alto Principe Rey Don Henrique Padre del Rey Don Ioan, de quien ſerá la preſente Eſtoria relatada por eſtenſo: ello ſerá brevemente contado. Porque en eſte tiempo las coſas que en Caſtilla acaeſcieron, ſerá de neceſſario contar, porque la materia aſſi lo requiere. Por ende conviene* (quæ valde notanda ſunt) *que eſta Chronica eſtè ſecreta & no ſe divulgue en tiempo de los vivientes: porque no la enmienden los poderoſos que quieren honra ſin trabajarla ſegunt ſus privanças y favores, como por muchas veces acaeſce de cada dia: lo qual requiero à qualquier que eſta Chronica hoviere ò cobrare, que la tenga en celada y ſecreta durante el tiempo preſente, sò pena que ſea avido por contrario enemigo de la verdad* &c. Poſtquam hæc ſcripſeram incidi in librum inſcriptum: *Mar de hiſtorias el qual copilò el noble Cauallero Hernan Perez de Guzman*, editum Vallifoleti apud Didacum de Gumiel XXX. Auguſti MDXII. fol. in quo primùm de Græcorum ad Troiam & Romanorum rebus, deinde clarorum Virorum hiſtorias ad ſæculum uſque XV. iam adultum ſoluta oratione ac breviſſime deſcribit. Hoc autem opus excipiunt: *Las generaciones y ſemblanzas*, quaſi prioris appendix; incipiunt enim à capite CXXVII. Minutiora huius Ferdinandi alia vidêſis apud Cl. Anonymum auctorem eius vitæ præmiſſæ operi: *De las generaciones y ſemblanzas*, edito Matriti 1775. fol. 191. pag. 2.

(1) Optimè hæc concordant cum poſtremis verbis ſegmenti è prologo Hiſtoriæ Ioannis Secundi Caſtellæ Regis in ſuperiore nota allatis: quæ propterea *Petri* potius *Carrilli* Albornozii, quam aut *Lupi Barrientos*, aut *Ioannis de Mena*, aut *Ferdinandi Perezii Guzmani* fuerint; *Alvari* certe *Garſiæ de Sancta Maria* eſſe non poſſe, docet prologus ipſe.

(2) Forsan *Lupi de Barrientos*, aut *Ioannis Menæ*, aut *Petri Carrilli Albornozii.*

(1) Habentur in Prologo operis *De las generaciones y ſemblanzas* edit. Matritensis pag. 2. sed *Chronicis* potius quam Operis prologo congruere videntur.

goniæ Regis filius, Aragoniæ idem Neapolitani & Siculi regnorum Rex, magnanimus, iustus, fortis, literarum & literatorum valdè amans, omniumque heroicarum regiarumque virtutum exemplar. Cuius quidem hìc non meminissem, bibliothecæ dumtaxat Scriptorum construendæ intentus, nisi epistolæ quædam, & orationes eius invitarent Latinâ Linguâ scriptæ, dictæque, à Lucio Marinæo Siculo in *Genealogia Regum Aragoniæ* vulgares factæ; ne absque huius maximi herois mentione obscurior aliquantò hic noster labor ad posteros propagaretur.

444. Et quidem eius laudibus plena sunt omnia huius temporis Latina, Italica, Gallica, Hispanica rerum in Europa gestarum commentaria, præter ea, quæ Bartholomæus Facius, Antonius Panormita, & uti fama est Laurentius Valla, de eo specialia edidere. Quod autem magis aliis admirandum est, quinquagenarium literas didicisse; nec cùm tam ingentibus laboriosissimæ vitæ curis intentus viveret, dedignatum aut impeditum, quin pueri patientiâ, & veluti nihil aliud agentis intensione animi, prima Latinæ grammaticæ rudimenta doceri se permiserit: cuius eam cognitionem & linguæ Romanæ usum adeptus fuit, quam laudata paulò antè monumenta Christianæ totius, ac moralis sapientiæ plena, tantoque viro prorsus digna præseferunt.

445. Sed & in Senecæ epistolis vertendis forsan non nihil ab eo elaboratum credere debemus Carolo Vianæ Principi, ex Ioanne fratre nepoti: qui in versionis ab eo factæ *Aristotelis Ethicorum* nuncupatione, animatum se ait illius exemplo, qui regium ingenium in Senecæ epistolis exercuisset. Vulgaria eius verba sunt: *Tomando por exemplo el exercicio de vuestro real ingenio en las epistolas de Seneca.*

446. Ad hunc certè annum domestici testes memoriam referunt BERNARDI DE MONTESA, Bilbilitani, (Calataiubiensis intelligo Aragoniæ regni) qui Carmelitarum fuit sodalis, patrii cœnobii alumnus, atque item aliquando præfectus. Hic scripsisse dicitur

447. *In librum Ioannis Patriarchæ Hierosolymitani* De institutione monachorum *elucidationes.* Itemque

448. *In librum Philippi Ribboti De peculiaribus gestis Carmelitarum.* Ac tandem

449. *In librum Divi Thomæ Aquinatis* De quatuor virtutibus cardinalibus *commentaria.*

450. Necnon ex Italico in Hispanicum vertisse cuiusdam veteris iurisconsulti librum *De moribus politicis.* Quæ omnia propria auctoris manu exarata in domûs Cæsaraugustanæ bibliotheca asservari iidem Scriptores affirmant domestici. Miror tamen hunc Bernardi commentarium ad Ioannis Hierosolymitani *De institutione primorum monachorum in lege veteri exortorum & in nova perseverantium* librum, à multis apocryphum existimatum, & à Petro Wastelio sedula admodum navatâ operâ eidem vindicari procuratum: eiusdem Wastelii diligentissimi omnium, quæ ubique essent, ordinis sui veterum monumentorum indagatoris cognitionem fugisse: qui quidem inter alios huius familiæ viros legitimum Ioannis hunc fœtum agnoscentes, vix alium libro 1. *Vindiciarum* sect. 1. art. 1. Bernardo Montesæ præferre debuit: quem idem opus Ioannis Patriarchæ commentario lustrâsse atque illustrâsse nuper audivimus. Quid etiam quòd Philippi Ribboti *De peculiaribus gestis Carmelitarum* libri explanator hic Montesa nîl minus potuit, quàm eiusdem Ribboti de legitimitate istius *De institut. primorum monachorum* operis testimonium apertissimum calculo suo approbare; cuius quidem approbationis aut explanationis idem Wastelius verba Ribboti eodem loco adducens, nullam habet mentionem. Franciscum itidem Bonæ-spei *Historico-theologici Carmeli armamentarii* doctum Scriptorem, qui omnium postremus origines ordinis sui adversus impugnantes defendit, duorum Montesæ horum operum latuit notitia.

451. Hæc scilicet (*nobis*) de libro adhuc non viso suspicantibus, sors contigit ipsum codicem MS. Cæsaraugustanum contrectandi manibus, & oculis lustrandi, missum nobis mutuò, Reverendissimi P. M. F. Raymundi Lumbier Carmelitani doctissimi theologi operâ; statimque agnovimus Montesam falsò iactatum fuisse apud domesticos horum operum auctorem: qui tantùm fuit exscriptor. Primùm ibi exstat opus decem librorum *De institutione & peculiaribus gestis monachorum Carmelitarum*, cuius prologus incipit: *Cùm populum Israel Dominus*; cuiusque operis auctorem ostendit se in eodem prologo *Philippus Raboti* (ita, non Riboti) *Mag. in sacra pagina, Prior provincialis provinciæ Cataloniæ.* Et in fine: *Hæc de nostræ Religionis origine & primæva institutione in primo libro, & de primis fundatoribus & professoribus Religionis prædictæ in secundo* &c. *à me Fr. Philippo Riboti* (ita hìc) *magistro in sacra pagina, necnon Priori provinciali in provincia Cataloniæ existenti post veteres patres huius ordinis scripta & dicta sufficiant. Immen-*

mensas autem de hoc opere reddo gratias &c. *Perfectus fuit hic liber nona die Augusti vespere S. Laurentii, anno à Nativit. Dom. MCDLVIII.* (mistis Latinis cum Arabibus numerorum characteribus) *& est Fr. Bernardi de Montesa ord. S. M. de Montecarmelo.* Vide de his decem libris quæ in Philippo isto Ribot suprà scripsimus ad annum MCCCXCI. lib. 9. cap. 7.

452. Sequitur in codice Cæsaraugustano opusculum quoddam vulgaris linguæ Castellanæ quod incipit: *A la buena mente*, &c. In cuius fine est hæc notula: *Explicit libellus super quibusdam Senecæ* (fortè *sanctè*, nam obscura scriptura est) *dictis, editus à quodam italico bachallario, & à quodam iurisperito in hoc idioma reductus. Scriptus à Fratre Bernardo de Montesa prima die mensis Iunii anno Domini MCDLVIII.* Barbaris hic notis idem annus significatus, qui in superiori opere Latino-barbaris. Sequitur *Tract. super quatuor virtutibus cardinalibus S. Thomæ de Aquino* cum eadem nota Scriptoris Montesæ IX. die Augusti MCDLVIII. in fine. Tria hæc sunt quæ continentur in laudato codice opera, Bernardo Montesæ per errorem negligenter librum manu exaratum inspicientium (quod sæpe contingit) adscripta. Unde nos documentum sumsimus non facilè cuivis de rebus suis referenti sive iactanti credendi (1).

453. BERNARDUS quidam Cisterciensis monachus, abbas S. Pauli in Portugallia, ante hunc annum MCDLVI. quo denata dicitur Elisabetha Regina Alphonsi V. uxor, eiusdem Elisabethæ iussu & auspiciis, Landulphi Cartusiani *De vita Christi* opus celeberrimum aggressus fuit in vernaculum è Latino convertere. Quam quidem ab eo perfectam Eleonora Emmanuelis regia coniux post multum tempus fecit exire in publicum anno MCDXCV.

Biblioth. vet. Hisp. Tom. II.

utilissimam legentibus futuram interpretationem. Cuius rei testimonium Georgius Cardosus in schedis ad *Bibliothecam Lusitanam* mihi præstitit.

454. CALLISTUS III. Romanus Pontifex, Alphonsus aliàs Borgia, Sætabitanus ex Valentino regno, non quidem collocatur à nobis loco isto, ut de rebus eius gestis quicquam iis adiungamus, quæ tot Pontificalium gestorum Scriptores literis tradidere; sed ut, quia ipsum inter Scriptores *Bibliothecæ Pontificiæ* auctor recensuerit, nos indictum non relinquamus. Adscribuntur ergo ei

455. *Epistolæ* quædam *Latinæ*, quarum novem inter Æneæ Sylvii leguntur epistolas: plures apud Lucam Wadingum *Annalium Minorum* auctorem, quarum aliquæ ad Ioannem Capistranum directæ, in Hungaria tunc agentem pro bello Turcis inferendo: qui quidem Ioannes Capistranus hoc tempore quo hæc scribimus, scilicet anno MDCLXXIX. canonizationis decretum ab Innocentio XI. Pont. Maximo obtinuit.

456. *Officium* itidem *festi transfigurationis Domini nostri Iesu Christi* composuisse dicitur (2); non autem festum instituisse: quod ex Platina & Genebrardo quidam affirmant; hoc enim ante Callisti tempora tam apud Latinos quàm apud Græcos celebrari solitum, Baronius Cardinalis ad *Martyrologium* die Augusti VI. Notis, & ex aliis Andreas Victorellus in *Additionibus ad Ciaconii Pontificum Vitas*, admonuere (3).

457. Obiit Callistus Romæ MCDLVIII. iam octogesimum annum agens, cuius ossa in Hospitali Aragonensis, ut vocant, Coronæ templo, unà cum Alexandri VI. ossibus, ab Ecclesia S. Petri eò translata, nullo sepulturæ honore, dum Borgiarum Gandiæ Ducum pius ad hoc funus exor-

(1) Consentit Anonymus Bibliothecæ Carmeliticæ Aurelianis 1752. editæ auctor *T. I.* p. 278.

(2) Transfigurationis D. N. Iesu Christi officium quo nunc Ecclesia utitur, non à Callixto, sed eius iussu à *Iacobo Ægidio Sætabitano* (Gil de Xativa, nunc *San Felipe*) Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magistro conscriptum dicitur ab Echardo & Quetifo, *T. I. pag.* 831. atque à Fabricio *med. & inf. T. III. pag.* 1.

(3) Scripsit Callixtus *Constitutiones in Synodo Diœcesana Valentina anno MCCCCXXXII.* promulgatas; nam & ei Ecclesiæ præfuit. Exstant hodieque in chartophylacio Episcopii Valentini apud Vinc. Ximenum *Biblioth. Val. T. I. p.* 45. & Ios. Rodriguezium p. 25... Item, præter laudatas ab Ænea Silvio (Pio II.) epistolas: *Aliam ad Episcopum Saltzburgensem*; ac *Solemne votum & iuramentum de recuperanda urbe Constantinopolitana etiam cum effusione proprii sanguinis*, apud Montfauconium *Biblioth. Bibl. in Cæsarea Vindobonensi T. I. p.* 563. *sub fin. col.* 1. *& init. seq.*... Item: *Bulle du Pape Callixte III.* (ad Regem Galliarum) *par la quelle il lui donne avis de la Legation du Cardinal de Sainte Praxede en France, & autres parties de Gaules, pour inviter les Princes Chretiens á la Croisade contre les Turcs, & l' invite de se joindre aux dits Princes*, apud Eundem, *Biblioth. Bibl.* in Regia Parisiensi, *T. II.* pag. 85... Item *sub Alfonsi Presbyteri Cardinalis Episcopi Valentini nomine: Responsiones ad dubia quædam numero XIX. quæ Nicolaus Papa V. Eidem tradiderat enodanda*, apud Eund. *Biblioth. Bibl.* in Laurentiana Medicea *T. I. p.* 339. *col.* 1. *lit. E.*. Item: *Bullam collationis Officialatûs Sancti Sebastiani in Diœcesi Pampilonensi*, in Vaticana olim Christinæ Suecorum Reginæ sub n. 385. ac minutiora alia.

exornandum non adhuc intendit animus, asservantur (1). Excellenti doctrina, ingenio, & integritate præditum fuisse, Ægidius Cardinalis Viterbiensis in historia MS. quæ apud Augustinianos est Angeli Rochæ bibliothecæ Romanæ custodis, ut præteream notiores alios, refert.

458. DIDACUS DE COMONTES, Garsiæ Alphonsi Toparchæ *de Comontes* ex Therasia Alphonsi filius, qui se vocat in donationis quodam instrumento Auditorem maiorem domini Regis & Carthaginensem Episcopum (quam eius genealogiam D. Iosephus Pellizerius in illustrationibus domûs seu familiæ *Cabeza de Vaca* fol. 52. nos docuit) vixisse dicitur circa hæc tempora, in scriptisque reliquisse *Carthaginensium* ac *Murciæ urbis Episcoporum historiam*, Ægidio Gundisalvi Davila teste in Theatro huius Ecclesiæ: qui per errorem *Didacum Deza Montes* vocavit: (*f. de Çomontes, aut Somontes*) (2).

CA-

(1) Iniurius profecto essem non modò Illustrium Conterraneorum meorum CALLIXTI III. & ALEXANDRI VI. memoriæ, sed & qui eandem impensè coluit ac dum viveret conservare studuit, Cl. scilicet Ioannis Baptistæ Vivesii (1) civis itidem ac Patricii Valentini; nisi exuviarum utriusque Summi Ecclesiæ Præsulis vicem & migrationes hoc loco describerem. Atque hic quidem vir eximius, cum Callixti & Alexandri ossa è sacrario Basilicæ Principis Apostolorum, ubi primùm condita fuêre, aliòrsum transferenda essent: in veteri eiusdem Templi Basilica decenter collocari fecit; qua & ipsâ diruta, in Regium Hispano-Aragonensium de Urbe Xenodochium plumbeæ thecæ, dum fata Deusque sinerent concredita, transferri, ac deponi curavit, impositâ eidem epigraphe, quam nos ex autographo in Ephemeridas nostras Romanas retulimus, nimirum:

OSSA.
Callixti III. & Alexandri VI.
E gente Borgia Summorum
Pontificum.
Alexandri corpus in sacrario
Basilicæ. cum sacellum. ubi quiescebat
Occuparet. in Callixti. patrui. sepulcrum.
Marmoreo. opere. e regione sculptum.
A basilicanis. illatum est. deinde in
Obeliscì translatione. sub Syxto V.
Propter. machinas. Callixti sepulcro.
Disiecto. amborum. Pontificum. ossa.
Sub lapide. reperta. Ioannes Baptista
Vives. Valentinus. Apostolicæ. Sedis
Protonotarius. de numero. & Subdiaconus.
In Basilica veteri. decenter. poni.
Curavit. in cuius demolitione. sub
Paulo V. idem ob honorem communis
Patriæ. & ad animi sui devotionem
Atque observantiam. erga Illustrissimam
Gentem Borgiam. significandam.
In hunc locum. transtulit
Anno M. DC. V.
Præsentibus Illustriss. & Reverendiss.
DD. Cardinale Çapata. ac Excellentiss.
DD. Marchione de Billena Oratore
Catolico.

Sed neque illud, inter alia quæ ad hanc diem non raro in Urbe occurrunt Callixti III. monumenta, prætereundum duxi, quod eidem occasione restitutæ ab Ipso Sanctæ Priscæ in monte Aventino ædis erectum fuit. Exhibet autem Borgiarum clypeum anaglyptico opere, decussatis Petri Clavibus, Tiaràque Pontificia contectum, in cuius area bos fœnum depascens: aream autem limbus ambit aureus, sœnis vivi ac virentis cæspitis glebis pari intervallo invicem disiunctis conspicuus, subiecto eleganti poematio,

Prima ubi ab Evandro sacrata est Herculis ara,
Urbis Romanae prima superstitio;
Post ubi structa aedes longè celebrata Dianae,
Structaque tot veterum templa pudenda Deûm.
Montis Aventini nunc facta est gloria maior
Unius veri relligione Dei.
Praecipue ob Priscae quod cernis nobile templum,
Quod priscum merito par sibi nomen habet;
Nam Petrus id coluit populos dum saepe doceret,
Dum faceret Magno sacraque saepe Deo.
Dum quos Faunorum fontis deceperat error,
Hìc melius Sacra purificaret aquâ:
Quod dudum multis sese volventibus annis
Corruit haud ullâ subveniente manu.
Summus at Antistes Callixtus Tertius ipsum
Extulit, omne eius restituitque decus.
Cui simul aeternae tribuit dona ampla salutis,
Ipsius ne quâ parte careret ope.

(1) Fuit hic Ioannes Baptista Vives Archidiaconus Algezirensis (*de Alzira*) in Metropolitana Patriæ Ecclesia::: obiitque die XXII. Februarii MCXXXII. fere nonagenarius, *relictis scutis tribus mille huic Ecclesiæ & Hospitali* (Hispano-Aragonensium de Urbe): *reliquis bonis Collegio de Propaganda Fide à se iam instituto & in propriis ædibus fundato antea iam donatis*: ut in eiusdem sepulcro in Hispano-Aragonensium Hospitalì æde B. MARIÆ Virgini *De Montserrat* sacra legitur. Exstat in *Ephemer. nostris Roman. T. I. fol.* 156. *pag.* 2.

(2) ADDENDI AB ANNO MCCCCL AC DEINCEPS AD ANNUM CIRCITER M CCCC LX.

PRIMUM autem omnium huc refero modò laudatum *Iacobum Ægidium Sætabitanum* (Gil de Xátiva) ex Ordine Prædicatorum, qui præter *Officium Festi Transfigurationis D. N. Iesu Christi*, scripsit quoque: *Librum de Conceptione B. Virginis Mariæ*, apud Fabric. *T. III. med. & inf.* pag. 1. Quetifus & Echardus: *Epistolam* (vocant) *per modum tractatus ad Alfonsum Aragoniæ Regem De Conceptione B. Virginis, datam Romæ XXVI. Augusti MCCCCLIV.* exstitisseque olim in Altempsiana; nunc in Archivo Ordinis Romano, *T. I. pag.* 831. *col.* 1. ITEM *Ioannem de Sant Fagund* (Sahagùn) Regium aucupem qui circa annum MCDL. scripsit tractatum Hispanicum *De re accipitraria* (De Cetreria) in cuius exordio legitur: *Este es el libro... Ioan de Sant Fagún caçador de nuestro Señor el Rey, que ordenó de las aves que cazan.* Et in prologo: *Et Yo pedi por merced á nuestro Señor el Rey Don Iuan de Castilla, que me diesse licencia para que podiesse ordenar una pequeña regla como se puedan regir & governar los falcones, & para curar de todas las dolencias & enfermedades que les rrecreciessen, assi dentro de los cuerpos como de partes de fuera, que cada una por sus melezinas fuessen sanas. Et el Rey nuestro Señor diome licencia para que Yo fiziesse & ordenasse este pequeño libro.* Exstat in Regia Bibliotheca Matritensi. ITEM *Bertrandum de la Cueva* Ducem de Alburquerque Glossatorem præcedentis tractatûs *Ioannis de Sant Fagùnd*, cuius commentarius exstat per oras paginarum eiusdem codicis sparsus; initio autem legitur: *En este libro de Iuan de Sant Fagún hizo escribir el muy Ilustre Señor Don Beltran de la Cueva Duque de Alburquerque Conde de Huelma las espiriencias que en los falcones de su Señoria, esperimentò, añadiendo, y amenguando por glossas en los capitulos del dicho libro de Iuan de Sant Fagún las dichas espiriencias que adelante se siguen; las quales mandò Su Señoria à sus cazadores, y fallò muy provechosas en sus falcones. E mandò sacar Su Señoria en este dicho libro las propriedades de las medecinas* &c. ITEM *Petrum* quendam *del Corral*, Auctorem *Historiæ Saracenæ*, seu *Saracenicæ*, in quem alter è Quatuorviris qui vulgato Ioannis Secundi Castellæ Regis Chronico præloquuntur, nimirum Alvarus Garsias de Sancta Maria, Petrus Carillus Albornozius, Lupus Barrientus, & Ferdinandus Perezius Guzmanus, acriter invehitur inquiens: *La primera causa de las escrituras apocrifas, es porque algunos que se entrometen de escrevir & notar las antiguedades son ombres de poca vergueña, & mas les plaze relatar cosas estrañas & maravillosas que verdaderas & ciertas: creyendo que non será avida por notable la historia que non contáre cosas mui grandes & graves de creer. ansi que sean mas dignas de maravillarse que de fee: como en otros tiempos fizo Pedro del Corral en una que llamò* CHRONICA SARRACINA *que mas propriamente se puede llamar trufa ò mentira paladina. Por lo qual si al presente tiempo se practicasse en Castilla aquel mui notable & util oficio que en el tiempo antiguo que Roma usaba de gran policia se llamaba Censoria, que habia poder de examinar y corregir las Historias* &c. ITEM. *Martinum de Avila* Henrico IV.

CAPUT IX.

De ENNECO LUPI DE MENDOZA *Sanctæ Iulianæ Marchione. Eius animi corporisque dotes. Res gestæ, fama, laudes & scripta.* EMMANUEL DIDACI, *vel* DIEZ, *Catalanus* De re veterinaria *Scriptor.* ANTONIUS CERDÁ *Maioricensis, Cardinalis.* PETRUS BELLUGA *Valentinus iurisconsultus. Eius exsilium & scripta.* RUPERTUS, *sive* ROBERTUS, *Catalanus, Alphonsi Regis coquus.* ALPHONSUS DE ESPINA *Minorum sodalis. Eius sanctitatis mirabile quoddam documentum. Eiusdem opera.* IOANNES MARTORELLUS *Valentinus.* CAROLUS *Vianæ princeps.* ANONYMUS *qui Aristotelis Morales ad Nicomachum Hispanè vertit.*

459. VIRUM describet capitis hoc initium nobilitatis Hispanæ decus maximum deliciasque. ENNECUS (idem est INNIGUS) LUPI DE MENDOZA Sanctæ Iulianæ (*Santillana* vocant) Marchio, Comes *del Real de Manzanares*, ætatem cuius erga literas recensemus merita, in paucis ornavit. Parentibus hic nobilissimis Didaco Hurtado à Mendoza Hitæ & Buitragi domino, Castellæ archithalasso, atque Eleonora de la Vega in parentum ditionis oppido Carrione Comitum, anno millesimo trecentesimo nonagesimo octavo fausto sidere fuit in lucem editus, quibus tamen orbatus in septimo ferè ætatis anno, sub tutela [k] studio literarum, quibus imparitiri decet virorum principum reipublicæ natorum ingenia, simulque omnis generis armorum, equestriumque velitationum exercitationibus, eam corporis & animi vim & contentionem applicuit: ut maior annis factus, in fortissimum nec minùs prudentem doctumque ordinis sui dynastam evaserit.

[k] Amitæ Ioannæ Mendoziæ.

460. Multa gessit bello paceque, optimo, magnanimo, sapientissimo, ac verè Christiano viro digna sub Ioanne II. Rege, temporum iniquitate sublimi virtute superata, honorem vitæ ac bonum nomen fallacibus delinimentis omnibus, quæ magnam quamque fortunam veluti pedisequi comitantur, præferens. Cuius fama non quidem incluſit se Hispaniarum spatiis, sed quod de Livio & Roma Hieronymus retulit, huic verè contigisse Ioannes Mena testificatur: quos nempe ad contemplationem sui Hispania non traxit, unius hominis famam de ultimis Europæ finibus perduxisse. Tandemque sub Henrico IV. (quem optimis consiliis, quamdiu vixit, in statu manere fecit, veluti Neronem, quamdiu dicto eius audiens imperavit, Seneca) Martii die vicesima quinta, anni MCDLVIII. placidissima & Christiano heroe digna morte glorioſissimum vitæ cursum Guadalaxaræ absolvit.

Castellæ Regi à secretis, cuius in Regia Bibliotheca Matritensi exstat Hispanica versio allocutionis nomine Ducum Burgundiæ Alfonso Regi Portugalliæ factæ. Titulus hic est: *Siguese una proposicion ó arenga propuesta en Latin ante el muy Ilustre Principe Don Alfonso Rey de Portugal: la qual es la primera de tres proposiciones que antél fueron fechas por Iohan Jufré Dean Vergense Embajador de los Señores Duque è Duquesa de Borgoña: & fue propuesta à 24. de Noviembre de 1449 años; & trasladola de Latin en Romance Castellano Martin de Avila Secretario de Latin del Rey nuestro Señor, & del muy Rev. Señor Don Alfonso Carrillo Arzobispo de Toledo* &c. Quæ forsan Ioannis II. ævo, ac circa annum 1450., facta fuit. ITEM. *Ioannem Fortem* (Fôrt) Valentinum ex oppido Albocâcer, Cartusianum Monachum Cœnobii Scalæ Dei in Cataloniæ Principatu, cui D. Iosephus Vallês Hist. *Fundat. Cartus. à pag.* 225. atque inde Vinc. Ximenus *Biblioth. Val. T. I. p.* 46. in eo, tribuunt: *Librum Revelationum*; eiusque exemplum in Scalæ Dei Monasterio servari aiunt. In Bibliotheca autem Regis Galliarum *T. III. pag.* 96. *cod.* 1215, sæculo XV. ut in eodem legitur exarato, habetur hic titulus: *Prædicabilia. Auctore Ioanne Forti Hispano.* ITEM *Iacobum Ferrer* Valentino-Sætabitanum ex Ordine Prædicatorum qui circa annum MCCCCLV. scripsit librum *Sermonum de Sanctis*, apud Quetifum & Echardum *T. I. p.* 821. è Diago *Hist. Ordinis Præd. Lib. II. fol.* 274. *pag.* 1. *col.* 1. *in fin.*

461. Ne autem immoremur ultrà in virtutum eius atque geſtorum commemoratione, ſuadet nos eorum celebratiſſima ubique fama, hiſtoriam omnem huius temporis, & recentiorum, quandocumque mentio eius facienda eſt, veluti proprium ſuæ claritatis theatrum nacta. Elogium præcipuè, lector, adeas rogo Ferdinandi Pulgaris, quo ſæpiùs utimur, meritoque; nam procul ab omnibus adulationis aut odii cauſis, videtur mihi, quos ætate adeptus fuit principes aulæ viros ingenua probitate ac vivis veluti coloribus expreſſiſſe. Nec Ioannes Mena, quamvis viventis adhuc virtutibus *Coronatione* ſua ei dicta muſicum contexuit ſertum, uti iam diximus, minoris exiſtimationis loco habendus: qui Lucanum civem ſuum imitatus, vera ſublimiter dicendi artificio tantùm, abſque ulla fingendi licentia poetæ ſimul & hiſtorici laudem affectavit. Gomezium quoque Manricum poetam nobiliſſimum idem amor impulit germanum deſcribendi carmine virtutis exemplum epicedio illo, quod in eius morte cecinit, apud nos vulgari.

462. Eiuſdemque notæ melioris ſunt Ferdinandi Perezii Guzmani, in *Ioannis II. Regis hiſtoria*, Ferdinandi Meſſiæ in *Nobiliario*, Lucii Marinæi Siculi lib. 6. *De Hiſpaniæ laudibus*; atque his recentiorum Garibaii lib. 17. cap. 5. & in *Nobiliario* MS. Gundiſalvi Argote de Molina in *Hiſtoria nobilitatis Bæticæ* lib. 2. cap. 233. Ioannis Marianæ lib. 22. cap. 19. Petri Salazarii Mendozæ in *Petri de Mendoza Cardinalis* (Enneci noſtri filii) *Chronico*, Alphonſi Lupi de Haro lib. 4. *Nobiliarii* ſui cap. 13. & plurium aliorum teſtimonia (1).

463. Quo tamen in *Bibliotheca Hiſpanorum Scriptorum* proprium ſibi locum fabrefecit noſter, ſtudium philoſophiæ fuit moralis, quam ut verſibus, ipſius veluti ſapientiæ ſtilo ductis, ſuaviorem ac venuſtiorem redderet atque auribus propinaret, otii ſui, quandocumque ſuppeteret, negotium facere conſueverat. Primum autem inter huius generis poematia obtinet locum:

464. *Los proverbios, ò centiloquio*: cuius hoc initium, & metri genus:

Hijo mio muy amado
Para mientes:
No contraſtes à las gentes
Mal ſu grado.
Ama, y ſeràs amado,
Y podràs
Hacer lo que no haràs
Deſamado.

Quo opere Salomonem imitatus, Ioannis Regis iuſſu, ſpeculum optimi principis Henrico eius filio propoſuit, & ad eum cum docta epiſtola & quibuſdam gloſſis ad libri oram opportunè coniectis remiſit.

465. Hoc ipſum deinde præcepto eiuſdem Regis Petrus Didaci à Toledo luculentioribus prorſæ orationis declarationibus exornavit, & ad eundem principem Henricum direxit: cuius editionem habemus Martini Nucii anno MDXCIV. cum aliis aliorum, Antuerpienſem. Præceſſerat tamen alia eiuſdem loci anni MDLXXXI. duabuſque his antiquior Hiſpalenſis anni MDXXXIII (2). *Centiloquii* nuncupatione uſus fuit: quæ antiquis duobus Bethem Arabi *De conſuetudinibus in aſtrorum iudiciis*, atque Hermæ Græco *Aphoriſmorum* Scriptoribus, placuiſſe, legitur. Necnon &

466. *Doctrina de privados*, infelicis Alvari Lunæ exitûs arrepta occaſione, diverſo aliquantulum metri genere, ſcripſit. Quod carmen ſic incipit:

Vi teſoros ajuntados
Por gran daño de ſu dueño.
Aſſi como ſombra ò ſueño
Son nueſtros dias contados.

Alia eius carmina coniecta ſunt in librum qui *Cancionero*, ſive *Cantionarius*, inter nos appellatur, atque Hiſpali anno MDXXXVIII. in folio editus exſtat.

467. Celebratur & quædam eius epiſtola ad Alphonſum Epiſcopum Burgenſem, cuius in proximo capite meminimus, data in reſponſione dicati ſibi ab eo *Doctrinalis nobilium* libri, bonæ frugis & ingenioſæ eruditionis plena. Certè inter libros Galliarum Regis (uti Labbeus affirmavit in *Ms. Bibliotheca* paginâ 325.) codex quidam continet *Las cartas que el Marques de Santillana eſcrivio al Conde de Alva, quando eſtava preſo, con algunas poeſias Eſpañolas* (3).

Di-

(1) Eximii huius viri vitæ geſtorumque compendium videſis apud D. Th. Sanchezium Syll. *Poem. Hiſp. ant. ann. ſeſquimill.* T. I. in ipſo ſtatim initio.

(2) Exſtat in Bibliothecæ Eſcurialenſis codice *Lit. n. Plut. I. ſub n.* 13.

(3) Exſtant binæ Marchionis Sant-Julianenſis Epiſtolæ in pſeudepigrapho Ioannis Yxarenſis de Aragonia codice ſæpius à nobis laudato, paulò ſub medium. Prior incipit: *Quando Yo demando á los Ferreras tus criados é mios* &c. edita in *Addendis* ad Pulgarium Matriti 1775. pag. 224. poſterior autem: *Fue Bias ſegund que place à Valerio & à Laercio* &c. eas vero excipit metricus *Biantis & Fortunæ dialogus* eodem Auctore, CLXX. non minus ogdoadibus conſtans.

468. Diverſus autem à noſtro eſt alter Ennecus Lupi à Mendoza Dux quartus Infantatûs, eius abnepos: qui *Memoriale rerum notabilium* ſcripſit, in Bibliothecæ huius poſteriore parte à nobis laudandus (1). Cui quidem, an abavo, an alii ab his duobus diverſo tribui debeat *Genealogicum opus Enneci Lupi à Mendoza* titulum, ut audio, præferens, doceri cupio.

469. Neque hinc diſcedendum nobis eſt, quin obſequium laudis à literarum ſtudio venientis huic ampliſſimæ Mendozarum domui exhibeamus, adducta quadam parte teſtamenti D. Didaci Hurtado à Mendoza primi Infantatûs Ducis, Enneci noſtri Marchionis filii, confecti die XIV. Iunii MCDLXXV. quam iiſdem Hiſpanis verbis tranſcribemus: *Otro ſi, allende de lo ſuſo dicho mando al Conde mi hijo, e quiero, que haya por mayorazgo las mis caſas principales que yo tengo en la ciudad de Guadalaxara, los libros que de mi libreria y camara ſe hallaren, los quales es mi voluntad que no puedan ſer enagenados por el ni por ſus ſucceſſores, mas que ſiempre anden y ſean acceſſorios à los otros bienes de mayorazgo, e de aquella meſma natura e calidad; e eſto porque yo deſeo mucho que el y ſus decendientes ſe den al ſtudio de letras, como el Marques mi ſeñor, que ſanta gloria haya, e yo, e nueſtros anteceſſores fizimos, haziendo mucho por ellos ſer crecidas e alzadas nueſtras perſonas*, &c. (2)

470. Huic eidem anno ſæculi quinquageſimo octavo, qui Alphonſum Aragoniæ ac Neapolis Regem ut iam diximus vitæ immortali conſecravit, adſcribendus venit, ne in alio vagemur, EMMANUEL DIDACI (vulgò DIEZ) Catalanus, ut ſuſpicor, cùm eius gentis linguâ ſcripſerit, œconomum eiuſdem Regis ſeſe appellans, *Veterinariæ artis commentarium*: quem manu exaratum in folio cùm Romæ eſſemus, Alexander VII. Pontifex, cui veteres libros quoſque undique conquiſitos exportari ad ſe gratiſſimum erat, oſtendi nobis, haud noſtri laboris inſcius, benignè curavit. Libri titulus:

471. *Libro de la Meneſcalia compoſt per lo noble Moſſen Manuel Diez.* Incipit: *En nom ſia de la ſanta Trinitat, que es Pare, e Fill, e ſant Spirit, tot hum Deu. Com ſia molt neceſſaria coſa à tot cavaller*, &c. Et paulò inferiùs: *Perche yo Manuel Diez Majordom del molt alt & poderòs princep & victoriòs ſenyor Don Alphonſo Rei d' Aragô*, &c. *vull fer un libre de cavalls, per moſtrar als jovens cavallers*, &c. *gran part de la practica e de la conexenza dels cavalls, & de lurs malaties, e gran part de la part de les cures de aquells*, &c.

472. Tres partes hic liber continet. Primam de equis, ſecundam de mulabus, tertiam de utriuſque generis beſtiarum infirmitatibus & curationibus. Attamen tertia hæc pars non eiuſdem, ſed alterius videtur, duabuſque veluti appendix ſeu complementum totius artis, ab alio adſuta. Stilus enim Semicaſtellanus eſt, Catalanum quamvis ſermonem ſapiens. Incipit: *Por tal que vos, no haveis, ſegunt creo, mucha practica del art de Menaſcallia;* neque de cunctis equorum ægritudinibus loqui ſe adiunxit, remittens ſe ad alios eiuſdem argumenti Scriptores. *Vereys* (inquit) *Laurenzo Ruſſo Erocles, que hunc volùm vos embio.* Hierocles hic eſt Græcus auctor *Mulomedicinæ*, quem cum Græcis aliis eiuſdem argumenti Baſileæ Walderus edidit. Ruſſus autem notiſſimus Hippiatricæ huius rei auctor, Pariſiis è Chriſtiani Wecheli officina MDXXXI. prodiit. Hunc tamen Emmanuelis Didaci librum poſt annum MD. typis editum nonnuſquam legimus. Hic liber in Caſtellanum ſermonem converſus à Martino Martinez Dampies, in oppido *Sôs* Aragoniæ nato, viro nobili, aſſervatur MS. in bibliotheca Hiſpalenſis Eccleſiæ; ſed prodiit Cæſaraugustæ in folio anno MCDXCVIII. uti dicemus in poſteriore huius Bibliothecæ

(1) Diverſus item eſt ab *Enneco de Mendoza* è Minorum Ordine, auctore: *Vitæ Chriſti* dimetris decaſtichis, ad Illuſtrem feminam Ioannam de Carthagena, aliorumque opuſculorum, ſub finem ſæculi XV. quode nos infra.

(2) D. Thomas Sanchez omnium Enneci Lopezii Mendozæ tam editorum quam ineditorum operum catalogum confecit, ediditque *T. I. Syll. Poem. Hiſp. ant. ann. ſeſquimill. à pag. XXXIV.* variaque minora Eiuſdem poematia recenſuit; necnon opuſculum: *La Queſtion fecha por el noble y magnifico Señor Don Inigo Lopez de Mendoza Marques de Santillana & Conde del Real al mui ſabio & notable Perlado Don Alonſo Obiſpo de Burgos* 20. Ianuarii 1444. cuius exemplum exſtat in Regia Bibliotheca Matritenſi. Item à pag. XLVIII. edidit, uberibuſque notis illuſtravit Enneci *Epiſtolam ad Petrum Portugalliæ Comeſtabilem*, in qua de Poeſi, ac veteribus Poetis Hebræis, Græcis, Latinis, præcipue vero de iis quos *Provinciales* ac *Trobadores* vulgus appellat. Item recenſet Eiuſdem opus metricum cui titulus: *La Comedieta de Ponza*, quæ cum præmiſſa eidem nuncupatoria ad Ill. Dominam Violantam de Prades Comitem de Modica & de Cabrera exſtat in ſæpius à me laudato pſeudepigrapho *Ioannis Yxarenſis* codice, paulo ſub medium. Item: *El infierno de amor*, & minutiora alia.

cæ parte in Martino laudato (1).

473. Annus sequens MCDLIX. emortualis fuit viro dignitate clarissimo ANTONIO CERDÁ Maioricensi, ex oppido S. Margaritæ, S. R. E. Card. à Nicolao V. anno MCDXLVIII. creato. Theologorum is temporis sui maximus habitus fuit, & princeps theologorum à Pio II. Pontifice appellatus, canonicus olim Maioricensis Ecclesiæ, Eugenii IV. cubicularius, & ab eodem Messanensis factus Archiepiscopus; tandem à Nicolao sub titulo S. Chrysogoni Purpuratorum patrum aggregatus ordini. Quocum non bene stat Trinitariorum ordinis historicorum (Figueræ præsertim, cuius fides malè audit) persuasio, huius familiæ sodalibus hunc aggregantium. Præfuisse dicitur eiusdem Nicolai Pontificis iussu Ilerdensi & Iuvenacensi Ecclesiis, unde Cardinalis Ilerdensis magis quàm proprio notus nomine. Pacem inter Alphonsum Neapolitanum Regem & Florentinos composuit; Romæque decessit XII. Septembris eo, quem diximus, anno, ut è sepulcro eius apud S. Petrum constat: cuius inscriptionem vide sis in locupletiore iam ab Oldoino (2) facta *Pontificum & Cardinalium historia*, in prima creatione Nicolai V. qui eum ob doctrinæ & sanctitatis merita insigniter amavit.

474. Huic Vincentius Mut in *Historiæ Balearicæ* altero volumine lib. 8. cap. 6. librum tribuit *institutionem principum*, de quo aliàs altum silentium. Maioricensem Episcopum fuisse Porreñus monet in elogio.

475. Quibus hic ordo ætatis quem sequimur, semel placuit, medicis iurisconsultos, atque his theologos, theologis poetas, aut historicos, nullo ordine professionum servato, commiscere opus: PETRUS BELLUGA, iurisconsultus, Valentiæ natus, sub Alphonso toties memorato Aragonensium & Siciliæ utriusque Rege floruit: quem alicubi Hieronymus Blancas *præclarum iuris interpretem*, Petrus Augustinus Morlà Valentinus in *Emporii iuris* præfatione *Valentinorum Bartolum aut Baldum* appellant, aliis elogiis meritò alii celebrant.

476. Doctus primas Valentiæ literas, Bononiæ in collegio S. Clementis Hispanorum (3) ab anno huius sæculi decimo iuris artem excoluit eo progressu, Ioannis Imolæ ac Ludovici Pontani auditor, ut ab eodem Rege Neapolim aliquando evocari addicique publicæ rei meruerit. In patriam hinc reversus, Alphonso Borgiæ antistiti, quo Pontifice sub Callisti nomine paulò pòst Romana Sedes gavisa est, admodum fuit carus, magnoque apud cives omnes in prætio habitus. At propter defensa in curiis ordinum Valentiæ regni iura, Ioannis Navarræ Regis, pro Alphonso fratre tunc absente iurisdictionem administrantis indignationem incurrit. A quo in carcerem coniectus æque regno pulsus, Almansæ in Castella se continuit (4), quousque Neapolim unà cum Borgia veniens, causam suam constanter docteque propugnatam Alphonso sapientissimo & mo-

(1) Valentinum hunc *Emmanuelem* fuisse, Valentinique Regni nomine ad annum MCCCCXII. Caspensi Conventui, in quo de Rege Aragonensibus dando deliberatum fuit, inter Novemviros suffragatores consedisse, invictis argumentis docet Vinc. Ximenus *Biblioth. Valent. T. I. p.* 35. seq. qui addit visam à se Valentiæ in Bibliotheca Marchionis de Villatôrcas Hispanam huius operis è patrio Lemovicensi Martini Martinii Dampiezii versionem excusam Cæsaraugustæ 16. Octobris 1499. fol. Exstitit MS. in Bibliotheca Comitis-Ducis Olivarensis, hoc titulo: *Manuel Diez Mayordomo del Rey Don Alonso: De la cria y cura de los cavallos. En 4. caxon* 11. *num.* 16. Pag. 209. letr. M. MS.

(2) Oldoinum non vidi. In Ephemeridibus autem Romanis hæc olim à me atque αὐτοψει ad annum 1756. descripta reperi: *Ex Panvinio in MS. codice Illustris. Collegii Canonicorum Sancti Petri, inedito cui titulus: De rebus antiquis memorabilibus Vaticanæ Basilicæ fol.* 177. *b*: *'Antonius Cerdanus Majoricensis Hispanus Presbyter Cardinalis tituli Sancti Chrysogoni creatus à Nicolao V. Papa anno MCDXLVIII. Obiit Romæ pridie Idus Septembris anno MCDLIX, sepultus in vestibulo Sacrarii Sancti Petri humi cum lapide:*

M CCCC LVIII. die XII. mensis Septembris
Antonius Cerdâ Maioricensis Cardinalis Ilerden. quievit in Domino.

(3) In libro *Receptionum* huius Collegii, nullam prorsus eximii huius viri mentionem reperi.

(4) Veram indignationis Regiæ atque incarcerationis exiliique sui causam Ipse narrat in *Speculo Principum* mox laudando, *Rubric. XXXV. nn.* 18. *seqq.* nimirum, quod in Comitiis Valentinis anni MCCCCXXXVIII. & sequentis acriter cum Petro Mercaderio Baiulo Generali Regni Valentini disputâsset, pro stabilienda lege aut edicto: *ut in universos Valentinæ Urbis Officiales Regios inquireretur.* Acta hæc ante annum MCCCCXL. Idem docet in *Speculi*, fine; verum deinceps prosperè Eidem omnia cessêre; anno namque MCCCCXLVI. à Valentini Senatûs Patribus Syndicus renuntiatus fuit, ut eorum nomine Comitiis eiusdem Regni Valentiæ celebrandis interesset; legiturque eius nomen in Elencho Syndicorum post *Ioannem Gallach.* Ioannes dein secundus Navarræ atque Aragoniæ Rex, Fisci Regii Advocatum & Valentini Regni Procuratorem VI. Decembris MCCCCLVIII. atque anno MCCCCLXI. XVI. Ianuarii eiusdem Fisci, seu *Veteris*, ut aiunt, *Regii Patrimonii* Advocatum delegit, habita, ut in utroque Regio diplomate legitur, meritorum eius erga Ipsum atque Alfonsum fratrem Aragoniæ & Neapolis Regem ratione. Decessisse autem videtur anno MCCCCLXXI. sub cuius medium Michael Dalmâu in eius nuper defuncti munus suffectus dicitur, in *Regest. official. Val. Ioannis II. lib.* 2. De qui-

moderatissimo principi approbaret. Quo quidem tempore obtulisse eidem dicitur

477. *Speculum principum.* Hoc titulo donatum ab ipso Rege Alphonso. Quod editum fuit Parisiis anno MDXXX. in folio; & mox cum additionibus Camilli Borrelli iurisconsulti Neapolitani, tum Neapoli, tum Venetiis MDLXXX. tandemque cum iisdem, & Antonii de Fuertes Biota Hispani Aragonensis brevioribus aliis, Bruxellis anno MDCLV. in folio.

478. *Singularia* etiam *iuris* elucubravit, ad quæ se ipse in *Speculo* sæpiùs refert: quæ lucem hactenus non viderunt. Huius clarissimi viri postrema latent, annusque & locus mortis ignota sunt. Quare huc in Alphonsi Regis emortualem annum eius mentionem coniecimus.

479. Eiusdem Alphonsi Regis coquus fuit RUPERTUS, sive ROBERTUS, Catalanus, qui vernaculo provinciæ suæ sermone composuit librum culinariæ artis, quem vidimus Castellanè ab ipso auctore conversum hoc titulo:

480. *Libro de guisados, manjares y potages*; atque editum Toleti MDXXIX. in 4.° (1) Vereor tamen ne alterius Alphonsi Neapolis tantùm Regis, qui prioris illius fuit nepos, culinæ hic præfuerit.

481. Scribebat, & his maximè diebus florebat, ALPHONSUS DE ESPINA Minorum sodalis, de quo gravissimi ac sanctissimi eiusdem ordinis præfecti aliquando generalis elogium Francisci Gonzagæ repræsentare hìc præstat quàm nostro uti. *Inter alios magni nominis patres in huius loci* (Palentiæ urbis) *Ecclesia sepultos, admirandæ religionis atque doctrinæ Alphonsus à Spina iacet. Hic cùm esset insignis concionator, animarumque salutem supra modum sitiret: in id maximè incumbebat, ut aliquos Christo lucri faceret. Cumque ex melancholica imaginatione subtristior quadam die effectus, puteo iuxta Minoritici conventus Vallisoletani sacrarium hæreret, anxiusque cogitaret, num frequentissimis suis concionibus aliquem fructum fecisset: vocem è sublimi delatam sibi præcipientem ut situlam ex trochlea pendentem in puteum demitteret, aquamque hauriret, audiit. Cui cùm obtemperâsset, viginti quatuor subalbos lapillos Iesu nomine insignitos, iuxta viginti quatuor sermones, quos paucis antè diebus ad populum Vallisoletanum de sanctissimo nomine Iesu habuerat, in situlæ fundo invenit. Ex quo demum eventu confirmatus, omnibus nervis prædicationis officio in posterum incubuit. Horum lapillorum duodecim, argenteæ cruci præinserti in prædicti conventus sacrario asservantur; reliqui verò duodecim à Catholica Hispaniarum Regina Elisabetha Granatam delati sunt.* Quod quidem non obscuræ sanctitatis argumentum præmisimus de doctrina dicturi, quam sanctitatis præiudicium in primis commendat. Doctissimum librum (quod & Gonzaga docere pergit) absque ullo tamen auctoris nomine, scripsit, scilicet,

482. *Fortalitium Fidei in universos Christianæ religionis hostes* &c. Splendido titulo, voce barbara, eruditum opus, & divinarum rerum cognitione præstans, ait Ioannes Mariana lib. 22. cap. 13. quinque partitum libris, quorum primo arx ipsa, quam *Fortalitium* appellat, secundo hæreticorum, tertio Iudæorum, quarto Saracenorum, quinto demum diabolorum oppugnationes cassæ & irritæ describuntur.

483. Sed cùm reticuisset ob modestiam Alphonsus se esse auctorem operis: res eò devenit, ut ferè persuasum multis fuerit olim & ante paucos annos, vel Bartholomæum Spinam, vel Ioannem de Spira aut Spina, vel Guilielmum Totanum, exteros omnes, hoc opus confeciisse. Duorum priorum Miræus meminit in *Bibliothecæ Ecclesiasticæ* volumine secundo, Theophilus Raynaudus *De pietate Lugdunensium in B. Mariæ Virginis Conceptionem* §. 14. iniuriosus tamen (nisi fallor) Bartholomæi Spinæ Dominicani famæ, quem turpi abigeatu, expuncto Alphonsi nomine, librum sibi suppositiisse affirmat: ut & in opere *De bonis & malis libris* partitione 1. erotemate 10. num 272. Quod quidem tanto viro indignum facinus si contigisset, non dubito quin Bartholomæum Spinam, uti *Fortalitii* auctorem, domestici laudâssent: quorum certè nulli in mentem venisse credimus (2).

484. At quia antiquæ cuidam anni MDXI. editioni præfuit Guilielmus quidam Totani ordinis Prædicatorum conventus Lugdunensis, nec adhuc verus auctor apparebat: facile fuit Guilielmo huic li-

quibus nos opportune monuit Cl. Franciscus Xaverius Borrullius Valentinus alibi à nobis laudatus. Corrigendus itaque est Vincentius Ximenus noster, qui de Petro Beluga loquens in alia it omnia; immo & D. Laur. Matheu in *de Regim. Regn. Val. cap.* 3 §. 1. *a n.* 30 2. *edit.*

(1) *Robertus* hic est *Nola* cuius opus *Arte de Cocina* Lemosinè scriptum Toletique non anno MDXXIX. ut Noster hoc loco, sed MDLXXVII. editum exstare alibi diximus; extitisseque eius exemplum in Bibliotheca D. Ioachimi Ibannezii Garsiæ Præcentoris olim Turolensis, 8.

(2) Abest certe à Quetifo atque Echardo. Reliquos eius Instituti Bibliographos omisimus.

librum assignari : quod fecit Antonius Possevinus in *Bibliothecæ* lib. 9. cap. 3. Bozius *De signis Ecclesiæ* tom. 1. lib. 5. signo 16. cap. 11 exemplo 10. ac *De ruinis gentium* lib. 7. cap. 4. Puiades in *historia Cataloniæ* ; & adhuc rei ignarus hac etiam ita exculta ætate Ioannes Hoornbekin prologo sui operis *De convertendis Iudæis.*

485. Qui certè ab ipsis auctoris convincuntur dictis, passim de Hispanien-sibus rebus in prologo etiam loquentis [1]; seque in Hispania concionatum Medinæ-campi, Vallisoleti, Segoviæque, ab anno MCDLVIII. ad MCDLX. hunc librum conscribere referentis. Quare ei iam adscribitur hoc tempore, & à nostris etiam priùs. Videndi Stephanus Garibaius lib. 16. cap. 46. Mariana lib. 22. cap. 13. Wadingus *De Scriptoribus ordinis Minorum*, Daza parte 4. historiæ eiusdem ordinis lib. 1. cap. 7. Editum quidem fuit Norimbergæ MCDXCIV. Lugdunique ter. Primùm anno MDXI. per Ioannem de Romoys in 8.° iterum MDXXV. per Ioannem Moylin, aliàs de Cambray, quâ nos utimur : tertiò MDCXXIX. quam editionem nondum vidimus.

[1] Lib. 1. tit. *Qualis debeat esse prædicatio.* lib. 2. fol. 77. & 85. & 92. lib. 3. fol. 117. & 119. editionis anni MDXXV.

486. *Sermones* quoque *De Sancto nomine Iesu* XXIV. scripsit, quos totâ Hispaniâ ex ambone recitâsse dicitur : id quod historicus Hispanus Franciscanorum Daza refert. At ipse viginti trium meminit Vallisoleti à se habitorum lib. 2. *De bello Iudæorum* pag. 190. Garsiæ de Bahamonde Lucensis Episcopi magnæ scientiæ & bonæ conscientiæ, uti ait, hominis, & Roderici Didaci à Mendoza strenui militis atque timentis Deum, ac Ludovici cuiusdam ab Almansa eodem loco mentione factâ.

487. *De fortuna* liber alius, sereniss-imo Ioanni Castellæ Regi inscriptus eodem Alphonso Espina auctore ordinis Minorum, exstat MS. in regia bibliotheca Escorialensi (1).

488. Hic est qui Alvaro à Luna, dum cervicem iam præbiturus gladio Vallisoleti esset, confortator, & ultimi agonis christianè sufferendi adhortator adstitit, ut Garibaius iam laudatus, & auctor *Historiæ Ioannis II. Regis* annotatum reliquêre; quemque innuere Rodericum Sancium in historiæ suæ quartæ partis cap. 33. mihi dubium non est, cùm se novisse virum & vitâ & sapientiâ integerrimum, qui Alvarum in foro Vallisoletano ad supplicium adductum consolabatur.

489. Res Alphonsi usque ad Ferdinandi & Elisabethæ catholicorum Regum ætatem domestici Scriptores prorogant ; & eorumdem concionatorem, immo sub iis creatum aliquando titularem Episcopum affirmant, mirè tamen in hoc postremo eius munere variantes. Trinopolitanum Daza, Thermopolitanum sub Athenarum metropoli anno MCDXCI. assumtum Wadingus in *Annalibus Franciscanorum* hoc anno, idem verò *De Scriptoribus ordinis Minorum* scribens, Orinopolitanum, vocant. Thermopilensis quidem Episcopi sub Athenarum dioecesi *Codex provincialis vetus* meminit à Miræo editus in *Notitia Episcopatuum*, aliorum non ullam alicubi factam invenimus mentionem. Collocavimus tamen hunc loco isto auctorem. Quod planè liquet, nec incertum fit, hoc tempore eum incubuisse commentario iam dicto, & in celebri fama fuisse.

490. A gravissimo theologo ad fabularum artificem stilum convertimus, IOANNEM MARTORELL Valentini regni civem, cuius est liber aliorum huius commatis germanus : *Tirant lo blanch* inscriptus, atque anno MCDLXXX. ut aiunt, Valentiæ in folio editus. More hic aliorum talium otiosorum consueto, fingit se hunc librum ex Anglica in Lusitanam, deinde è Lusitana in Valentinam linguam anno MCDLX. transtulisse. At in fine advertitur, quartam operis partem à Martorello intactam relictam, Martinum Ioannem de Galla equitem, instante Domina Elisabetha de Loris, simili interpretatione donâsse (2).

491. CAROLUS Princeps Vianæ regni sui Navarræ obtinendi causâ, Blanchæ Reginæ matris successor, quæ ex Ioanne eum Aragoniæ & Navarræ Rege procreaverat, cum patre diu bellum gessit, aut belli præambulam pacem habuit, non semel ab eo in prœlio victus ; & vel fugatus, vel captus, consilium amicorum turbatis rebus fruentium in patrem caritati & contrariæ fortunæ documentis præferens : de qua re Ioannis rerum consulendi Scriptores [m]; hic enim haud historiæ nos, sed elogiis tantùm inhæremus, nisi quòd circa hoc tempus,

[m] Surita libris 15. 16. 17. Mariana lib. 23. c. 3. Garibay lib. 28. à cap. 16. usque ad 29.

(1) Periit proculdubio. In Indicibus nostris Escurialensibus certe non exstat.

(2) Apud Ximenum *Biblioth. Val. T. I. p.* 12. *Petrus Ioannes Martorell.* Eius librum nusquam mihi, itidem ac Nostro, videre contigit ; lepidum autem de eo iudicium videsis apud Michaelem Cervantem Saavedram *Quixot. Part.* 1. *c.* 6. Præter editionem autem *Lemosinam* Valentiæ 1480. laudatur *Hispanica* eius operis versio Vallisoletana 1511. fol. in novissima Londinensi Michaelis Cervantis Saavedræ (*Quixote*) operum editione 1781. 6. vol. 4. Tom. V. pag. XX. col. 2.

pus, anno scilicet MCDLXI. Septembris XXIII. die fato Barcinone functum fuisse è re nostra est adnotare. Quæ mors ei quadragenario contigit, viginti & plus annorum, si Ioannæ matris obitum consideremus, Navarræ, at nomine tenus, Regi, postquam ex Hispaniæ regnis exsul Neapolim ad Alphonsum Regem Aragoniæ patruum dum adhuc in vivis ageret confugisset, honorificentissimè ac benignè admodum ab eo exceptus, & in Siciliam se post eiusdem obitum transtulisset ; ne tumultum aliqua Neapolitanis prolem Aragonici sanguinis legitimam cui se submitterent, non obscurè desiderantibus, causa, ne dum auctor, esset.

492. Ibidem Messanæ agens, ut erat literis, & philosophorum atque poetarum, necnon & historicorum plusquam militiæ studiis, à teneris etiam annis deditus : ad S. Placidi, hanc urbem ac Tauromenem inter, Benedictinorum cœnobium frequens fuisse dicitur, bibliothecæ optimorum librorum divitis quæ in eo asservabatur causâ : quos quidem libros in Hispaniam suam dummodo per Pontificem Pium secundum liceret, eorum loco aliis religiosorum hominum proprioribus relictis, transportare in votis & in animo habuit : cuius rei memoria inter sodales, cùm in peregrinatione sua Hieronymus Surita ad hunc locum accederet ut ipse libro 17. *Annalium Aragonensium* cap. 24. reliquit scriptum, perdurabat.

493. Adeò autem insignibus floruit virtutibus princeps Carolus, eoque siderum aspectu fuerat natus, qui quidem acceptissimum, omni hominum ordini, gestis tamen infelicissimum, si quò modo res inde formantur nostræ, ipsum reddebat : mirum ut videri certè debeat quantùm à populis Hispaniæ totius, Neapolisque, & Siciliæ regnorum amoris meruerit vivus, venerationem autem & sanctitatis, miraculis etiam, ut fama est, comprobatæ opinionem post mortem adeptus sit. *Princeps omnium virtutum splendore præclarus, moribus integerrimus, quique & iustitiâ, modestiâ, liberalitate, clementiâ, humanitate, ceterisque rebus, quæ ad optimum perfectumque principem pertinent, omnes principes antecessit.* Quæ verba sunt Marinæi Siculi eorum temporum hominis, res Ioannis Aragoniæ & Navarræ Regis lib. 13. *Historiâ* suæ *Hispanienſis* fine, cùm & prolixiùs & luculentiùs iam in superioribus laudâsset, describentis : *cuius* quidem *virtuti & eruditioni* (Ioannes Mariana ait lib. 23. cap. 3.) *fortuna non respondit.*

494. Apponam facta de eo verba æqualis ætate hominis, Gundisalvi nempe Garsiæ à S. Maria, cuius MS. *De rebus Ioannis II. Aragoniæ Regis*, Caroli nostri parentis, historia in archivo istius regni custoditur. *Hic primigenius* (ait Latinè scribens) *habitu & statura corporis mediocri, aut aliquanto supra mediocrem fuit, facie macra, vultu & modesto & gravi, aliquid mœroris præ se ferente : undique, etiamsi à tritavis repetere velimus, generosus* &c. Et mox : *Magnificus præterea ac munificus erat, utpote quem Blanca mater ita à puerîtia educaverat, ut quinos aureos singulis diebus, quibus vellet, largiretur. Musicæ plurimum delectabatur, gaudebat literatorum consortio, quodcumque disciplinæ genus, philosophiæ moralis præsertim ac theologiæ, maximè colebat. Habuit ingenium mechanicis artibus, picturæ præsertim, supra quod cuique credibile est, aptissimum.* Hæc ille.

495. Quod verò ad vitæ sanctitatem pertinet, confirmatur egregio encomio Ferdinandi cuiusdam de Bolea & Gallòz, qui in quadam epistola ad Henricum IV. Castellæ Regem scripta (fuerat is cubicularius, & præcipuo loco apud Principem, de quo Surita semel atque iterum agit), hæc verba habet, quæ Hispana, ne quid mutemus, dabimus : *El premio de su loable vida que la divinal essencia le hà de tal manera colocado en la durable felicidad, que todos los dolientes incurables, ribando à donde su cuerpo està, quedan sanos ; e tanto numero dellos hay, que un millar de Santos con sus miraglos justamente podrian ser canonizados* &c. Transcripsit hæc & alia de hoc principe ad nos missurus Didacus Iosephus Dormêr, chronographus Aragoniæ regni, ex codice quodam MS. qui fuit Ioannis Garrîz domûs hospitalis Cæsaraugustanæ S. Mariæ de Gratia computatoris.

496. Ex libris Carolus, doctorumque, quos ubicumque essent per literas communicare solitus fuit, virorum consuetudine, conspirante in primis eximia indole, non vulgarem philosophiæ totius eruditionem, moralis præcipuè, imbibit ; cùm & pangendis versibus, & rerum olim gestarum cognitione admodum delectaretur. Leonardus Brunus, Aretinus à patria dictus, iam eo tempore Ethicorum Aristotelis ad Nicomachum Latinam translationem, quam tot alii ante & post eum fecere, quandam præcipuè cuiusdam Dominicani sodalis (1)

(1) *Ioannis* scilicet, *de Riccio* Siculi, qui circa annum 1436. scripserat : *Commentarium in libros Ethi-*

peſſimam excuſſurus è legentium manibus, publicaverat, anno huius ſæculi quadrageſimo tertio è vivis ſublatus. Huic inſiſtens Carolus, ex huius Latina, Hiſpanè Ariſtotelem fecit loqui, Ethicorum verſionem vernaculè tantùm ſcientibus utiliſſimam planè futuram ſciens: quam Alphonſo Neapolis Regi patruo ſuo, cuius hortatu rem aggreſſus fuerat, nuncupavit.

497. Cæſarauguſtæ ea prodiit ex ædibus Georgii Coci Germani anno MDIX. in folio, unà cum eiuſdem Ariſtotelis *Politicorum*, & *Œconomicorum* ſimili alia verſione Hiſpana: quam ANONYMUS quidam, ex occaſione hic laudandus, & alicui loco, cùm ignoretur proprior, inferendus, exemplo Caroli principis, uti ait, invitatus edidit (1).

498. Primus quidem noſter Carolus Ariſtotelis hos libros, quod Leonardus religione quadam ductus non utique fecerat, in capita diſſecuit: cuius exemplum interpretes alii ſecuti ſunt, unuſquiſque partitionis calculo ſuo uſus. Nec annotari extra rem erit quorundam vocabulorum Latini ſermonis meliorem interpretationem Hiſpanam ſe dediſſe, Græcorumque ſuppleviſſe defectum, iactare Carolum: fortitudine (exempli gratiâ) quæ de animi & corporis viribus æquivocè dici videtur, non *fortaleza*, ſed *esfuerzo* (2); mediaque inter ambitionem remiſſionemque (*animi*) virtute, quam Ariſtoteles innominatam reliquit, *comedimiento*, quoniam cum benefactis ponderat & metitur honores, appellatis.

499. Reliquit idem Princeps *Rerum Navarræ regni hiſtoriam*, quæ nunquam edita in lucem fuit, quâ ſe uſum in ſua formanda Garibaius libri 21. cap. 1. & libri 28. cap. 16. admonet: quam quidem à principio Hiſpanarum rerum uſque ad Ennecum Ariſtam dictum, huius regni Regem, indeque uſque ad Caroli avi ſui initium, perduxit; erroribus tamen ob exſcriptorum incuriam, fœda circumduci exempla idem conqueritur. Duo exempla huius hiſtoriæ MSS. aſſervantur Matriti in bibliotheca quæ fuit Comitis de Villaumbroſa, alterum cum hoc titulo: *Chronica de los Reyes de Navarra, compueſta por el principe Don Carlos de Viana, haſta el año de MCDLIV.* alterum cum his adiunctis titulo eidem verbis: *y continuò Moſſen D. Ramirez Davalos, dirigida al ſeñor Emperador Carlos V.* (3) In Aragoniæ regno alia exemplaria ſunt: nempe in archivo Regni, in monaſterio S. Ioannis de la Peña, atque item apud D. Ludovicum de Exea Talaiero, eiuſdem Regni, ut vocant, Iuſtitiam (&) D. Michaelem Marinum de Villanueva & Palafox Comitem S. Clementis; & apud Didacum Ioſephum Dormer, Aragoniæ chronographum. Meminit hiſtoriæ huius Arnaldus Oihenartus *Notitiæ utriuſque Waſconiæ* lib. 2. cap. 12. & alibi ſæpiùs (4).

CA-

Ethicorum Ariſtotelis ad D. Cardinalem Diaconum Iulianum Sancti Angeli, ut apud Quetifum & Echardum *T. I. p.* 791. *col.* 1. legimus.

(1) *Martinus Viciana* Burianenſis in Regno Valentino circa annum MDLX. vertit è Latino Leonardi Aretini, in patrium Lemoſinum ſermonem *Ariſtotelis Œconomica. Ad Damiatam coniugem.* Exſtat verſio in Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit. d. Plut. III. ſub n.* 2. (T. I. p. 351.) Titulus hic eſt: *Letra tramẽſa per lo Noble Moſen Martí de Viciána Governador en Regne de Valencia á la Noble Dona Damiáta mullẽr ſua*: quæ operis nuncupatoria eſt. Habetur in eodem codice: *Anonymi* (*f. Vicianæ*) *Compendium Ethicorum Ariſtotelis*: Item *Incerti Valentini* Lemoſina verſio *Moralium L. Annæi Senecæ libelli.* Titulus hic eſt: *Principia lo libre* DE VIRTUÔSES COSTUMPS *compôſt per lo notable & elegant Moral Lucio Anneo Seneca de Cordova.* Omnes Ortino, Rodriguezio, & Ximeno indicti.

(2) Paulo ante Carolum utrumque hoc vocabulum diſcreverat Ioannes de Mena, *Stroph CCXI.* inquiens:

> ,Fuerça ſe llama, mas no fortaleza
> ,La que à los miembros dà valentia:
> ,La gran fortaleza en el alma ſe cria
> ,Que viſte los cuerpos de rica nobleza. &c.

(3) Habetur in Bibliotheca Eſcurialenſi *Digramm. & Plut. II. ſub n.* 12. (T. II. p. 215.) & *Lit. X. Plut. II. n.* 18. (II. 425.); atque item in Collegii Sancti Bartholomæi Salmanticenſis, teſte Marchione de Alventos in eius Collegii *Hiſt. T. III. pag.* 316. fuitque olim in Olivarienſi, hoc titulo: *Don Carlos de Viana Principe de Navarra. Chronica de aquel Reino y de ſus Reyes.* T. I. pag. 173. Lit. C. MS.

(4) ADDENDI AB ANNO MCCCCL. ET DEINCEPS AD ANNUM CIRCITER MCCCCLX.

Franciſcus Centelli Hiſpanus, neſcio quis, qui ſæculo XV. tunc primum inclinante ſcripſit: *Tractatum De Simonia. Ad Ferdinandum de Carrione*: Item: *De datione & acceptione pecuniarum pro celebratione Miſſæ.* Exſtat uterque in Bibliotheca *Eſcurialenſi Lit. O. Plut. II. ſub n.* 3. (T. III. p. 104.) ITEM *Guilielmus Morêll* (qui ſuo nobis loco excidit) auctor *Expoſitionis ſive ecphraſeos Hymnorum tam de Tempore quam de Sanctis quibus Eccleſia per anni circulum utitur.* Exſtat in Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit.* b. *Plut. IV. n.* 3. (T. I. p. 230.) In eius fine legitur: *Iſte liber Hymnorum fuit perfectus Barchinone die Mercurii nonadecima die menſis prædicti.... anni Domini MCCCCIIII. Guillelmus Morelli vocatur, ſemper benedicatur*: quæ ſolemnis eſt Librariorum formula. ITEM *Didacus Hernandez de Mendoza*, cuius in Bibliothecæ Eſcurialenſis codice ſæculo XV. iam inclinante ſcripto *Lit. C. Plut. IV. n.* 9. (I. 316.) habetur Tractatus Hiſpanicus: *De gentilitiis armorum inſignibus ſive* τιμαρι, *vulgo* DEL BLASON, præſertim nobilium in Hiſpania familiarum: quorum ſingulis proprium ſtemma nativis coloribus adumbratum præponitur, adiecta uniuſcuiuſque hiſtorica explanatione. ITEM *Dominicus Bonfillus* (Bon Fill) & *Stephanus Trahimá* Iuriſ-conſulti ut videtur Catalani, qui ſub medium ſæculi XV. edidere: *Conſilia de Emphyteuſi. Ad Mercurianum Amalrici.* In eadem Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit. d. Plut. II. ſub n.* 15. (I. 346.) ITEM *Frater Oliverius* (incertum fueritne *Bernardus* quode ſuperius egimus) Scriptor Tractatûs *De inquiſitione Antichriſti.* In eadem Bibliotheca *Lit. C. Plut. II. ſub n.* 20. (I. 280.)

(1) Anonymus Bibliothecæ Carmeliticæ Aurelianis 1752. editæ auctor huic præterea tribuit: *Iuriſprudentiæ opera varia T. II. pag.* 458. *col.* 1.

CAPUT X.

De BARTHOLOMÆO CATANIO *Minorita*, & MICHAELE MASSOTO *Carmelita.* CATHARINA *Portugalliæ Infans.* LUDOVICUS FERNANDEZ DE TARANCON *Beatienſis.* IOANNES DE MELLA *Zamorenſis, negotiorum experientiſſimus. Munera ab eo obita. Cardinalis à Calliſto III. creatus.* IOANNES DE TURRECREMATA. *Eius patria parenteſque inter auctores controverſa. Concilio Baſileenſi interfuit. Florentiæ Latinorum propugnator. Res aliæ ab eo geſtæ, honores obtenti. Cardinalis creatur. Eius ſcripta.* ALPHONSUS DE OROPESA *Hieronymianus.*

500. BARTHOLOMÆUS CATANIUS Maioricenſis, ordinis fratrum Minorum, regularis obſervantiæ in ea inſula propagator & auctor, de quo videndus *Franciſcanorum Annalium* inſignis Scriptor Lucas Wadingus ad annum MCDXLIV. num. 58. & 71. magnæ inter cives ſuos auctoritatis, prudentiæ, pietatiſque,

501. *Homilias* ſcripſit & *ſermones multiplices pro univerſis anni diebus, in quibus prædicari ſolet.* Habentur in magno codice ſanctæ Mariæ Angelorum cœnobii extra muros eiuſdem urbis Maioricenſis ab eo conſtructi. Obiit anno MCDLXII. cuius corpus eodem loco, in ſanctitatis præcipuam comprobationem uſque ad hoc tempus incorruptum ſervari refert idem Wadingus etiam *De Scriptoribus ordinis Minorum* agens.

502. Hic idem annus MICHAELI MASSOTO Carmelitæ Catalano fatalis fuiſſe dicitur, theologo, & utriuſque iuris doctori, poſtquam ſcripſiſſet in Peraladæ cœnobio

Sermonum librum unum (1).

503. Sequens ſexageſimus tertius annus tranſtulit in cælum CATHARINAM Portugalliæ Infantem, Eduardi Regis filiam: quæ cùm deſtinata eſſet uxor Caroli nuper à nobis dicti Vianæ principis, immatura eiuſdem morte ei relata, in monaſterium Ulyſiponenſe S. Salvatoris Dominicanorum Deo ſacrarum Virginum anno MCDLX. ſeceſſit: poſt triennium & ipſa, iterum Eduardo Angliæ Regi III. iam pacta coniux, ſeptimum ſupra viceſimum annum agens, moritura. Iacet corpus eius *Biblioth. vet. Hiſp.* Tom. II.

504. LUDOVICUS FERNANDEZ DE TARANCON, quem Canonicum ex munere, ac Priorem oppidi de *Ximena* Epiſcopatus Giennenſis (Priores ibi audiunt parœci) vocant, natu Beatienſis, librum ſcripſit à Martino Ximena Jurado *Annalium Giennenſium* auctore pag. 367. laudatum, ſcilicet:

505. *Kalendario de coſas acaecidas en ſu tiempo en la Ciudad de Baeza.* MS. Quem Ludovicum circa annum MCDLXV. vixiſſe docet.

506. IOANNES DE MELLA, Zamoræ ingenuis parentibus Alphonſo Ferdinandi à Mella & Catharina Alphonſi eiuſdem urbis civibus circa annum MCCCXCVII. editus, unus è primis S. Bartholomæi Collegii, quod in Academia Salmantina illuſtriſſimus vir Archiepiſcopus Hiſpalenſis D. Didacus de Anaya magno literarum compendio exſtruxit, ſodalibus eò vocatis fuiſſe dicitur, & in eodem gymnaſio Decretorum cathedræ præfuiſſe, doctorali ſacrorum canonum pileo munitus. Porrò iuris utriuſque prudentiam ingenii perſpicacià & ſoliditate iudicii, atque in primis negotiorum graviſſimorum tractatione & uſu eo ſucceſſu excoluit: ut inter viros ſui ſæculi experientiſſimos ab iis qui veterum facta revelant poſteris, numeretur.

507. Miſſum verò Romam ab Archie-

(1) Anonymus Bibliothecæ Carmeliticæ Aurelianis 1752. editæ auctor huic præterea tribuit: *Iuriſprudentiæ opera varia T. II. pag.* 458. *col.* 1.

peſſimam excuſſurus è legentium manibus, publicaverat, anno huius ſæculi quadrageſimo tertio è vivis ſublatus. Huic inſiſtens Carolus, ex huius Latina, Hiſpanè Ariſtotelem fecit loqui, Ethicorum verſionem vernaculè tantùm ſcientibus utiliſſimam planè futuram ſciens: quam Alphonſo Neapolis Regi patruo ſuo, cuius hortatu rem aggreſſus fuerat, nuncupavit.

497. Cæſarauguſtæ ea prodiit ex ædibus Georgii Coci Germani anno MDIX. in folio, unà cum eiuſdem Ariſtotelis *Politicorum*, & *Œconomicorum* ſimili alia verſione Hiſpana: quam ANONYMUS quidam, ex occaſione hic laudandus, & alicui loco, cùm ignoretur proprior, inferendus, exemplo Caroli principis, uti ait, invitatus edidit (1).

498. Primus quidem noſter Carolus Ariſtotelis hos libros, quod Leonardus religione quadam ductus non utique fecerat, in capita diſſecuit: cuius exemplum interpretes alii ſecuti ſunt, unuſquiſque partitionis calculo ſuo uſus. Nec annotari extra rem erit quorundam vocabulorum Latini ſermonis meliorem interpretationem Hiſpanam ſe dediſſe, Græcorumque ſuppleviſſe defectum, iactare Carolum: fortitudine (exempli gratiâ) quæ de animi & corporis viribus æquivocè dici videtur, non *fortaleza*, ſed *esfuerzo* (2); mediaque inter ambitionem remiſſionemque (*animi*) virtute, quam Ariſtoteles innominatam reliquit, *comedimiento*, quoniam cum benefactis ponderat & metitur honores, appellatis.

499. Reliquit idem Princeps *Rerum Navarræ regni hiſtoriam*, quæ nunquam edita in lucem fuit, quâ ſe uſum in ſua formanda Garibaius libri 21. cap. 1. & libri 28. cap. 16. admonet: quam quidem à principio Hiſpanarum rerum uſque ad Ennecum Ariſtam dictum, huius regni Regem, indeque uſque ad Caroli avi ſui initium, perduxit; erroribus tamen ob exſcriptorum incuriam, fœda circumduci exempla idem conqueritur. Duo exempla huius hiſtoriæ MSS. aſſervantur Matriti in bibliotheca quæ fuit Comitis de Villaumbroſa, alterum cum hoc titulo: *Chronica de los Reyes de Navarra, compueſta por el principe Don Carlos de Viana, haſta el año de MCDLIV.* alterum cum his adiunctis titulo eidem verbis: *y continuò Moſſen D. Ramirez Davalos, dirigida al ſeñor Emperador Carlos V.* (3) In Aragoniæ regno alia exemplaria ſunt: nempe in archivo Regni, in monaſterio S. Ioannis de la Peña, atque item apud D. Ludovicum de Exea Talaiero, eiuſdem Regni, ut vocant, Iuſtitiam (&) D. Michaelem Marinum de Villanueva & Palafox Comitem S. Clementis; & apud Didacum Ioſephum Dormer, Aragoniæ chronographum. Meminit hiſtoriæ huius Arnaldus Oihenartus *Notitiæ utriuſque Waſconiæ* lib. 2. cap. 12. & alibi ſæpiùs (4).

CA-

Ethicorum Ariſtotelis ad D. Cardinalem Diaconum Iulianum Sancti Angeli, ut apud Quetifum & Echardum *T. I. p.* 791. *col.* 1. legimus.

(1) *Martinus Viciana* Burianenſis in Regno Valentino circa annum MDLX. vertit è Latino Leonardi Aretini, in patrium Lemoſinum ſermonem *Ariſtotelis Œconomica. Ad Damiatam coniugem.* Exſtat verſio in Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit. d. Plut. III. ſub n.* 2. (T. I. p. 351.) Titulus hic eſt: *Letra tramẽſa per lo Noble Moſen Martí de Viciána Governador en Regne de Valencia á la Noble Dona Damiáta mullẽr ſua*: quæ operis nuncupatoria eſt. Habetur in eodem codice: *Anonymi* (*f. Vicianæ*) *Compendium Ethicorum Ariſtotelis*: Item *Incerti Valentini* Lemoſina verſio *Moralium L. Annæi Senecæ libelli.* Titulus hic eſt: *Principia lo libre* DE VIRTUÔSES COSTUMPS *compôſt per lo notable & elegant Moral Lucio Anneo Seneca de Cordova.* Omnes Ortino, Rodriguezio, & Ximeno indicti.

(2) Paulo ante Carolum utrumque hoc vocabulum diſcreverat Ioannes de Mena, *Stroph CCXI.* inquiens:

,Fuerça ſe llama, mas no fortaleza
,La que à los miembros dà valentia:
,La gran fortaleza en el alma ſe cria
,Que viſte los cuerpos de rica nobleza. &c.

(3) Habetur in Bibliotheca Eſcurialenſi *Digramm. & Plut. II. ſub n.* 12. (T. II. p. 215.) & *Lit. X. Plut. II. n.* 18. (II. 425.); atque item in Collegii Sancti Bartholomæi Salmanticenſis, teſte Marchione de Alventos in eius Collegii *Hiſt. T. III. pag.* 316. fuitque olim in Olivarienſi, hoc titulo: *Don Carlos de Viana Principe de Navarra. Chronica de aquel Reino y de ſus Reyes.* T. I. pag. 173. Lit. C. MS.

(4) ADDENDI AB ANNO MCCCCL. ET DEINCEPS AD ANNUM CIRCITER MCCCCLX.

Franciſcus Centelli Hiſpanus, neſcio quis, qui ſæculo XV. tunc primum inclinante ſcripſit: *Tractatum De Simonia. Ad Ferdinandum de Carrione*: Item: *De datione & acceptione pecuniarum pro celebratione Miſſæ.* Exſtat uterque in Bibliotheca *Eſcurialenſi Lit. O. Plut. II. ſub n.* 3. (T. III. p. 104.) ITEM *Guilielmus Morêll* (qui ſuo nobis loco excidit) auctor *Expoſitionis ſive ecphraſeos Hymnorum tam de Tempore quam de Sanctis quibus Eccleſia per anni circulum utitur.* Exſtat in Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit.* b. *Plut. IV. n.* 3. (T. I. p. 230.) In eius fine legitur: *Iſte liber Hymnorum fuit perfectus Barchinone die Mercurii nonadecima die menſis prædicti.... anni Domini MCCCCIIII. Guillelmus Morelli vocatur, ſemper benedicatur*: quæ ſolemnis eſt Librariorum formula. ITEM *Didacus Hernandez de Mendoza*, cuius in Bibliothecæ Eſcurialenſis codice ſæculo XV. iam inclinante ſcripto *Lit. C. Plut. IV. n.* 9. (I. 316.) habetur Tractatus Hiſpanicus: *De gentilitiis armorum inſignibus ſive* ειμαται, *vulgo* DEL BLASON, præſertim nobilium in Hiſpania familiarum: quorum ſingulis proprium ſtemma nativis coloribus adumbratum præponitur, adiecta uniuſcuiuſque hiſtorica explanatione. ITEM *Dominicus Bonfillus* (Bon Fill) & *Stephanus Trahimá* Iuriſ-conſulti ut videtur Catalani, qui ſub medium ſæculi XV. edidere: *Conſilia de Emphyteuſi. Ad Mercurianum Amalrici.* In eadem Bi-

CAPUT X.

De BARTHOLOMÆO CATANIO *Minorita*, & MICHAELE MASSOTO *Carmelita.* CATHARINA *Portugalliæ Infans.* LUDOVICUS FERNANDEZ DE TARANCON *Beatienſis.* IOANNES DE MELLA *Zamorenſis, negotiorum experientiſſimus. Munera ab eo obita. Cardinalis à Calliſto III. creatus.* IOANNES DE TURRECREMATA. *Eius patria parenteſque inter auctores controverſa. Concilio Baſileenſi interfuit. Florentiæ Latinorum propugnator. Res aliæ ab eo geſtæ, honores obtenti. Cardinalis creatur. Eius ſcripta.* ALPHONSUS DE OROPESA *Hieronymianus.*

500. BARTHOLOMÆUS CATANIUS Maioricenſis, ordinis fratrum Minorum, regularis obſervantiæ in ea inſula propagator & auctor, de quo videndus *Franciſcanorum Annalium* inſignis Scriptor Lucas Wadingus ad annum MCDXLIV. num. 58. & 71. magnæ inter cives ſuos auctoritatis, prudentiæ, pietatiſque,

501. *Homilias* ſcripſit & *ſermones multiplices pro univerſis anni diebus, in quibus prædicari ſolet.* Habentur in magno codice ſanctæ Mariæ Angelorum cœnobii extra muros eiuſdem urbis Maioricenſis ab eo conſtructi. Obiit anno MCDLXII. cuius corpus eodem loco, in ſanctitatis præcipuam comprobationem uſque ad hoc tempus incorruptum ſervari refert idem Wadingus etiam *De Scriptoribus ordinis Minorum* agens.

502. Hic idem annus MICHAELI MASSOTO Carmelitæ Catalano fatalis fuiſſe dicitur, theologo, & utriuſque iuris doctori, poſtquam ſcripſiſſet in Peraladæ cœnobio

Sermonum librum unum (1).

503. Sequens ſexageſimus tertius annus tranſtulit in cælum CATHARINAM Portugalliæ Infantem, Eduardi Regis filiam: quæ cùm deſtinata eſſet uxor Caroli nuper à nobis dicti Vianæ principis, immatura eiuſdem morte ei relata, in monaſterium Ulyſiponenſe S. Salvatoris Dominicanorum Deo ſacrarum Virginum anno MCDLX. feceſſit: poſt triennium & ipſa, iterum Eduardo Angliæ Regi III. iam pacta coniux, ſeptimum ſupra viceſimum annum agens, moritura. Iacet corpus eius

Biblioth. vet. Hiſp. Tom. II.

cum magna ſanctitatis opinione defunctæ in capella quadam monaſterii (quò quidem tranſlatum fuit) S. Eligii eiuſdem urbis ab illuſtriſſimo eius ætatis viro Georgio Coſta Catharinæ olim in Grammaticis præceptore, deinde S. R. E. Cardinali & Ulyſiponenſi antiſtite, pro ſe & Infantis oſſibus conſtructa. Tranſtuliſſe ea dicitur in vernaculum Portugalliæ ſermonem præter alia *S. Laurentii Iuſtiniani Patriarchæ Aquileienſis librum De regula & perfectione monachorum*: quem librum inter Iuſtiniani opera non invenio, niſi *De regimine & inſtitutione Prælatorum*, qui inſcribitur intelligamus: quam interpretationem in cœnobio ſuo S. Crucis anno MDXXXI. Conimbricenſes ediderunt. Cardoſus de re agit in *Hagiologii Luſitani*, & Iunii menſis die decima ſeptima, & alii quos idem collegit eo antiquiores.

504. LUDOVICUS FERNANDEZ DE TARANCON, quem Canonicum ex munere, ac Priorem oppidi de *Ximena* Epiſcopatus Giennenſis (Priores ibi audiunt paroeci) vocant, natu Beatienſis, librum ſcripſit à Martino Ximena Jurado *Annalium Giennenſium* auctore pag. 367. laudatum, ſcilicet:

505. *Kalendario de coſas acaecidas en ſu tiempo en la Ciudad de Baeza.* MS. Quem Ludovicum circa annum MCDLXV. vixiſſe docet.

506. IOANNES DE MELLA, Zamoræ ingenuis parentibus Alphonſo Ferdinandi à Mella & Catharina Alphonſi eiuſdem urbis civibus circa annum MCCCXCVII. editus, unus è primis S. Bartholomæi Collegii, quod in Academia Salmantina illuſtriſſimus vir Archiepiſcopus Hiſpalenſis D. Didacus de Anaya magno literarum compendio exſtruxit, ſodalibus eò vocatis fuiſſe dicitur, & in eodem gymnaſio Decretorum cathedræ præfuiſſe, doctorali ſacrorum canonum pileo munitus. Porrò iuris utriuſque prudentiam ingenii perſpicacià & ſoliditate iudicii, atque in primis negotiorum graviſſimorum tractatione & uſu eo ſucceſſu excoluit: ut inter viros ſui ſæculi experientiſſimos ab iis qui veterum facta revelant poſteris, numeretur.

507. Miſſum verò Romam ab Archie-

bliotheca Eſcurialenſi *Lit. d. Plut. II. ſub n.* 15. (I. 346.) ITEM *Frater Oliverius* (incertum fuerit ne *Bernardus* quode ſuperius egimus) Scriptor Tractatûs *De inquiſitione Antichriſti.* In eadem Bibliotheca *Lit. C. Plut. II. ſub n.* 20. (I. 280.)

(1) Anonymus Bibliothecæ Carmeliticæ Aurelianis 1752. editæ auctor huic præterea tribuit: *Iuriſprudentiæ opera varia T. II. pag.* 458. *col.* 1.

piſcopo Collegii fundatore, legationis ſeu procurationis principem, ad Martinum V. qui paulò ante prædictum Archiepiſcopum hoc munere inauditum ſpoliaverat, defenſionis cauſâ : decretæ reſtitutionis Pontificium inſtrumentum, ſive, uti appellant, bulla, manifeſtum reddidit : quo Mellam ſummus ille ſacrorum adminiſter Decretorum doctorem atque Caurienſem Decanum vocat.

508. Quomodo autem cum hoc ſtare poſſit Bononienſis S. Clementis Hiſpanorum, quod audit, collegii perſuaſio, Ioannis huius Mellæ effigiei ſubſcriptione confirmata, nec niſi è libris receptionum, ut credere par eſt, eò inducta : quod ſcilicet ibidem loci ſodalis fuerit, anno MCDXXIV. receptus, doceri cupimus. Cui quidem rei quantumvis expeditæ bullæ dies, Idus nempe Ianuarii menſis MCDXXIII. anni, non reſiſtat ; & poſt abſolutum procurationis munus, Româ diſcedens, Bononiam potuerit noſter ſe conferre, atque iſtius tunc iam celeberrimi collegii togam induere (quòd recèns nati Bartholomæani rudiora adhuc tempora, nec ingratiis Didaci ipſius ſundatoris admittere potuiſſe videntur, eo forſan conſilio capto, ut occaſione illius in Italiam profectionis Mella quicquid novæ plantæ incremento & iuvamini eſſe poſſet, in Bononienſi illo, ad cuius exemplar Salmanticæ conſtructum fuerat Bartholomæanum, diſceret) : nihilominus nos hanc litem iis, quorum res agitur, inſtruendam, & apud ſaniores harumce controverſiarum iudices propugnandam relinquimus (1).

509. Manſiſſe tunc in Italia noſtrum id forſan confirmat, quòd ab eodem Martino V. Papa, qui MCDXXXI. obiit, Rotæ Romanæ iudex (*Auditorem* vocant) creatus ſit. Immo & Bononiæ eum manſiſſe, aut poſtea fuiſſe, Barbatiæ teſtimonio comprobatur : qui in cap. *Novit. De officio Ordinarii* ait, reverendum Cardinalem Aretinum Legatum Bononienſem conſtituiſſe *ſibi Locum-tenentem famoſiſſimum iuriſconſultum Ioannem de Mella compatrem ſuum.* Neque diverſum indicat Iacobi Piccolominæi Cardinalis Papienſis elogium, dum in *Commentariorum* lib. 2. quum eos Cardinales enumerat, qui Pauli II. electioni adfuêre, cum magna noſtri laude : *Ioannes* (ait) *tituli ſanctæ Priſcæ, Zamorenſis civis & præſul. Huius prima iuventus ingreſſa urbem in extremum nunc ſenium perſeverat, vir laborioſus, & iuſtitiæ miniſter intrepidus. Diverſis quoque temporibus cunctos penè noſtræ curiæ magiſtratûs ſolus adminiſtravit.* Atque item Ioannis hæc Gobellini, ſive Æneæ Sylvii ipſius, *Commentariorum Pii II. Pontificis* lib. 1. ubi de creatione agit Cardinalium, cuius pars ille fuit. *Ioannem* (ait) *Epiſcopum Zamorenſem natione Hiſpanum, ſcientiâ iuris excellentem, qui annis unodequadraginta in muneribus curiæ prudenter caſteque fuerat obverſatus.* Unde facilè colligimus, ab anno huius ſæculi XXVI. curiæ diſtrictum occupationibus abſque intervallo vixiſſe. Legatum interim Eugenii IV. Baſileam anno XXXIII. ſæculi veniſſe Protonotarium Apoſtolicum ex *Hiſtoriæ Concilii Baſileenſis* ſectione 10. cap. 24. conſtat, quam Auguſtinus Patricius Senenſis Canonicus concinnavit, ac Philippi Labbei operâ in appendicem Concilii Baſileenſis tomo 13. Conciliorum editionis col. 1488. conjectam habemus : ex cuius etiam cap. 28. apparet eum in primis cum Tarentino Archiepiſcopo in Baſileenſi Concilio ad bonam mentem redire parato, Eugenii iuſſu, dum Baſileam accedere poſſent Cardinales ad munus hoc deſtinati, Pontificias vices habere debuiſſe.

510. Certè is hoc, quod iam diximus, Auditoris munere ornatus, ac publicis Eccleſiæ rebus nunquam non impenſus, meruit tandem poſt Zamorenſem ſibi collatam Eccleſiam à Calliſto III. Pontifice ad Cardinalium augendum numerum anno CDLVI. ſupra milleſimum cum aliis aſſumi, Seguntini poſt biennium Epiſcopatus, Zamorenſis loco, infulis ornatus. Romæ obiit, ad Sanctum Iacobum, Hiſpanorum nationis templum, ſub hoc titulo terræ mandatus, quem ideo hìc ſubiungimus, quòd in *Theatro Zamorenſis Eccleſiæ* Ægidii Gundiſalvi Avilæ corruptus legatur.

IOAN-

(1) Ad manum nobis ſunt receptiones Collegarum omnium Sancti Clementis, ex archetypo earundem libro ab anno MCCCLXXII. uſque ad XXIX. Novembris MCDXVIII. quo die admiſſus ad Collegium legitur *Guillelmus Petri Olivarius* (alias *Alvarus*) *de Catalonia*, quin ulla eatenus *Ioannis* de quo agimus mentio exſtet. Ab anno autem MCDXVIII. ad XIV. Decembris MCDLIV. quo die *Petrus Colobór* cooptatus Collega fuit, liber is ellipticus eſt.

IOANNI DE MELA [a] GENERE HISPANO FAMILIA INGENVA CÆSARII AC PONTIFICII IVRIS CONSVLTISSIMO. S. LAVRENTII IN DAMASO PRESBYTERO CARDINALI SACRVM.
VIXIT ANNOS LXX. OBIIT XIII. OCTOBRIS MCCCCLXVII.
PONTIFICATVS MAXIMI PAVLI II. ANNO IV. (1)

[a] Ita exculpta legitur.

Scripta eius aliqua iuris commentaria Romæ aſſervantur, manu adhuc exarata, ſcilicet :

511. *Portugalliæ leges quadraginta duæ, ſeu conſtitutiones Portugalliæ Regis Ioannis anno MCDXIX.* XVIII. *Novembris promulgatæ in civitate Oliſſipone, & gloſſatæ per Ioannem de Mella Epiſcopum Zamorenſem, ſive de cognitionibus propriis Regalium ſive Eccleſiaſticorum tribunalium.* Ita opus inſcriptum exſtat in Vaticana bibliotheca MS. cod. 2617. pag. 19. Aliàs : *Allegationes factæ per Ioannem de Mella ſuper* XLII. *legibus factis per dominum Regem Portugalliæ anno XXVII.* VI. *Iulii Romæ de mandato dominorum S. Martini & Bononienſis Cardinalium.* Incipit : *Reverendiſſimi patres ac domini præclariſſimi* &c. In Vaticano alio codice 2688 (2). Hoc autem circa hunc annum ſæculi viceſimum ſeptimum ſcriptum opus fuiſſe, antequam honoribus, quos poſtea obtinuit, auctor frueretur : nudum ita inſcriptum huic codici nomen eius perſuadet : cuius quidem exemplum fuerit per nos iſtud, quod priore loco laudavimus, ſcriptum, cùm Zamorenſis iam eſſet Epiſcopus ; neque enim, ſi leges illæ anno XXVII. promulgatæ ſunt, opponi tardiùs debuit *Allegationum*, ſeu *Gloſſarum* ſcutum.

512. *Elucidarium.* Continetur hic liber unà cum aliis cod. Vaticano MS. 4066. cuius codicis hæc eſt nota, eorum quæ intus habet, index. *Pantaleon contra hæreſes Græcorum. Germani Patriarchæ De proceſſione Spiritus ſancti. Ioannis de Mella Elucidarium.* Reperitur id fol. 67. cum hoc initio : *Sæpiùs rogatus à condiſcipulis quaſdam quæſtiunculas enodare, importunitati eorum non fuit facilitas obviare.* Sequitur ruber titulus : *Incipit liber primus de Eccleſiaſticis rebus* (dialogiſticus). *Magiſter rogo, ut ad inquiſita mihi ne pigriteris reſpondere ad honorem Dei, & utilitatem Eccleſiæ.* Magiſter. *Equidem faciam, quantum vires ipſe dabit, nec me labor iſte gravabit.* Diſcip. *Oro, quòd nemo ſciat quid ſit Deus, valdè abſurdum videtur adorare quod neſciamus ab ipſo ergo exordium ſumamus ; & in primis dic mihi quid ſit Deus ?* &c. Ita verò inſcriptum fuiſſe librum è prologo ipſo conſtat, ubi ait tacere ſe nomen, ne ob invidiam ſcriptum contemneretur, & titulum operis eſſe *Elucidarium, quia in eo obſcuritas diverſarum rerum elucidatur.* Tertii autem operis recordatur Ciaconius in *De Vitis Pontificum & Cardinalium*, de his quos creavit Calliſtus verba faciens, laudati tamen à Piccolominæo Cardinali, vulgò dicto Papienſi.

513. *Clericis nempe licitum non eſſe urbes peſtilenti lue infectatas deſerere, ob iniuncti ſacerdotii curam.*

514. Hunc noſtrum inter Cardinales doctrinâ illuſtres, & præcipuos illius ævi iuriſconſultos, Garimbertus *De Vitis Pontificum ſcribens* collocat. Quamvis facie deformem, Cardinalatum non fœdâſſe, adnotat multiplex *Hiſtoriæ Pontificum* ante paucos annos recoctus Scriptor. Huius autem

(1) Corruptè quidem apud Ægidium Davilam *Theatr. Zamor. pag.* 407. & corruptiùs apud Marchionem de Alventos *Hiſt. Coll. S. Barthol. Salmant. Part. I. pag.* 91. ſed neque apud Noſtrum hoc loco ad amuſſim deſcriptus. Nos ex Ephemeridibus noſtris Romanis reſtitutum ſiſtimus ; atque eadem linearum quibus conſtat œconomia.

IO. DE MELLA GENERE HISPANO FAMIL. INGENVA CÆSARII AC PONTIFICII IURIS CONSULTISS. S. LAUR. IN DAMASO PBRO. CARD. ZAMOREN.
SACRUM
VIX. AN. LXX. OBIIT XIII. OCTOB. A SALVTE NRA. M CCCC LXVII. PONT. MAX. PAULI II. AN. QUARTO.

Exſtant ad utrumque epigraphes latus ſtemmata Cardinalitio galero tecta, quorum aream implent ternæ tranſverſæ horizontales faſciæ, poneque eas in receſſu aquila roſtro ad lævam converſo, expansis alis pedibuſque ; circum aream autem limbus ſive tænia octonis leonibus dextrorſum gradientibus totidemque ſtellis conſpicua. Exſtat quoque apud nos tumulus perita artificis manu adumbratus.

(2) Hoc titulo nihil reperi in ſchedis meis Vaticanis. Apud Montfauconium tamen *Biblioth. Bibl. T. I. pag.* 106. *col.* 2. inter codices Bibliothecæ Regis Galliarum *nn.* 2687. *& ſeqq.* legitur : *Gravamina illata Clero per Ioannem Regem Portugalliæ.* Et continuo : *Ioannes de Mella contra eaſdem leges.*

tem germanum fratrem fuiſſe Alphonſum Mellam Franciſcanum eò monere voluimus, quòd tum *Hiſtoriæ Ioannis II.* auctor ad annum XLII. cap. 36. tum Ioannes Mariana lib. 21. cap. 17. admonuêre, Fraticellorum ſectæ Durangi Cantabriæ oppido ſuſcitatorem hunc fuiſſe: qui pœnæ metu unà cum grege perditarum mulierum ad Mauros fugiens, Granatæ cannis confixus miſerè tandem obiit. Humanarum rerum varietatis, & eodem ventre natorum hominum in diverſa tendentium diſſimilitudinis exemplum iugi recordatione digniſſimum.

515. Hunc qui ſecutus fuit, anno MCDLXVIII. deceſſit è vivis Romæ etiam, celeberrimus eius ætatis theologus & iuriſconſultus IOANNES DE TURRECREMATA, ingentis, cùm viveret & poſt obitum, famæ vir futurus, dum corda hominum literarum amor & ſapientiæ ſtudium inſederit. Burgis, an Pinciæ, hoc eſt Vallisoleti, natus, & cuiuſnam ordinis parentibus fuerit, in dubium vertitur. Nam Ferdinandus Pulgaris & Lucius Marinæus Siculus, ætate æquales, Burgis ortum; ac prior ille, cui credidit Ioannes de Cruce in *Chronico Dominicanorum* ab Antonio Senenſi laudatus in ſua *Bibliotheca eiuſdem ordinis*, Iudæorum è genere ad Chriſtianam fidem converſorum prognatum fuiſſe aiunt.

516. Ex adverſo alii Vallisoletanum aſſerunt, Alvari Ferdinandi à Turrecremata decurionis filium, Petri Ferdinandi nepotem, Lupi Alphonſi, illius quem inter equites *de la Banda* dictos Alphonſus Rex Caſtellæ XI. cooptavit, pronepotem affirmant. Dominicani ante alios, Antonius Senenſis [o], Ferdinandus Caſtellus [p], Ioannes Pontanus [q] (non Xyſtus Senenſis quem hi laudant), & cum his Balthaſſar Porreñus [r], Pulgaris obnituntur dicto, iniuriam ſibi à propinquo Ioannis noſtri factam hoc mendacio vindicare volentis. Quod non ſtatim credent abſque alio rei indicio qui neque odio neque adulatione ducuntur. Planè quod non ullius dedecoris fuit Paulo & Alphonſo Burgenſibus, Franciſco item Caurienſi, Epiſcopis, ab eodem Pulgare; Nicolao Lyrano, Raymundo Martini, ceteriſque aliàs ob eximias dotes & literarum ſtudia laudatis: cur ingenio & more huius noſtri temporis, quod quidem huius originis homines ab honoribus arcet, ætate illa (quod exemplis convincitur) non ſic viles aut inhoneſtos, excipiemus & reputabimus?

517. A Turrecremata oppido oriundum fuiſſe alii affirmant, è quorum numero Guido Pancirola lib. 3. cap. 37. *De claris legum interpretibus*, Petrus Alva in *Sole veritatis*, veritate 195. hiſque antiquior Blondus decade 4. lib. 1. *Hiſtoriarum*, cognominis, ut credimus, argumento ducto. Certè Vallisoleti ad ordinem Prædicatorum fratrum receptus, literis hìc primò grammaticis & philoſophicis, in urbe autem Pariſiorum deinde theologorum & iuriſconſultorum ſtudiis impensè operam dedit; nec antè quàm doctoris ornaretur inſignibus ab ea diſceſſit. At reverſus, opportunuſque muneribus domi gerendis, cùm in patria ad S. Pauli, tum in urbe Toleto ad S. Petri martyris cœnobia, ſodalibus præfuit.

518. Hinc autem eum Romam declinandæ invidiæ, quæ inter domeſticos plerumque accendi ſolet, ſe contuliſſe fama eſt: non ut Ioannis II. Regis legationem obiret, quod Marinæus credidit. Ille enim ad urbem priùs acceſſerat, quum Ioannis eiuſdem Regis (uti Pulgaris refert) iuſſu Oratoribus eius ſe comitem dedit.

519. Næ illi in ordinem fortaſſe redigendi ſunt, qui Conſtantienſi Concilio interfuiſſe Turrecrematam affirmare non verentur. Neque eiuſdem Pulgaris error ferendus eſt: cui ſi credimus, diſciſſo iam Eugenium inter & Baſileenſes atque Felicem ſchiſmate, è Toleto Romam venit. Conſtantiæ namque urbis Concilium anno huius ſæculi XVIII. dimiſſum fuit: quo anno triceſimum aut circiter ætatis agebat noſter Ioannes; cùm nec præeſſe iam duobus maximis ac præcipuis cœnobiis potuerit; nec Ioannis Regis, qui adhuc puer ſub tutela erat Ferdinandi Infantis, legationem gerere, legatíſve adherere. Et tamen Guido Pancirola teſtem huius in Concilio iſto præſentiæ Turrecrematam ipſum adducit in *Comm. Decreti*, diſt. 17. cap. 1. num. 14. quem nunc ad manum non habemus.

520. Baſileam autem venit florente ibi adhuc Concilio, nondumque damnabili: quod ex actis in eo ab eodem conſtat, ſacri Palatii Magiſter ab Eugenio iam creatus. Seceſſiſſe tamen cum Hiſpanis aliis creditur, quum eò res perducta eſt, ut Senatus ille patrum facultatem ſibi exauctorandi Pontificis arrogâſſet. Ab eo enim in conventum Nurembergenſem Germanicæ nationis fuit miſſus anno MCDXXXVIII. ut ex *Hiſtoria* eiuſdem *Baſileenſis Concilii* conſtat Auguſtini Patricii ſuperiùs adducta: nempe ex cap. eius 82. Cumque Florentiæ, quò evocatum fuerat è Baſilea Concilium, adeſſet; ibique partes Latinæ adverſus Græcam Eccleſiam, atque eius dogmatum ſectatores ſtrenuè propugnâſſet: ab eodem Eugenio IV. die XVIII. Decembris anni MCDXXXIX. (malè alii MCDXXXV.) cùm ſedecim aliis, in quibus Beſſarion Græcus, Ioannes Carvaxalius, Alphonſus Borgia, qui poſtea Calliſtus III. Papa, Hiſpani, clariſſimi numerantur viri, S. R. E. Cardinalis creatus fuit, poſt menſem utique à renuntiato Baſileæ Felice Sabaudiæ olim Duce in Eugenii locum Pontifice.

521. Cùm verò Bituricis anno ſequenti quadrageſimo Carolus VII. Francorum Rex conſilio ſuper hac re capiendo Synodum coegiſſet: eò deſtinatus fuit ab Eugenio Ioannes Cardinalis (quò & pro Felice directus fuerat Ioannes Segovienſis iam antea dictus) & in cauſa obtinuit, Carolo adhærere ſe Eugenii partibus ex conſilio patrum declarante. Meminit Auguſtinus Patricius in *Hiſtoriæ Baſileenſis Concilii* nuper laudatæ cap. 112. Quæ quidem legatio ad Gallum Regem anſam porrexiſſe quorundam errori ſuſpicamur, qui reverſum aliquando in Caſtellam Pontificis Legatum Turrecrematam, nullo veteris hiſtoriæ ſuffragio muniti aſſeruêre.

522. Deſtinatum quoque eum cum aliis pro ſedando inter Galliæ atque Angliæ Reges bello conſtat ex Eugenii Papæ epiſtola apud Raynaldum tomo 18. *Annal.* anno MCDXXXIX. num. 39. Infixus tamen vel abſentis amor & exiſtimatio adeò erat Ioanni Caſtellæ: ut à Ferdinando Gomezio de Civitate regali eiuſdem medico in quadam epiſtola ad Gomezium Benavidium directa, nonniſi ex vero ſcriptum fuiſſe videatur, contuliſſe Regem Guterio Toletano Hiſpalenſis Eccleſiæ Pontificium, quo morem aliis gereret, non autem ex animi ſui ſententia: *Quod quidem* (ait [s]) *Ioanni Turrecrematæ Dominicano libentiùs dediſſet: cuius quidem ſapientia & religio pluſquam aliorum nobilitas honore iſto dignior eſt.* Obtinuit utique inter nos Mindonienſis & Aurienſis Eccleſiarum infulas, cum Abbatiis Pinciana, & Burgenſi Fonceana; Romæ autem titulos Epiſcopatuum Albanenſis, Nicolai V. Sabinenſiſque, Pii II. tempore; atque in eadem urbe ædificatis ad ſanctæ Mariæ ſupra Minervam Dominicanorum ædis maximæ impluvio, & in templo ipſo eiuſdem Deiparæ Virginis ab angelo Annuntiatæ capellâ, legatum ei reliquit à ſodalibus pii collegii ab eodem creati adminiſtrandum, cuius fructus maritandis Romanis virginibus quotannis inſumerentur. Atque hoc pium opus adeò ſemper uſque nunc ab eo tempore increvit, ut Annuntiationis feſto die Summus ipſe Pontifex cum Cardinalium collegio in hoc ſeſe templum conferens dotum chirographa trecentis non minus aut quadringentis manu propria diſtribuere ſoleat.

523. Romæ deceſſit octogenarius, iacetque in capella iam antè dicta ſub hoc epitaphio:

F. IOANNI HISPANO VALLISOLETANO
EX VETERI PVRA NOBILIQVE FAMILIA
DE TVRRECREMATA
ORDINIS PRÆDICATORVM.
S. R. E. CARDINALI EPISCOPO SABINENSI
PIETATE AC DOCTRINA CLARISSIMO
MVLTIS LEGATIONIBVS EGREGIE FVNCTO
BEATÆ VIRGINIS ANNVNTIATÆ
SODALITAS
AVCTORI SVO POSVIT
OBIIT ROMÆ VI. KAL. OCTOBRIS
AN. DOMINI MCCCCLXVIII.
ÆTATIS VERO SVÆ LXXX. (1)

524. A Flavio Blondo illius ævi famigerato Scriptore, dum de creatione agit, quâ Ioannes declaratus fuit Cardinalis, *Theologus inſignis* audit lib. 1. decadis 4. *Hiſtoriarum*; à Græco rerum Florentini Concilii Scriptore *Philoſophus Latinorum & dialecticæ peritiſſimus*. Ab eodem Blondo, Nicolao Perotto, Io. Antonio Campano, & Beſſarione Cardinali Nicæno amatus & magni habitus. Iacobus item Amannatus Carma ſuperimponitur: turris nimirum ardens quam ambit limbus octonis lilii floribus diſtinctus.

[o] In *Biblioth. Dominicana.*
[p] *Hiſt. Ord. Prædic.* cent. 1. lib. 3. cap. 42.
[q] *Convenienciа de Monarquias* lib. 1. c. 13. § 3.
[r] *Elogios de los Cardenales de Eſpaña.*

[s] In Latinum converſus ex Hiſpano.

(1) Concordat cum Ephemeridum noſtrarum Romanarum exemplo; cui tamen *Turrecrematarum* ſtem-

Cardinalis, vocatus Papiensis, vir eloquens, & *Commentariorum de suæ ætatis rebus*, necnon & summi pretii epistolarum auctor, dum Cardinales enumerat qui Paulum II. elegerunt, *Commentariorum* lib. 2. post laudatum cum aliis Ioannem Carvaxalium, virum gestis clarissimum : *Ab eadem natione* (inquit) *Ioannes Turrecremata Sabinorum Episcopus. Huius umbratilis gloria præcedentium non cessit laboribus, primas inter theologos sui temporis tenens, propter auctoritatem Sedis apud Gallos defensam : quamquam ex Prædicatorum esset ordine, nullaque adhuc dignitate insignis, ad Cardinalatum Eugenio sedente vocatus est. Scripsit Commentarios divinarum rerum complures, utiles illos & magni in Ecclesia æstimatos.* Elogia tanti viri vide sis (ut ab antiquis discedamus Pulgari & Marinæo) apud Alphonsum Ciaconium in *Vita Eugenii IV.* Ferdinandum Ughellum *Italiæ sacræ* auctorem in *Episcopis Sabinensibus*, Balthassarem Porreñum in *elogiis Cardinalium Hispanorum* ineditis; & in epistola cuiusdam Ioannis de Turrecremata, nostro cognominis, quæ Salmantinæ editioni *Summæ* illius *Ecclesiasticæ* anni MDLX. præponitur. Sed iam ad enarranda eius opera transeundum est. Scripsit nempe

525. *In Gratiani Decretum Commentarios*, quinque partibus. Quarum I. est in primam Decretorum, sive *Distinctiones*. II. In *Causarum* primum volumen. III. in secundum. IV. in tractatum *De consecratione*. V. in tractatum *De pœnitentia*. Quatuor tamen voluminibus integrum opus comprehendit Veneta editio Hieronymi Schoti MDLXXVIII. in folio, quam præcessisse dicitur alia Lugdunensis Ioannis Boerii. Manuscriptam vidimus in Barberina bibliotheca Romæ *Compilationem novam Decreti, Turrim auream Decretorum nominatam : compilatam à rever. P. Ioanne de Turrecremata, & Nicolao V. Pontifici dicatam.* Incipit operis nuncupatoria : *Cupienti mihi opus quod auxiliante Deo inchoavimus in quinque libros, iuxta quinque libros Decretalium* &c. Finitur autem sic: *Finitum est opus Romæ x. Ianuarii MCDLI.*

526. *Summam Ecclesiasticam.* Hoc est contra Ecclesiæ & primatûs Petri adversarios, quatuor partibus. In quarum prima agit *De universa Ecclesia.* In secunda *De Ecclesia Romana & Pontificis primatu.* In tertia *De universalibus Conciliis.* In quarta *De schismaticis & hæreticis*, Nicolao V. Papæ dicatam. Hæc prostat Salmanticæ edita apud Ioannem Mariam Terranovam MDLX. in folio; & Venetiis apud Michaelem Tramezinum anno MDLXI. in 4.° In bibliotheca Olivariensi erat tractatus *De potestate Papæ & Imperatoris* MS. in folio, quem haud diversum à *Summa* existimamus (1); cùm in hac de potestate etiam Imperatoris agatur lib. 2. cap. 94. 95. & sequentibus. Exstat in Vaticanis codicibus 2577. 2578. & 2701.

527. *De aqua benedicta, eiusque virtute & efficacia.* Romæ apud Antonium Bladum MDLIX. aliàs MDXLVII. Quem librum ei tributum scio à Trithemio, Possevino, Ant. Senensi, & aliis. Hunc tamen Alphonsus Castrensis, cùm *Adversus hæreses* scriberet, reperire se non potuisse quæsitum ait, forsan adhuc ineditum.

528. *Meditationes de vita Christi.* Has Coloniæ edi curavit Franciscus Swertius cum Vita eiusdem Turrecrematæ, & precibus selectis quibusdam MDCVII. in 12.° apud Bern. Gualterium, ut in mentione dicti Swertii monet Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica.*

529. *Commentaria in Regulam S. Benedicti*, quæ unà cum Smaragdi in eandem commentariis Coloniæ prodierunt ex officina Gervini Galeni anno MDLXXV. in folio. Hæc direxit Auctor ad Arsenium monachum cœnobii S. Benedicti, quod ipse (Trithemius ait) in commendis habebat, Florentiæ, ut credimus, *opus magnum & non abiiciendum*, appellans.

530. *Expositionem brevem & utilem super Psalmos*, ad Pium II. Pont. Max. Prodiit hæc primùm, ut credere par est, Romæ apud Franciscum Lupum Gallum die XXI. Februarii MCDLXXVI. quam editionem vidimus Caietæ in bibliotheca Dominicanorum; item in Burgo (locum ignoramus) MCDLXXX. in fol. quæ est inter libros Sapientiæ Romanæ. Duo alia exemplaria penes se habere absque ulla loci nota, eaque in ipsis typographiæ incunabulis edita, Labbeus monet *De Scriptoribus Ecclesiasticis.* Item prodiit Cæsaraugustæ MCDLXXXII. in folio, Venetiis apud Lazarum de Soardis MDXIII. in 8.° & apud Stephanum de Sabio MDXXIV. (2) in 8.° *Desumta nempe* (ut auctor ait) *ex Hieronymo, Augustino, Remigio & Cassiodoro.*

Quæ-

(1) Exstat in eius Bibliothecæ catalogo MSS. *pag.* 197. *Lit I.* atque eodem omnino titulo; Edita longe ante, nimirum anno 1489. Romæ Fol. apud Eucharium Silber alias Franck Alemanum apud Maittairium *T. I. pag.* 211.

(2) Binas præterea huius operis editiones, easque satis antiquas indicat Maittairius *Moguntinam* scilicet Petri Schoefferi fol. 1478. *T. I. pag.* 131.; & *alteram* absque Loci notatione, sed anno 1482. per Ioannem Fabri Lingonienſem *pag.* 165. quæ forsan Tau-

531. *Quæstiones spirituales super Evangelia totius anni, tam de Tempore quàm de Sanctis.* Aliquando editæ hæ sunt absque loci mentione Brixiæ anno MCDXCVIII. in 4.° quam editionem habet Ecclesia Hispalensis inter Colonæos libros. Deinde verò Lugduni MDIX. in 8.° apud Stephanum Gueynardum; & adhuc priùs ibidem MD. in 8.° & Parisiis MDX. apud Ioannem Barbier. In prologo auctor ait se has scripsisse Cardinalium Collegio dicatas, ut dum epularentur recitari sibi eas iuberent. Parisiensem hanc editionem recognovit Guilielmus Totanus Dominicanus, ille, cui falsò adscribi solet propter similem curam etiam in eo insumtam Alphonsi Spinæ *Fortalitium Fidei*, uti loquentes de hoc monuimus. In codice Vaticano MS. 975. servantur cum titulo *Collationum pro dominis Cardinalibus pro collocutionibus post mensam;* & hoc initio : *Sacro & colendissimo* &c. quod idem initium habent *Quæstiones.* Trithemio teste diversum opus est (1)

532. *Sermones de Tempore ac de Sanctis*: quos à præcedenti, præter ipsum Trithemium, Possevinus & alii distinguunt.

533. *Contra principales errores perfidi Mahometi.* Editio princeps fortè illa est, quam in bibliotheca Sapientiæ Romanæ vidimus absque loci nota. Prodiit etiam Romæ apud Guilielmum Faciotum MDCVI, in 8.° Ms. exstat liber in Vaticana bibliotheca codic. 1043. & 974. cum hac inscriptione : *Tractatus contra principales errores Mahometi, propter Diætam Principum proximè celebrandam*, ad Pium II. Incipit: *Post humilem recomendationem.* Hæc Diæta, sive conventus, fuit Mantuæ à Pio II. indictus, ut Christianorum Principum communibus consiliis & copiis immanissimo Turcarum tyranno bellum inferretur. Reque ipse se eò contulit Pius; principes verò aut Legati eorum rari, discessumque suadentibus, utpote in re iam desperata, aliis Cardinalibus, & in Romam reditum: *Fuerunt tamen* (Gobellinus ait in *Commentariorum Pii II.* libri 3. initio) *Cardinales melioris consilii, qui perseverantiam suadebant, ut Bessarion Nicænus, & Ioannes S. Xysti, Græcus alter, Hispanus alter.* Quibus verbis designari Turrecrematam

Taurinensis fuerit. Vid. *in Not. ad h. l...* Postquam hæc scripseram, memini penes me esse principem huius *Psalmorum Expositionis* editionem Romanam MCCCCLXX. apud Udalricum Gallum de Bienna 4. in cuius fine legitur: *Reverendissimi Cardinalis Sancti Sixti Expositio brevis & utilis super toto psalterio : Romæ impressa die quarta mensis Octobris per honorabilem virum magistrum Udalricum Gallum de Bienna Anno Domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo.* Fuit etiam in Bibliotheca Ducis olim de la Valliere n. 190. Guillelmus Franciscus de Bure Iunior, *Bibliographie Instructive volum. De Theologie num* 141. *p.* 139. falso existimavit principem huius Expositionis editionem esse Moguntinam Petri Schoyffer MCCCCLXXIV.

(1) Exstat in Bibliotheca Escurialensi *Lit. h. Plut. II. n.* 12. (T. II. p. 84.)

nemo non videt : quemadmodum & cùm lib. 3. accersitos eosdem Nicænum, & Ioannem S. Xysti Cardinales, ad colloquium privatè ab eodem Pontifice cum Florentinis Legatis habitum.

534. *Tractatum* De veritate conceptionis beatissimæ Virginis, *pro facienda relatione coram Patribus Concilii Basileæ anno Domini MCDXXXVII. mense Iulio, de mandato Sedis Apostolicæ Legatorum eidem sacro Concilio præsidentium.* Romæ prodiit primùm ex officina Antonii Bladi Asulani MDXLVII. in 4.° Recognitus quidem, & nova capitum divisione clarior redditus, Alberti Duimii de Catharo ord. Prædicat. in Sapientia Romana sacræ Scripturæ interpretis operâ : iubente Bartholomæo Spina, sacri Palatii Apostolici Magistro, & sumtus præstante illustrissimo domino D. Ioanne de Toleto Cardinali, eiusdem ordinis Prædicatorum, cùm in Concilio Tridentino proposita esset hæc res à defensoribus alterius partis. Ita enim præfefert integra libri inscriptio, quam dedimus pro huius operis atque eius editionis historia. Apud Ciaconium per errorem editum fuit : *De conceptione Domini*: fortè, *matris Domini.*

535. Quam quidem relationem seu tractatum exhibiturus iam Concilio, quo minus id facere posset, impeditus fuit schismatis illius causâ, quæ per eos dies ortum habere cœpit : quum Legati Eugenii Papæ recedere inde, & cum eis Ioannes noster, in mandatis habuere : quod ipse ait in commentario ad caput *Firmissimè. De consecratione.* dist. 4. n. 11. Eandem sibi impositam fuisse à Concilio curam repetit ad cap. *Pronuntiandum.* dist. 3. Et tamen à Petro Alva Franciscano (qui in defendendo Immaculatæ Conceptionis beatissimæ Virginis articulo modum tenere nescivit) maiorem huius operis partem non Turrecrematæ, sed Bartholomæi Spinæ, aut magis Alberti Duimii esse, multipliciter in *Sole veritatis* contenditur, prolixiorem quam res ac præscriptum sibi referendi, (*referendi*) non disputandi genus petebat, tempusque permisisse videtur, commentarium causante; cùm sanè non minoris esse molis deberet opus, quo maiori adhuc Tur-

Veritate 195.

recrematæ isti Ioannis Segovienſis *Allegationum & Aviſamentorum* operi iam patribus exhibito, ex munere ſibi impoſito reſpondere debuit.

536. Et quidem potuit ſtatim ab edicto Patrum anni MCDXXXV. Iunio menſe publicato, expediri negotium colligendi ex omnibus bibliothecis & archivis monumenta omnia, quæ de hac quæſtione concepta reperirentur; & ex his omnibus, theſauroque ſuæ memoriæ, & proprio ſtudio potuit etiam Ioannes Cardinalis colligere auctorum teſtimonia in hoc libro exſtantia, quæ tantùm cogitabat exhibere ſacro Concilio; poſtmodumque auditis Ioannis de Montenigro cuius primæ in hac re partes fuere allegationibus, haſque ſecutis Ioannis Segovienſis aliis præcedentium *Allegationum* refutatoriis, ampliare opus ſuum, & ex breviore iuſtum & integrum reddere, ne tertius iam diſputator in arenam deſcendens, aridior & imbecillior deceſſoribus ſuis appareret: quod eſſet veluti cauſam adverſariis tradere. Et hoc ſanè argumento validiſſimè quatiuntur & corruunt omnia quæ pro abiudicando Turrecrematæ libro iſto pervicaciter enixeque Petrus Alva, & ſi qui ante eum alii, contenderunt. Quorum cogitata expendenda iis relinquimus, qui non ullo præiudicio, ſed veritatis amore ducti, in hunc locum inciderint.

537. *Flores ſententiarum D. Thomæ Aquinatis ds auctoritate ſummi Pontificis, collectos in* eodem *Concilio Baſileenſi anno MCDXXXVII.* iuſſu Iuliani Cardinalis. Hanc materiam LXXIII. quæſtionibus explicuit, dedicavitque eidem Cardinali. Incipit : *Mandatis, reverendiſſime pater, & domine præſtantiſſime Iuliane, digniſſime presbyter Cardinalis* &c. Editus fuit liber cum aliis argumenti eiuſdem à Remigio Florentino Dominicano Venetiis anno MDLXII. Manuſcriptuſque codex aſſervatur Romæ in Vaticana cod. 4117. & Patavii in bibliotheca S. Ioannis in Viridario Canonicorum Lateranenſium, Thomaſino teſte in *Bibliotheca Patavina manuſcripta*. Iulianus iſte eſt Cardinalis Cæſarinus, S. Angeli dictus, Baſileenſis Concilii coactor & præſes, qui tandem in Polonia infeliciter obiit à Turcarum copiis occiſus. Item

538. *De eadem Pontificis & generalis Concilii auctoritate, ad Baſileenſem Oratorem* (ut præfefert) *reſponſionem*: quam Venetiis edidit MDLXIII. in 4.° Ioannes Zilettus operâ Camilli Campegii Theologi Pariſienſis, & Labbeus in Conciliorum Pariſinam editionem ſuam volum. 13. col. 1661. coniecit (1).

539. *Super decreto unionis Græcorum in Concilio Florentino edito apparatum.* Editum Venetiis cum decreto ipſo Eugenii anno MDLXI. in 4.° una cum *Summa Eccleſiaſt.* MS. Patavii in bibliotheca Benedicti Silvatici, teſte Thomaſino; & in Vaticana biblioth. cod. 4165. Exſtant quidem in actis eiuſdem Concilii, quæ per dialogum inter ſe & Ludovicum de Ponte Romanum Andreas Sanctacrucius, & ipſe Romanus, concinnavit; legunturque in Conciliorum editionibus, & in poſtrema Pariſienſi volum. 13. quædam Ioannis Turrecrematæ facta ad Concilium verba de conſecratione in azymo ſeu in fermentato, & de forma ipſius conſecrationis [u]. Sed is, quode agimus, *Apparatus ad decretum* Eugenii Papæ, ſeu diffinitionem, quæ incipit: *Lætentur cæli* &c. [x] factus videtur : quo ea omnia, in quibus convenerunt Græci cum Latinis, continentur. Planè ob defenſam in Concilio iſto Florentino Apoſtolicæ Sedis auctoritatem adeptus fuiſſe Ioannes dicitur *univerſalis protectoris Fidei* titulum: quod Ferdinandus Ughellus in ſuæ *Italiæ ſacræ Sabinenſibus Epiſcopis* refert. Alii, ut Antonius Senenſis [y], quemadmodum & Ioannes Lopez Monopolitanus Epiſcopus [z] meritum ab eo hunc honorem aiunt Pii II. tempore iam Cardinali. In antiquis nos nihil de hoc legimus; niſi in iis Vincentium Bandellum computemus, quem auctorem rei Senenſis laudat.

[u] Col. 1141. & 1153.

[x] Col. 1165.

[y] In *Biblioth. ord. Prædic.*

[z] Par. 5. *Hiſt. ord. S. Domin.* lib. 1. cap. 19.

540. *De ſalute animæ.* Incipit : *Docet nos Divina Scriptura*, Ioanne Trithemio, Alphonſo Venero, Marieta, Bellarmino, Poſſevino, Antonio Senenſi teſtibus, quorum nullus de editione loquitur.

541. *Tractatum de corpore Chriſti adverſus Bohemos.* Cuius Antonius idem Senenſis, Alphonſus Ciaconius, Poſſevinus, Bellarminus, & alii, meminere.

542. *Revelationes S. Birgittæ ex commiſſione Sedis Apoſtolicæ recognovit, & apologiam* appoſuit. *Expoſitionem Regulæ S. Birgittæ* (niſi de alio loquatur opere) Antonius appellat Senenſis, ex teſtimonio Hieronymi Almonazir Complutenſis collegii Dominicanorum ſtudiorum præfecti, referens aſſervari hanc in collegio eorumdem Pinciano. Nos autem nihil aliud indicatum ab eo credimus, niſi *apologiam* prædictam: quæ cum iiſdem *revelationibus*, & ad eas Gonſalvi Duranti Notis, cùm Romæ tum Coloniæ anno MDCXXVIII. typis edita fuit. *Tra-*

(1) Edita pridem fuerat Coloniæ 1480. apud Henricum Quentel, Fol. Maittairius *Ann. Typogr. T. I. pag.* 154.

543. *Tractatum, in quo ponuntur impugnationes quarumdam propoſitionum, quas magiſter in Theologia Alphonſus de Madrigal poſuit & aſſeruit in diſputatione publica in Romana curia xxi. die Junii anno MCDXLII.* Exſtat in bibliotheca Vaticana MS. cod. 5606. De quo iam diximus in Alphonſo Toſtato.

544. *Symbolum veritatum Fidei Romanæ Eccleſiæ pro informatione Manichæorum* MS. inter vaticanos libros manu exaratos cod. 974. Miſerat nimirum Boſnæ Rex ad Papam viros ſui regni tres Manichæorum errore obcæcatos, ut Romæ catechizarentur. Incipit : *Beatiſſime pater.* Et in fine notatur factum Romæ in Eccleſia S. Petri die IX. Maii anno MCDLXI. Hiſtoriam narrat Ciaconius in *Vita Eugenii IV.* & hoc eius Cardinali.

545. *Contemplationes*, quæ ſcriptæ dicuntur Romæ in monaſterio Prædicatorum de Minerva. Ms. codice Vaticano 973. inter manu exaratos.

546. Præter iam dicta opera, pluribus aliis publicam Eccleſiæ rem iuvâſſe credendus omnino eſt; cùm in Vaticana bibliotheca hæc ælia opuſcula exſtent nondum edita:

547. *Libellus velociter compoſitus & editus contra certos hæreticos noviter impugnantes paupertatem Chriſti, & ſuorum Apoſtolorum.* Cod. MS. 974. fol. 55 (1).

548. *Libellus quidam pro defenſione Romani Imperii.* Ibidem fol. 65.

549. *Libellus de nuptiis ſpiritualibus.* Ibidem fol. 68.

550. *Tractatus contra Concilium Baſileenſe.* Incipit : *Notâſtis, teneo, ſuperiori die pro veſtra ſapientia & humanitate, reverendiſſimi patres, ſanctiſſimam & religioſam intentionem ſanctiſſimi Domini noſtri* &c. In fine : *Explicit oratio facta per Mag. Ioann. de Turrecremata ſacri & Apoſtolici Palatii Magiſtrum anno Incarn. MCDXXXIX.* Qui iuſto quidem volumine viſitur inter eoſdem libros Vaticanos MSS. cod. 2579.

De eodem Concilio Baſileenſi aliqua eius ſunt in cod. 4136.

551. In codice 5606. ubi eſt cenſura in Toſtati propoſitiones, leguntur & iſta:

Tractatus de decreto irritante, factus in Concilio Baſileenſi in reſponſione ad hoc quæſitum : An in omni lege licita, ad obviandum abuſibus curiæ Romanæ multiplicibus poſſit per generale Concilium ſimpliciter & indiſtinctè poni decretum irritans ſummis Pontificibus : in quo reſpondet negativè.

552. *Quæſtio* quædam *facta per reverendiſs. D. Cardinalem S. Xyſti, dum erat Magiſter ſacri Palatii, coram Eugenio Papa IV. ac reverendiſs. dominis Cardinalibus, & prælatis curiæ Romanæ.* Incipit : *Notâſtis, teneo, ſuperiore die* &c. ſcilicet circa propoſitionem factam in Baſileenſi Concilio, quòd *veritas de poteſtate Concilii generalis univerſalem Eccleſiam repræſentatis, ſupra Papam & quemlibet alterum, declarata per Conſtantienſe & Baſileenſe generalia Concilia eſt veritas Fidei catholicæ.* In fine notatur factam fuiſſe hanc quæſtionem ſive orationem anno MCDXXXIX. Sed vereor ne idem hoc ſit opus cum paulò antè laudato *Contra Concilium Baſileenſe*, in duobus codicibus Vaticanis repetitum; cùm libri initium in utroque conveniat.

553. *Reſponſio in blaſphemam & ſacrilegam invectivam ad ſanctiſſimum canonem iuſtiſſimæ condemnationis damnatiſſimæ congregationis Baſileenſium.* Incipit : *Diſſimulare non poſſumus.* In fine advertitur factam eam fuiſſe per Turrecrematam Card. S. Xyſti, dum eſſet in Bituricis apud illuſtriſſimum Regem Franciæ orator Eugenii Papæ.

554. *Reſponſiones quædam breves triginta octo articulorum, qui dicuntur eſſe Huſſitarum, qui ſunt in regno Bohemiæ, factæ per eximium virum Mag. Fr. Ioann. de Turrecremata, qui poſtmodum fuerat Cardin. S. Xyſti.* Incipiunt : *Primus articulus.* Et in fine : *Expliciunt reprobationes xxxviii. articulorum Bohemorum, qui ſunt in Moldavia* (an *in Moravia?*), *ita perfunctoriè & celeriter factæ ad mandatum Sanctiſs. domini noſtri Eugenii Papæ IV. Florentiæ anno Domini MCDXLII. die xxviii. Iulii per ſtudium domini Cardin. S. Xyſti*

555. *Collecta per Dom. Cardin. S. Xyſti tempore ſanctiſs. Dom. Papæ Eugenii IV. ſuper petitione domini Regis Franciæ, ut aliud tertium celebraretur generale Concilium.* Incipit : *Quod autem convenientiſſimum eſſet.*

556. *Tractatus factus contra aviſamentum quoddam Baſileenſium, quòd non liceat appellare à Concilio ad Papam.* Incipit : *Circa hoc aviſamentum.* Qui factus fuit in eodem Concilio Baſileenſi, ut patet ex his ad finem : *Explicit votum Mag. Ioann. de Turrecremata in materia appellationum in deputatione reformatorii IX. Martii anno Domini MCDXXXVI.*

557. *Votum* aliud Eiuſdem *ſuper aviſamento, quod Papa debeat iurare ſervare*

(1) Exſtat in Bibliotheca Cathedralis Metenſis in Lotharingia teſte Montfauconio *Biblioth. Bibl. T. II. pag.* 1382. *col.* 2. *ſub num.* 282.

re decreta de Conciliis generalibus continuandis, & electionibus confirmandis; aliàs cadat à iure Papatûs. Incipit : *Circa avisamentum.* Reſpondetque non licere Papam ad id ligari per Concilium. Factum eſt in eadem deputatione reformatorii.

558. *Repetitiones quædam* eiuſdem Cardinalis cùm eſſet in minoribus conſtitutus *Baſileæ ſuper quibuſdam propoſitionibus Auguſtini de Roma.* Incipit : *Reverendiſſimi reverendique patres.* In fine : *Explicit votum Mag. Ioann. de Turrecremata Apoſt. Palatii Mag. relatum coram iudice Fidei, & aliorum reverendiſſimorum reverendorumque patrum, & eximiorum utriuſque iuris DD. multitudine copioſa : in domo fratrum Minorum, ita compilatum, & in ſcriptum redactum ad mandatum inclytæ nationis Italiæ anno Domini MCDXXXV. in menſe Iulio.*

559. *Propoſitio* Eiuſdem *cùm eſſet orator ad Diætam Moguntinam ex parte S. D. N. Eugenii ſuper iuſtitia tranſlationis Concilii de Baſilea in Ferrariam, & tandem de Ferraria in Florentiam.* De congreſſu iſto Moguntino agit Odericus Raynaldus tomo 18. *Annal. Eccleſiaſt.* anno MCDXXXIX. num. 19.

560. *Tractatus* quidam *contra Madianitas & Iſmaelitas, adverſarios & detractores illorum, qui de populo Iſraelitico originem traxerunt.* Incipit : *Turris fortitudinis à facie inimici.* Invehitur *contra eos malos Chriſtianos & perverſos homines* (ut ille ait), *qui omni Dei timore poſtpoſito, malitiæ ſpiritu inflati, fideles Chriſti de populo Iſraelitico deſcendentes, quantumcumque fide, virtute, ac donis divinæ gratiæ reſplendeant, odio mortali, iniuriis, opprobriis damniſque moleſtant & perſequuntur.* Occaſionem huic ſcripto datam refert, dicens *quòd libellos infamatorios ſub nomine proceſſuum ad varias orbis partes demandatos viderit; & præcipuè proceſſum legerit per quendam Spoleti* (ſ. Toleti) *factum per quoſdam impios homines domino & Regi ſuo naturali rebelles, qui capita factionum, & iniquitatum Toleti commiſſarum fuere : quem ſcilicet domino noſtro Nicolao Papæ V. per quendam eorum collegam cum certis literis ad curiam Romanam demandaretur. Qui proceſſus à nobis diligenter lectus & examinatus viſus eſt nobis ex multiplici capite impius, & iniquus, ac plurimùm ſcandaloſus, ac multis erroribus plenus,* &c. In fine ait, finitum eſſe Romæ anno MCDL. tempore Iubilæi.

561. Hoc ipſum eſt magnum opus *Contra ſtatuta aliquot Eccleſiarum, quibus arcentur ab earum collegiis qui ex ſtirpe Iudaica deſcendunt.* Quod quidem *Contra Iſmaelitas noſtri temporis* inſcriptum Antonius ait Senenſis ſervari manu exaratum in collegio Prædicatorum Pinciano : optimo iure admonens non ab argumento propugnato iſto colligi debere noſtrum Ioannem ex eadem ſtirpe fuiſſe ortum. Planè de huiuſmodi legibus plures doctiſſimi, iidemque nobiliſſimo & puro ſanguine viri, ſimiliter cenſuêre.

562. Sed neque noſtri omnia hactenus inedita codex hic continet. Nam ut index MS. librorum præſefert, quem totum legimus, codices tamen omnes in eo notatos manibus contrectare haud potuimus : codices 1130. 2267. & ſequentes, uſque ad 2273. & codex 2566. ſequenteſque, uſque ad 2580 Turrecrematæ opera iam dicta, vel alia continent. Codex 1043. fol. 265. *Quæſtiones de præceptis iuris naturalis.* Codex 4223. fol. 166. *Super Tractatum de pœnitentia* : de quo monet etiam Ciaconius ; qui & *De pœnitentia* addidit. Sed hæ partes ſunt *poſtillæ decretorum.*

563. *De Deo & angelis quæſtiones* ſunt cum tractatu *De aqua benedicta* in bibliotheca SS. Ioannis & Pauli Venetiis, Thomaſino & Spizelio teſtibus.

564. Falſum ne quid diſſimulemus, venditari exiſtimamus nobis in titulo quodam libri bibliothecæ Olivarienſis, qui *Torquemadæ lecturarum ſuper inſtitutiones Iuſtiniani* conceptus eſt in eius indice ſeu catalogo (1).

565. Hoc ipſo anno, Turrecrematæ fatali, vitâ functus eſt ALPHONSUS DE OROPESA Hieronymianus, Guadalupenſis domûs, à patria ſic appellatus : de quo multa

(1) Præter memorata *Ioannis Turrecrematæ* opera habetur in Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit. Q. Plut. II. ſub n.* 9. (T. I. p. 19.) *Epiſtola Burgis Baſileam ad Concilium proficiſcentis ad Fratres conſolatoria ;* atque *Eiuſdem* cum titulo : *Caſtellæ Regis Oratoris, alia ad Ioannem II. Caſtellæ Regem qua Ipſi ſignificat incolumem ſe Baſileam perveniſſe ; ac de nonnullis ad Concilium pertinentibus certiorem eum reddit.* Videtur autographa. In Regis Galliarum : *Sermo habitus in Concilio Baſileenſi Dominica ſecunda Adventûs anno MCDXXXII.* Part. III. pag. 131. cod. 1499. Item : *Expoſitio Cantici Canticorum.* Part. III. pag. 137. col 1. cod. 1506. Item apud Edm. Martene, & Urs. Durand. T. IV. *Theſ. nov. Anecd.* pag. 595. : *Conſtitutiones Eccleſiæ Barcinonenſis editæ per Ioannem Cardinalem Sabinenſem Legatum.* Quetifus & Echardus videntur horum non meminiſſe. Titulus autem apocryphus : *Torquemadæ Lecturæ ſuper Inſtituta Iuſtiniani*, legitur in Bibliothecæ Comitis olim Ducis Olivarienſis *Lit T. MS. pag.* 239.

ta Ioſephus Seguntinus in hiſtoria huius ordinis lib. 3. cap. 17. 18. & ſequentibus. Præfectus fuit ſodalium Talaveræ, atque inde in Bartholomæano Lupianenſi cœnobio, hoc eſt totius ordinis generalis miniſter, creatus anno MCDLVII. & famâ clarus habendarum concionum Evangelicarum artifex. Chriſtianæ autem puritatis & unitatis zelo ardens, quam frequentes ex Iudaiſmo converſorum apoſtaſiæ turbabant, indignantibus Chriſtianis veteribus adverſus noviter ad Eccleſiæ gremium receptos, quorum omnium ſive ſimulationem ſive inconſtantiam parem credebant: auctor Henrico Regi IV. fuiſſe dicitur imponendi hoc munus regnorum prælatis, ut unuſquiſque in ſua dioceſi in huiuſmodi gentis vivendi morem inquireret, granumque à palea ſecernere, ut æquum fuit, ſatageret : quod Oropeſa ipſe Alphonſi Carrilli antiſtitis mandato feciſſe Toleti dicitur. Hac occaſione ſcripſit librum huius tituli :

566. *Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael*, qui manſit ineditus, vixque è domeſticis bibliothecis hactenus erupit : quod Seguntinus ait lib. 3. cap. 18. Cuius libri hæc intentio eſt, ut eos reprehendat, qui non ex præcepto caritatis converſos amant, neque fraternè cum eis agunt ; cenſetque tam his, quàm veteribus Chriſtianis cum obſtinatis Hebræis conſuetudinem prohiberi, hiſque ultimis honorum participationem denegari oportere (1). In hoc eodem codice MS. exſtant

567. *Sermo quintæ feriæ maioris hebdomadæ. Vita S. Ioannis Chryſoſtomi.*

568. *Epiſtola* ſatis prolixa *ad Hieronymianos ſodales Aragoniæ regnorum :* quâ eos adhortatur ne derelinquant cœnobia ſua propter declinandas ibi ortas diſſenſiones inter Ioannem (*Navarræ*) Regem & Carolum eius filium.

569. *Sermones* docti admodum in quatuor capitulis generalibus annorum MCDLIX. MCDLXII. MCDLXV. ac MCDLXVIII. habiti, cùm ipſe his ſingulis annis crearetur Generalis præfectus. Sub cuius duodennalis præfecturæ finem, XXVIII. die Octobris anni MCDLXVIII. diem vidit extremum (2).

CA-

(1) Habetur in Bibliotheca Collegii Sancti Bartholomæi Salmanticenſis hoc titulo : *De unitate Fidei, & de concordia & pacifica æqualitate Fidelium. Ad Alfonſum Carrillum Archiepiſcopum Toletanum.* Apud March. de Alvêntos *Hiſt. Coll. S. Barth. Salm. T. III. pag.* 309.

(2) ADDENDI AB ANNO MCDLX. AC DEINCEPS, AD ANNUM CIRCITER MCDLXX.

AC PRIMUM omnium huc refero *Gabrielem de Caſalfagés* Catalanum Barcinonenſem, alterum è triumviris ex Ordine Prædicatorum, qui ad annum MCDLXIII. electi fuêre ut Romæ coram Papa Pio II. cum totidem Franciſcanis fratribus diſputarent ſuper celebri, quæ tunc agitabatur, quæſtione : *Utrum ſanguis Chriſti effuſus in cruce permanſerit Perſonæ Verbi adunatus : ut Corpus eius in ſepulcro eidem Perſonæ hypoſtaticè coniunctum permanſit;* cuius ac duorum in disputatione Collegarum *Iacobi de Brixia, & Vercellini de Vercellis*, tractatus *De Sanguine Chriſti* editus à Quetifo & Echardo dicitur *T. I. pagg.* 822. & 824. *col.* 2. unius autem Gabrielis tractatus : *Adverſus hæreſes ſui temporis. Praxis procedendi in cauſis Fidei... Sumn. S. Thomæ in compendium reducta* apud eoſdem Bibliographos *T. I. pag.* 825. *col.* 2. Item *Anonymum Hiſpanum* memoratu digniſſimum, cuius in Regiæ Bibliothecæ Matritenſis membranaceo formâ folii codice exſtat : *Epiſtola directa ad inclytum & magnificum Virum Dominum Petrum Fernandi de Velaſco Comitem de Haro & Dominum antiquæ Domûs de Salas Sereniſſimi atque inviciſſimi Domini noſtri Regis* (Joannnis ſecundi, ut exiſtimo) *Archicamerarium.* Conſtat autem Epiſtola capitibus XII. impletque folia non minus XXIV. eſtque ſalubribus monitis plena. Auctor videtur Comiti de Haro valde familiaris fuiſſe eiuſque in prœliis commilito ac contubernalis, atque operi cui Epiſtola præfigitur *Catonianæ Confectionis* titulum indere voluiſſe ; ſic enim in capite XII. quod eius poſtremum eſt ait : Et ſicut alterius Catonis *Iuriſconſulti cuidam legali doctrinæ Legiſtæ* CATONIANÆ REGULÆ *nomen dederunt : ſic & Claritas tua huius antiquioris & moralis Catonis ſalubrium monitorum copilationem dulcium rhythmorum congerie refertam Catonianam confectionem ſi libet poteſt vocare : ut librarius tuus quando illam petere voluerit facilius in ſilva librorum tuorum nominis adiectione valeat reperire. Nolo tamen ut putes me hanc confectionem compoſuiſſe ; cum ingenium meum longe inferius ſit ; neque in ea aliqua mutâſſe vel addidiſſe ; ſed prout in Bibliotheca mea ruptam ac fere conſumptam repereram tranſcriptione in lucem trahi, & inſigni nobilitati tuæ deſtinare decrevi : quam quidem ne nude tranſmitterem quaſi in quadam præfatiuncula hæc tibi dicere volui. Tu vero qui ingenio ac prudentiâ non mediocriter polles, quid in huiuſcemodi rebus amplius dicendum ſit Divini auxilii invocato favore animadverte* &c. Sequitur in codice *Catoniana confectio* CCCVI. non minus ogdoadibus rhythmicis conſtans, quarum omnium quartus, & octavus ſive poſtremus verſus metrici item ſunt, ex iis quæ *Catonis diſticha* paſſim appellantur deſumtus. En operis ſpecimen.

Ogdoas I^a.

In primis chariſſime te volo docere.
Primum ſuper omnia regnum Dei quære.
Illi ſoli ſervias, illi ſemper hære
Si Deus eſt animus ut dicunt carmina vere.
Hic tibi præ ceteris ſit ſemper timendus,
Tota mente viribus totis diligendus:
Hic per cuncta ſæcula ſit benedicendus,
Hic tibi præcipue ſit purâ mente colendus.

II^a.

Inter ſalubertimos monitus quos præſto,
Hunc tibi non modicum, fili, manifeſto,
Uti ſomno ſtudeas ſcilicet modeſto

Plus

CAPUT XI.

LUPUS BARRIENTUS *Dominicanus : eius honores & ſcripta.* NICOLAUS SAGUNTINUS. RODERICUS DIDACI DE QUESADA. LUPUS DE SALINAS *Franciſcanus.* D. IOANNES CARVAXALIUS *Cardinalis.* ANTINCHUS DE BAGES. RODERICUS SANCII DR AREVALO. *Honores ac munia ab eo obita, item ſcripta.* FR. THOMAS DE TOLEDO *Dominicanus.* IOANNES VALERUS *Maioricenſis.*

570. SUCCEDIT ordine temporis dicendus à nobis LUPUS BARRIENTUS (vulgò *de Barrientos*) ſequenti anno MCDLXIX. è vivis ereptus. Patriâ fuit ex oppido *Medina del campo*, ex nobili & antiquo illius civium genere, Petri Guterii filius, anno præteriti ſæculi MCCCLXXXII. in lucem editus. Qui quidem ſodalium Dominicanorum ad S. Andreæ patrium cœnobium inſtituto aggregatus, religione ac literis clarus brevi tempore adeò apparuit, ut ei primo omnium ſui ordinis primus Theologiam docendi locus & ſedes Salmantinæ academiæ iure ac meritò commendaretur. Vocatus inde in curiam, Ioannis Caſtellæ Regis lateri à ſecretis conſcientiæ adhæſit; atque eodem tempore Henricum principem literas docuit, & Chriſtianæ vitæ præcepta; cui-

Plus vigila ſemper nec ſomno deditus eſto.
Sicut enim ſimile regiſtrum regiſtrat,
Et ſiniſter proximus proximum ſiniſtrat,
Et magiſter vitii vitia magiſtrat:
Sic diuturna quies vitiis alimenta miniſtrat.

Et ſic deinceps ad finem uſque operis, quod binis libris diſcretum eſt. ITEM *Matthiam Mercaderium* Equitem atque Archidiaconum Valentinum Ximeno indictum, auctorem *Tractatus De re accipitraria, ſeu de medendis accipitrum morbis : ad Ferdinandum utriuſque Siciliæ Regem anno MCDLXV.* Italico *Sermone* ; atque item, ut videtur : *De binis accipitrum generibus Italicè* ASTORE ET SPRAVIERO *appellatis* : in Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit. C. Plut. IV. ſub n.* 6. (T. I. p. 315.) ITEM *Antonium Bou* Equitem & Canonicum Valentinum, cuius in patriæ Canonicorum Collegii Bibliotheca, bina ad hanc diem exſtant Latinè ſcripta *Sermonum de Sanctis* volumina, chartacea, forma 4.ª ſæpius à me viſa & contrectata. In prioris fine legitur : *Expliciunt Sermones Sanctorales editi per Rev. Mag. Antonium Bou Sacroſanctæ Theologiæ Profeſſorem Sedis Valentiæ Canonicum huic Bibliothecæ dati anno MCDLXVIII.* ITEM *Ioannem Petri* (Perez) Sætabitano-Valentinum ex Ordine Prædicatorum, qui circa annum MCDLXX. ſcripſiſſe dicitur *Commentaria in Eccleſiaſticum : In duodecim Prophetas minores : In Epiſtolas Canonicas*, à Diago *Hiſt. Prov. Arag. Ord. Præd. Lib. II fol.* 274. *col.* 1. *fin.* unde id ſumsêre mutuum Quetifus & Echardus *T. I. p.* 85. & Ximenus *Bibl. Val. I.* 50. ITEM *Hugonem de Urries* Ioannis ſecundi Aragonum Regis Pincernam & Conſiliarium, cuius exſtat Hiſpanica Valerii Maximi librorum è lingua Gallica verſio, anno MCCCCLXVII. ſcripta. En libri titulum : *Comiençan las rubricas que Valerio Maximo Romano compuſo, que fue transferido de Latin en Lengua Franceſa por Maeſtre Simon de Hedin maeſtro en Santa Teologia ; deſpues del Lenguage Frances lo trasladó en el Romance de nueſtra Hyſpaña Moſſen Hugo de Urries Cavallero, y del Conſejo, y Copero mayor del Sereniſſimo Rey de Aragon Don Juan Segundo digno de inmortal memoria : la qual translacion fizo en la Ciudad de Bruges del Contado de Flanders : en el año de Mill CCCC. LXVII. ſtando Embajador en Anglatierra & Borgoña de Su Mageſtad.* Edita Cæſaraugustæ apud Paulum Hurus Germanum de Conſtantia MCCCCXCV. Fol. Penes me. Item Compluti MDXXIX. in Bibliotheca olim D. Ioachimi Ibannecii Garſiæ Præcentoris Turolenſis. ITEM *Petrum Guillelmum* (Guillèn) qui teſte Fratre Hieronymo de Olivares Alcantarenſi auctore Supplementi ad Tractatum Ioannis de Mena : *De vitiis & virtibus* (Edit. de las CCC. Antuerpiæ 1552. pag. 743. init.) ſcripſit aliud eiuſdem operis ſupplementum : *Aſſimiſmo* (inquit l. c.) *vi fecho otro fin del tratado de vicios y virtudes de Juan de Mena por un Pero Guillèn gran trobador, à mi ver* &c. ITEM *Raymundum de Llavia* auctorem Prologi Sylloges Poematum Caſtellanorum ſub Ioanne II. Enrico IV. & Regibns Catholicis, ad Dominam Franciſquinam de Bardaxí uxorem magnifici Domini Moſen Ioannis Fernandez de Heredia Gubernatoris Aragoniæ : de quò Cl. Anonymus auctor Vitæ Ferdinandi Perezii de Guzman, præfixæ huius operi *De las generaciones y ſemblanzas* editæ Matriti 1775. fol. 191. p. 2. Diverſus autem eſt à *Romæo de Levia* ſive *Livia* Ord. Præd. cuius ſuprà *Lib. VIII.* c. 2. n. 7. in Not. meminimus.

ius & à confeſſionibus miniſter fuit.

571. Factus hinc Segovienſis Epiſcopus, & Caſtellæ archicancellarius, Abulenſem aliquantò pòſt pro Segovienſi ſua permutavit Eccleſiam ; ne iſthic manens, Ioannis Pacieci Villenatum Marchionis à Rege averſi, atque in ea urbe cum Henrico principe cuius gratiam obtinebat frequenter commorantis, impotentiæ viribus ſubiaceret. Porrò ad Conchenſem anno huius ſæculi. XLV. promotus, in illud tempus incidit quo fatalis illa in Pinciæ foro maximo recitata fuit Alvari Lunæ ſupplicii tragœdia : quo excuſſo iugo, Ioannes Rex probus aliàs & iuſtus, ne ſolus, aut ne quidem tunc, ſubiret regendi onus, Lupum noſtrum, & Gundiſalvum ab Illeſcas Hieronymianum Guadalupenſis monaſterii præfectum, *viros ea ætate* (ait Mariana lib. 22. cap. 14.) *integerrimos ſanctoſque*, adminiſtrandæ publicæ rei conſiliarios aſcivit, ac dum vixit ſecum habuit. Eo mortuo, cùm Henrici ſucceſſoris proſtitutam lenitatem ac lentitudinem minus probaret : auditus hac re ſuper ab eo & non exauditus, ad Eccleſiam ſuam proprio paſtoris munere functurus rediit, ubi anno ſuperiùs dicto MCDLXIX. Maii triceſima die obiit.

572. Res eius, quarum compendium fe-

fecimus, latiùs enarrant Ægidius Gundiſalvi Davila *Theatri Eccleſiaſtici* auctor, in Abulenſibus, Conchenſibus, ac Segovienſibus Epiſcopis ; atque in huius ultimo dictæ *Segovienſis urbis hiſtoria* excultus hiſtoricus Didacus Colmenares, Ant. Cianca in *Hiſtoria S. Secundi Epiſc. Abulenſis* §. 87. Ioannes Monopolitanus Epiſ. in *Hiſtoria ordinis Prædicatorum*, tertia parte lib. 2. cap. 46. Ludovicus Ariz in *Abulenſi hiſtoria.* Ab hoc habemus quædam vulgaris linguæ opuſcula, quorum nunquam factus fuit publicus uſus. Vidimus nos in codice quodam MS. qui olim fuit Didaci eiuſdem Colmenaris, & poſtea domini Chriſtophori de Zambrana & Villalobos Calatravenſis equitis ; noſtri amici, qui bene inſtructam bonorum librorum Matriti habuit bibliothecam : quorum nos, uti proſtant, epigraphas dabimus.

573. *Tratado del caſo y fortuna, compilado por mandamiento del Chriſtianiſſimo Rey Don Juan el ſegundo de Caſtilla y Leon, por la ſu humilde fechura inutil Obiſpo de Cuenca, ſu confeſſor, y maeſtro del ſereniſſimo principe Don Henrique ſu amado hijo.* Incipit : *Rey Chriſtianiſſimo, principe de gran poder.*

574. *Tratado del dormir y deſpertar, y del ſoñar ; y de las adivinanzas, y agueros, y profecias, compilado* &c. eodem initio.

575. *Tratado del adivinar, y de ſus eſpecies, y del arte magica :* eodem principio. Fuerunt & in bibliotheca Olivarienſi (1). Item

576. *Llave de la ſabiduria.* Quem tractatum, ſive Latinum ſive vulgarem, *Hiſtoria ordinis Dominicani*, quam nuper laudavimus eidem attribuit (2).

577. *Opuſculum ſuper intellectu quorumdam verborum cuiuſdam decreti contenti in volumine Decretorum, ubi Gratianus tractans de materia ſacrilegii in cauſa 17. & quæſt. 4. ait : Sacrilegii quoque reatum incurrit qui Iudæis publica officia committit.* Incipit : *Quæſitum à domino* &c. Ac deſinit: *Hæc ſunt, diſſertiſſime baccalauree, quæ breviter ſentimus circa tui quæſiti propoſitionem* &c. Opuſculum hoc MS. habet Matriti D. Ioannes Lucas Corteſius, civis meus, toties à me laudatus ; atque idem, & alii tres tractatus ſupra memorati, hodie ſunt antiquiſſimè MS. in bibliotheca, quæ Comitis Villumbroſani Caſtellæ præſidis olim fuit, nunc autem eſt excellentiſſimæ coniugis, quæ ſtudia hæc & libros amat.

578. *Inſtruccion ſynodal.* Quam aſſervari in archivo Segovienſis Eccleſiæ, cui quidem facta fuit, occaſione forſan Synodi in loco *Turuegano* eiuſdem dioecefis anno MCDXL. celebratæ, Colmenarius refert [a]. [a] Pag. 346.

579. *Indicem* quoque *Latinum* confeciſſe dicitur *ad S. Antonini Florentini præſulis ſummam theologicam*, in eodem tabulario Segovienſis Eccleſiæ, ut idem ait, exſtantem. Quædam de Barriento diximus in Henrico Villenatum Marchione ſuprà.

580. In bibliothecæ regiæ S. Laurentii Eſcorialis indice librorum MSS. lego exſtare ibi Onoſandri *De re militari* librum à NICOLAO SAGUNTINO traductum, ſcriptumque MCDLXIX. Onoſander Platonicus philoſophus *Strategum*, ſive *De optimo Imperatore atque eius officio*, opus ſuum inſcripſit ad Q. Varannium : cuius huiuſce traductionis è Græco in Latinum meminit etiam Geſnerus in Bibliotheca, atque eius epitomator. Prodiiſſe autem unà cum Vegetio ait Venetiis, & Baſileæ aqud Robertum Vinter. At hunc interpretem non temerè Hiſpanis contribuere nos, ut credatur, Saguntini, à patria Sagunto, quod in ruinis ſuis adhuc ſemivivum Valentiæ regni oppidum eſt, cognomen ſperamus efficiet (3).

581. Anno MCDLXX. ſcribebat RODE-

(1) Legitur in eius Bibliothecæ Catalogo MS. p. 206. *Don Lope de Barrientos. Algunos tratados ſuyos. Del caſo y fortuna : Del ſueño y vela : Del adevinar y otros. Fol. letra antigua. L.* 21. Item, in Eſcurialenſi *Lit. h. Plut* 3. *n.* 13. (T. II. p. 117.) ſub *Anonymi Epiſcopi Conchenſis* titulo : *Tratado de la Divinança y ſus eſpecies, que ſon las eſpecies de la Arte Magica : por mandamiento del mui eſclarecido è mui poderoſo è chriſtianiſſimo Rey Don Iuan* (II.) *compilado por la ſu omill fechura Obiſpo de Cuenca.*

(2) Nihil præterea de hoc opere Quetifus & Echardus *T. I. p.* 814. *col.* 2.

(3) Exſtat quidem in Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit. S. Plut. III. n.* 14. (II. 596.) & *Lit. g. Plut. III. n.* 18. (II. 30.) *Onoſandri Strategicus*, ſive *De Optimo Imperatore. Ad Alfonſum Aragoniæ &* *utriuſque Siciliæ Regem ;* Sed è prioris exempli prologo omnino conficitur Venetum eum fuiſſe & Venetorum Reipublicæ nomine ad Alfonſum Aragoniæ ac Neapolis Regem internuntium ; atque in Bibliothecæ Regis Galliarum codice 4154. (*Part. III. p.* 554. *col.* 1.) Euboicus dicitur ; exſtatque eius *Oratio de Mahumetis Imperatoris Turcorum Ottomanorum naturâ, moribus & ingenio ;* minoraque alia. Ximenus quoque Saguntino Muriveterenſem facit Noſtri præiudicio abreptus ; atque item *Bartholomæum Faccium* (Fachs) notiſſimum *rerum Alfonſi Neapolitani Regis* & aliorum operum Scriptorem, Valentinis noſtris adſcribit ; ſed fortaſſis Genuenſis fuerit. Videndus ; atque è contrario eiuſdem Bartholomæi Faccii, editio Baſileenſis *Latinæ Arriani verſionis* apud Robertum Winter 1539. 8.° in cuius initio habetur, *Iacobi* cuiuſdam *Curulis Genuen-*

DERICUS DIDACI DE QUESADA, huius oppidi civis in Bætica, commentarium quendam *De cosas acaecidas en la villa de Quesada*: quem penes se habere Martinus de Ximena Jurado in *Annalibus Ecclesiæ Giennensis* scriptum reliquit [b].

[b] Pag. 324.

582. Circa hunc ipsum annum MCDLXX. florebat, & fato cessit, LUPUS SALINAS Franciscanus, custodiæ Burgensis, quæ in provinciam postea erecta fuit, fundator; & restitutæ disciplinæ regularis (ait Wadingus *De Scriptoribus sui ordinis*) in Hispania indefessus propagator, Comitibus de Haro carissimus. Huius ascetica quædam opuscula in vetusto magno codice bibliothecæ cœnobii S. Stephani ad Ulmos ab eo fundati prope Burgos haberi adiungit idem, nempe:

583. *Espejo de superiores religiosos.*

Escuela de la perfeccion regular, hasta subir al perfecto amor de Dios.

Antidoto de los abusos y males que relaxan la vida monastica.

Conferencias espirituales sobre el Evangelio de la Transfiguracion.

Su testamento. In quo multa salutaria dogmata suis discipulis præscribit.

Item in cœnobio S. Mariæ Angelorum urbis S. Dominici Calceatensis asservari ait

Reglas, y formas de vivir, constituciones, y catecismos, para el mejor gobierno de los Religiosos de la dicha custodia.

Iacet apud moniales Sanctæ Claræ oppidi *Medina de Pomar*, in sepulcro ibi à loci domino Hari Comite constructo.

584. Annus idem sæculi sexagesimus nonus Romæ abstulit magnum purpurati Senatûs lumen D. IOANNEM CARVAXALIUM Truxillensem, nobilissima hac stirpe natum: qui Rotæ priùs iudex ob eximiam iuris doctrinam assumtus, indeque gubernator Romanæ urbis, Placentinus in Hispania Episcopus, tandemque S. R. E. Cardinalis, ut ab Eugenio IV. anno MCDXLVI. allegeretur, iure obtinuit meritoque. In eo honorificentissimo munere usque ad extremam senectutem sic de Ecclesia atque eius pastoribus summis Eugenio, Nicolao, Callisto, Pio, tandemque Paulo II. meruit, legationibus haud minus triginta duabus præstanter obitis, sententiâ nunquam non doctè, eloquenter, modestè, atque integerrimè in Senatu dictâ: ut si exemplar huius muneris posteritati commendandum esset, non ita facilè alium à Carvaxalio, vel sapientissimi censores elegissent. Profuit quoque scribens

585. *In Apostolicæ Sedis defensionem.*

Legationum suarum relationem compendiariam.

Epistolas à Doctis multum laudatas: quod ait Cardinalis Papiensis, qui & multas ad eum scripsit (1). Romæ obiit septuagenarius VI. Decembris anni MCDLXIX. iacetque ad S. Marcelli Servitarum templum, in sepulcro, quod procuravit ei Bessario Cardinalis Nicænus (2).

586. Vivebat hoc tempore in Aragoniæ regno ANTINCHUS DE BAGES (ANTINCH vocant) Cæsaraugustanus, Legum (quæ *Observantiæ* audiunt) Aragoniæ regni glossator: cuius hoc opus in tabulario disputationis eiusdem custodiri, Michael Molinus in *Repertorio* suo *fororum Aragoniæ* [c] notatum reliquit; at alia passim, & penes se quoddam exemplum esse, Ioannes Franciscus Andreas Ustarrozius docuit in *Notitia auctorum* MSS. quibus in libro suo *Co-*

[c] Fol. 337.

ronationum usus fuit: quo loco annotat Bagesium colligendis originalibus Cæsaraugustanæ urbi concessis privilegiis anno MCDLXXI. primùm incubuisse, illustrandisque: cuius operæ suam subiunxisse anno MDXLIX. alium, Michaelem Anchias vocatum, exindeque duo volumina in folio nata: Antinchum quoque ait Alphonso V. & Ioanni Aragoniæ Regibus à secretis fuisse. Hunc vocatum *Ioannem* (alterius Ioannis filium) Antinch de Bages fuisse; & *Arborem genealogicam Aragoniæ Reb. Biblioth. vet. Hisp.* Tom. II.

(1) In Bibliotheca Laurentiana Medicea Angeli Mariæ Bandini 1774. *T. I. col.* 202. Plut. XVI. cod. XI. ad pag. eius codicis 157. legitur: *Altera propositio ex adverso, parte olim Eugenii per Io. de Carvajal & Nicolaum de Cusa primos duos Nuntios eius super magnificandam Papæ auctoritatem & respondentes ad obiecta Concilii.* Atque ibidem ad pag. laudati codicis 190. *Summaria relatio de expositis per Io. de Carvajal & Nicolaum de Cusa Oratores olim Eugenii ultima audientia illis concessa primo dissuadente credi, quia non omne Concilium, esset Concilium; & alio quoque generalia errare Concilia prosequente; nec valere quod agit Concilium absque Papæ consensu.* Et eiusdem Plutei cod. XIII. col. 217. n. XXVIII. *Litera missa per Dominum Sancti Angeli Domino Imperatori.* Et col. 218. n. XXXIX. *Episcopi Portuensis ad Pontificem Litera.*

(2) Exstat apud Ciaconium T. II. p. 926. hoc titulo:

IOANNI. CARVAIALI. GENERE. IBERO
PONT. PORTUENSI
S. R. E. CARDINALI. PATRUM. SPLENDORI
VIRTUTUM. DECORI. DE. RELIGIONE
ATQVE. OMNI. REP. BENEMERITO
Q. VIXIT. A. LXX.
BESSARIO. CARD. NICAENUS
COLLEGAE. PIENTISSIMO.

Extitisse olim dicitur Romæ in æde Sancto Marcello Martyri sacra in via CURSUS, hodie Servorum B. MARIÆ: quæ cum ad annum MDXIX. XII. Cal. Maii integrè conflagrâsset, consumtum & illud fuit. Instaurata tamen postmodum æde, restitutoque utcumque monumento, in eiusdem ara SS. Philippo Benitio & Iulianæ de Falconeriis dicata, hoc ei dodecastichum in prioris locum suffectum fuit, quod nos ex archetypo in Ephemeridas nostras Romanas retulimus:

Pontificum splendor iacet hic sacrique Senatûs;
Namque animo Petrus, pectore Cesar erat.
Hunc genuit Bætis, rapuit sed Roma tenetque.
Corpora velat humus, spiritus astra colit.

Im-

Imputat hunc Bætis Latio, cui fama perennis,
Puniceus sacro vertice fulsit apex.
Victus honor meritis, contempta & munera vitæ
Dum meliore sui vivere parte cupit.

Ætherei qui magna fuit tutela Senatûs,
IOANNES iacet hic CARVAJAL gentis Iberæ
Angelis in titulo princeps, & Episcopus almi
Portûs, cuius habet meritis iam spiritus astra.

Lupini scilicet pro ære, immo pro obryzo ac defæcato auro. Sed longe utrumque hoc elogium superat *Iacobi Ammanati* Cardinalis Papiensis, optimæ fidei historici, oculatique eorum quæ narrat testis, de Ioanne Carvajalio tractus, in quem incidi recensens Escurialensem codicem *Lit. a. Plut. IV. n.* 25. atque ut parabilior sit, cumque editis eiusdem exemplis conferri valeat, integrum hoc loco sistere placuit: *Vocatus* (inquit) *præsto fuit* PIO II. *ad Cœnobium Divi Benedicti in radicibus montis Soractis divertenti IOANNES CARVAGIAL genere Hispanus & Episcopus Portuensis, Cardinalis Sancti Angeli vulgo dictus: qui eodem die maturato itinere ex Urbe venerat. Etenim cum biduo antè Pontifex ab Hieronymo Præsule Cretensi literas accepisset in quibus significabatur magnam Cruce-signatorum multitudinem quotidie Anconam confluere, & lamentari, quod Pontificem qui eos traiiceret non invenissent: veritus ne, quod accidere in talibus solet, turba diversarum &... tumultum aliquem per otium excitaret, aut in diversa dilaberetur: præmittere HVNC intendebat, qui deductis confestim navigiis in Peloponnesum eos traduceret; homine autem opus existimabat cuius auctoritatem illi secuti desiderio non tenerentur Secum, quem tardare oportebat, in classe eundi. Hanc igitur ob causam CARDINALI ad se maturius evocato, rationem vocationis prima in collocutione proponit, & ut profectionem capiat impensius deprecatur: verecundè admodum annoso seni & attrito iam pro Ecclesia Dei onus tam grande iniungebat. Sed magnitudinem rei considerans & imminentem necessitatem, cognoscensque quàm pauci essent qui susceperi mandatum hoc viderentur, annis eius parcendum non duxit. Affui ego solus* (inquit Papiensis) *sermonibus his cum habebantur: una semper atque eadem constans IOANNIS vox fuit plena humilitatis & spiritûs:* Si is sum, Beatissime Pontifex, quem tantis rebus idoneum iudices: sequor sine mora imperium tuum, & certe etiam exemplum, qui in fragili valetudine animam pro me ponis & pro ceteris ovibus tuis. Spiritus meus (*promtus*) est. Imperatur ut vadam. Ecce inter ingredior Pars hæc vitæ ultima neganda Christo non est. *Commovêre hæc verba Pontificem, & quanto maius robur animi in sene agnovit, hoc ei dolentius est compassus. Amabat unicè PIVM nostrum IOANNES, & suasor vehemens & confirmator fuerat huius sancti propositi, increpans eos continuè qui infirmioribus animis dissuadere illi navigationem hanc contendebant. Id agens videlicet amabilis Deo senex, ut extremus vitæ actus reliquis non esset absimilis; obierat enim ante Cardinalatum legationes complures, difficiles omnes & plenas semper periculo. Cardinalis creatus, sedente Nicolao V. in Germaniam rursus est missus. Succedente dein Callixto (III.) statim ab initio Pontificatus in Pannoniam atque omnem oram Illyrici ad bellum in Turcos iussus est ire. Sexennalem ibi legationem inter asperam gentem & cælum insalubre gessit. Versatus sæpe in castris est. Sæpe etiam nuntiatis irruptionibus hostium in occursum contendit cum militibus qui crucem assumpserant. Desertus nonnumquam à suis, quos ex Hispania & Italia in domesticum famulatum adduxerat, seipsum numquam deseruit. Patienter pro Christo tulit omnia. Languit inter hos labores annum fere continuum usque ad desperatam salutem: propter vim etiam frigorum quibus infesta ea regio est, ita dentes ei omnes emoti sunt, ut quotidianis pelliculis advolutis, sicut videmus, illos ægre retineat. Innumeris porro difficultatibus uno aliquando tempore afflictus, nunquam tamen.... est desperatus. Erat ergo PATRI sexagenario in tot anteactis ærumnis legitima excusatio provinciam deprecandi etiam iuvenibus operosam; sed numquam ei in mentem venit carnis contemptricem. Pro Deo & pro imperio Romani Pontificis quàm patientissimè subeunda omnia iudicavit. Rara hæc virtus est, Præstantissime Pater: rara in duris legationibus obedientia. Magni esse & honorari in populis volumus, sed pro communi salute incommoda ferre æque non possumus::: Dignatus est eo die PIVS honore mensæ suæ illum & me....* Et alio loco: *Ipse PIVS accersiri ad se statim Cardinalem Sancti Angeli iubet, quem proposita sui inter ceteros studiosum habebat. Hunc præsente me consulit: quid si obsideatur Ragusia à Turcis quemadmodum nuntiabatur, agendum existimet? Ille ut erat semper ad bonum opus paratus, nihil cunctatus:* Ibo (*inquit*) ego actutum cum triremibus quæ instructæ in portu sunt; & vel obsidionem Deo adiuvante dissolvam, vel territis oppidanis spem atque animum faciam. *Ecquid, inquit Pontifex, Frater connavigare tecum me prohibet? Consilium certum est, si illuc Turcus adveniat, cum iis quas potero triremibus eòdem sine mora conscendere &c.* De rebus gestis Ioannis Carvajalii commentarium edidit Romæ anno MDCCLII. apud Laur. Barbielinum Dominicus Lopezius Barrera Compostellanus amicus in paucis dum vixit noster.

Pp va

va Segovienſis diœceſis anno huius ſæculi quarto, *poſt* decurſum in Salmantina academia & iuris ſtudio decennium integrum, ſuſceptaque doctoratûs inſignia, ſacerdos factus: variis inde per Hiſpaniam dignitatibus, nempe in Burgenſi Eccleſia Trevinienſis archidiaconatûs annis viginti, ſeptemque aliis Legionenſis decanatûs, duobuſque Hiſpalenſis, quod ipſe de ſe alicubi teſtatum voluit, perfunctus eſt.

588. Planè è quodam libro eius *De remediis ſchiſmatis*, inter Vaticanos codices MS. cuius poſtea meminimus, conſtat, archidiaconus Trevinienſis cùm eſſet, & Regis ſecretarius, inſcripſiſſe eum hunc librum Garſiæ Henrici Hiſpalenſi Archiepiſcopo; & paulò antè, hoc eſt circiter annum MCDXL. in curia Frederici Imperatoris egiſſe Legatum Ioannis II. Regis, cuius nomine habita ad Cæſarem oratio exſtat in Vaticano quodam codice manu exarato; quemadmodum aliæ, quas eodem munere functus habuit ad Eugenium IV. de rebus Baſileenſibus, ad Philippum Mariam Mediolani Ducem, ad Carolum Franciæ Regem. Ex quibus certò conſtat, à tempore ipſo Concilii Baſileenſis circa annum ſæculi quadrageſimum has publicas vices de rebus utique magnis eum ſæpiùs obiiſſe. Immo è Roma ipſa profectum Nicolai V. Papæ nomine apud Philippum Burgundiæ Ducem oratorem egiſſe. Porrò autem cùm decanus adhuc eſſet Hiſpalenſis Eccleſiæ, denuò Romam ſe contulit ad Calliſtum III. &c. Pontificem recèns electum, Orator obedientiæ, ut vocant, Henrici Regis, ut ait ipſe partis quartæ *Hiſtoriæ Hiſpanicæ* cap. 36.

589. Quo in loco, ut credimus, hinc perpetuò manſit, Ovetenſis brevi factus Epiſcopus; nam huic Sedi iam præerat quum electo in Calliſti locum Pio II. quod anno contigit MCDLVIII. eiuſdem Regis Henrici iuſſu, atque eius regnorum nomine, *puram, debitam, ac ſolitam reverentiam, & obedientiam* (ut verbis eiuſdem cap. 40. eiuſdem partis dicam) præſtitit: quocum ad inferendum ultra mare Turcis bellum auxiliares principum copias Anconæ fruſtrà exſpectante, quum ægritudine animi oppreſſus diem ibi ſuum obiit, tranſfretare paratum ſe fuiſſe ibidem ait. Sub Paulo autem II. Pii ſucceſſore adhuc maioribus cumulatus honoribus in urbe uſque ad obitum vixit. *Hic Pontifex* (ait) *qua die apicem ſummi Pontificatus aſſumſit, de ſacri Collegii aſſenſu, non ſine ſingulari confidentia, me indignum ſed fidum præfectum Caſtellanum caſtri S. Angeli de urbe inſtituit* (Hiſpanum Venetus!): *quippe qui iocalia, & Eccleſiæ Romanæ theſauros fidei meæ commiſit. Deinde* (ſubiungit) *pro ſua animi nobilitate & munificentiſſima liberalitate me ipſum indignum primò ad Zamorenſem Eccleſiam, deinde ad Calagurritanam, tandem ad Palentinam tranſtulit.*

590. At quia ſtilo eiuſdem hucuſque uſi ſumus, præſtat cetera quoque non alio proſequi. *Verùm cùm iuſſu ſuæ Sanctitatis* (ait) *pluribus annis caſtri S. Angeli* (hæc eſt arx Romanæ urbis Tiberi fluvio adiacens, & Hadriani Cæſaris vetus & ampliſſimum ſepulcrum cingens) *curam & adminiſtrationem gererem, ubi ſatis otii ſupererat: de eiuſdem ſuæ Beatitudinis mandato ad gloriam omnipotentis Dei, & Eccleſiæ Dei exaltationem & decorem, ac veritatis dilucidationem nonnulla opuſcula inculto rudique eloquio edidi.* Sunt quidem ea parùm exculto ſtilo, ut fatetur, & quandoque barbaro, edita; ſed utique doctiſſima, & humaniorum diſciplinarum floribus ſæpiùs conſperſa. Horum ſequemur ordinem ab ipſo ſervatum, adnectentes quænam publicata, aut quibus locis ſint, & quænam inedita, & ubi remanſerint. Primò ait ſe ſcripſiſſe magni voluminis librum:

591. *Defenſorium ſtatus Eccleſiaſtici* dictum, *contra querulos, æmulos, & detractores prælatorum & clericorum, diviſum in decem tractatus*: de cuius editione nihil novimus. Ms. vidimus in codice Vaticano 4106. ad Paulum II. Papam. Incipit: *Clamat propheta in vocem gaudii dicens: Lauda ſterilis, quæ non paris*, &c. volumen eſt vaſtum in folio chartaceum. In fine: *Explicit Defenſorium Eccleſiæ editum & compilatum per reverendum dominum Rodericum Epiſcopum Zamorenſem, utriuſque iuris doctorem ſummum, anno MCDLXVII. anno D. N. Pauli II. tertio.* Meminit auctor ipſe huius operis nuper à ſe editi in *Speculi* paulò pòſt laudandi lib. 1. cap. 1.

592. *De paupertate Chriſti & Apoſtolorum; & an Chriſtus & Apoſtoli mendicârint, & quo ſenſu dici poteſt eos mendicâſſe. Ibi denique* (ait) *deducitur prælatos & clericos modernos non deviare à vita Apoſtolica; licèt obtineant propria, poſſeſſiones & præbendas diſtinctas, & quamquam ſegregatim in domibus propriis habitent: nihilominus eos vitam communem à ſanctis patribus inſtitutam ducere cenſendos fore.* Integra dedimus auctoris verba pro libri argumento. Liber MS. exſtat in codice Vaticano 969. cum hac inſcriptione: *Ad ſanctiſſimum & clementiſſimum patrem & dominum Paulum Papam II. libellus incipit: De paupertate Chriſti creatoris & dominatoris omnium, necnon Apoſtolorum eius; & quæ, & qualis inopia & mendicitas fuit in eodem & Apoſtolis; & de concordantia conſtitutionum, quæ ſuper eadem re à Nicolao III. & Ioanne XXII. emanârunt.* Incipit: *Clamat Ieremias propheta*, &c. Iuſtum eſt volumen in folio. Rurſus proſequitur: *Iuſſu eiuſdem Pontificis edidi*

593. *Librum, ubi agitur: An ſine peccato fideles licitè fugiant à locis ubi ſævit peſtis.* Ms. ſervatur in codice Vaticano 4881. cum aliis pluribus eiuſdem; & in bibliotheca Ambroſiana Mediolani. Item librum.

594. *De monarchia orbis. In quo oſtenditur apud Romanum Pontificem reſidere veram orbis monarchiam.* Habetur in eodem Vaticano codice 4881. cum hac inſcriptione: *Liber de monarchia orbis, & de origine & differentia cuiuſvis principatus, tam imperialis quàm regalis; & de antiquitate & iuſtitia utriuſque, duobus libris. Primus agit de prædictis, & an Imperatores moderni iuſtè poſſint prætendere iuriſdictionem univerſalem & ſupremam ſuper omnes orbis nationes; & an aliqua regna & provinciæ, præſertim Francia & Hiſpania, ſint de iure libera & exemta ab imperio. Oſtenditur etiam veram orbis monarchiam ſolùm reſidere in Romano Pontifice. Secundus liber agit, à quo, & ex quibus cauſis Reges & principes orbis recognoſcentes aut non recognoſcentes ſuperiorem in terris poſſint puniri aut deponi. Ubi deducitur ſolùm ad Romanos Pontifices ſpectare eandem punitionem, & non ad populum, nec ad barones cuiuſvis regni.* Dedimus totum libri argumentum, utpote adhuc inediti, ex ipſa eius epigraphe, quam habet in dicto codice Vaticano. Meminit verò auctor ipſe, tamquam nuper à ſe editi, ſive, ut intelligo, publicati, lib. 1. *Speculi vitæ humanæ* de quo infrà c. 1. Item

595. *Defenſorium* huius *libri de monarchia orbis contra quoſdam detractores ſuper eiſdem & aliis utilibus materiis.* In eodem codice Vaticano 4881. Habet hunc titulum: *Clypeus, ſive defenſio monarchiæ, editus ab eodem Epiſcopo, in quo confutat nonnulla ſcripta per quendam æmulum conantem adſtruere univerſalem monarchiam orbis in temporalibus reſidere apud Imperatores. Continet duas partes. In prima oſtendit decem errores qui reſultant ex eiſdem ſcriptis æmuli. In ſecunda confutat decem concluſiones per eundem æmulum adductas.* Item librum

596. *Apparatus, ſive commenti ſuper bullam Cruciatæ inditæ per Papam Pium contra perfidos Turcos.* Item librum

597. *Super commento bullæ depoſitionis Regis Bohemiæ per ſanctiſſimum dominum Paulum II. publicatæ.* Hic fuit Georgius Podiebratius, ſeu Poggiebratius, Bohemiæ Rex, Huſſitarum hæreſi coinquinatus, à Paulo exauctoratus: de quo, & iſto ad Bullam exauctorationis commento Odericus Raynaldus agit *Annal. Eccleſiaſt.* volum. 18. ad ann. MCDLXVI. n. 25. & 26.

598. *De remediis afflictæ Eccleſiæ militantis. In quo adhibentur remedia contra omnes perſecutiones quas Eccleſia à domeſticis & perſecutoribus patitur.*

599. Idem videtur liber *De remediis afflictæ Eccleſiæ militantis adverſus extrinſecas Turcarum perſecutiones, preſſuras, & anguſtias; & an generalis Synodus hoc tempore ſit expediens & ſufficiens remedium ad eas extirpandas. Demum oſtenditur, quando, & quomodo, & ex quibus cauſis generalia Concilia congregari debent. Rurſus deducitur Romanum Pontificem habere in terris ſupremam auctoritatem, foreque ſummum ordinarium tribunal ad levanda quævis mala & incommoda ab Eccleſia Dei*: ad Beſſarionem Cardinalem Nicænum. Incipit: *Cunctorum ſapientum iſta ſemper veriſſima fuit ſententia*, &c. Ms. Exſtat Patavii ſic inſcriptus in bibliotheca Canonicorum S. Ioannis in Viridario, ut affirmat *Bibliothecæ Pontificiæ* auctor lib. 11. Item librum dictum:

600. *Speculum vitæ humanæ, de proſperis & adverſis, dulcibus & amaris omnium ſtatuum vitæ mortalis, tam in ſtatu ſpirituali quàm temporali.* Editum hoc ſæpè fuit ita inſcriptum: *Speculum omnium ſtatuum totius orbis terrarum, Imperatoris, Papæ, Regum, &c. ſortem generis humani, eiuſque commoda & incommoda repræſentans.* Nuncupavit Paulo II. Papæ, in cuius libri præfatione educationem refert ſuam ſub matre, contentionem inter eandem cognatoſque de ſtudiorum genere cui addicere ſe puer deberet, inſtante ea ut theologiæ, ceteris ut iuris doctrinæ: quam quidem perſecutum ſe ait, non tamen prætermiſſis ſacrarum literarum & moralis philoſophiæ exercitiis. Rurſus ſuper capiendo vitæ ſtatu diſſidentibus eâdem parente & propinquis, ſæcularem his, matre autem Eccleſiaſticum præferentibus; viciſſe tandem ſubiungit melius matris votum, cuius rei occaſione diſceptatum inter eos fingit, & huic ſcripto occaſionem inde quæſitam ſupponit.

601. Editum id ſub idem tempus ferè quo ſcriptum fuit Romæ, anno MCDLXVIII. quam editionem Labbeus [d] laudat. De alia ibidem anni MCDLXXIII. (niſi error ſit) alicubi legimus. Biſuntii certiùs prodiit MCDLXXXVIII. in 4.° deinde Argentinæ apud Io. Prys MDVII. Pariſiis MDXLII.

[d] *Novæ Bibl. ſuppl.* 9.

in 8.° Brixiæ MDLXX. in 16°. Basileæ MDLXXV. in 8.° Hanoviæ apud heredes Ioannis Aubrii MDCXIII. in 4.° quâ utimur, una cum Macabri cuiusdam *Speculo morticino*, curâ Melchioris Goldasti Haiminsfeldii, in cuius epistola libri nuncupatoria habere opus ait *multa præclara & lectu dignissima, nec minùs iucunda*, unde se multum profeciſse ingenuè fatetur. Argentinæque iterum apud Lazarum Zetznerum MDCXVI in 12.° & Parisiis tandem MDCLVI. in 12.°

602. Fuit sanè facta in Hispanum *Speculi* huius translatio non multò post priores Latinas editiones, cum titulo: *Espejo de la vida humana*, edita Cæsaraugustæ MCDXCI. Suspicor tamen non ita antiquam hanc editionem fuisse, ex quo cuiusdam manu exaratum novimus Hispanum hoc *Speculum* anno MCDXCVIII. quod utique post editionem frustrà fuisset. In codice Vaticano MS. 4800. exstat, cuius notam hìc dabimus: *Comienza el libro intitulado* Espejo de la vida humana; *porque en èl todos los hombres en qualquier estado ò officio, espiritual ò temporal, fueren constituidos, miraràn las prosperidades y adversidades de qualquier arte y vida, y los preceptos y enseñanzas de bien vivir. Compuesto por el reverendo Obispo de Zamora D. Rodrigo alcayde del Castillo de Sant-angelo, e Referendario del muy santo padre Paulo el segundo; y à su Santidad enderezado.* Cum hoc scilicet initio: *Como yo guardando este castillo de Sant-angelo de la ciudad de Roma.*

603. Neque dicitur exscriptumne, an ab eo qui scribit è Latino versum; nisi hæc nota in fine posita quicquam indicet de auctore versionis existimandum. *Acabòse el excelente libro intitulado* Espejo de la vida humana, *escrito por mi el bachiller Francisco de Arce en la muy noble ciudad de Toledo. Acabóse de escribir vispera de S. Matheo Apostol* 20. *de Setiembre año del nacimiento de nuestro Salvador Jesu Christo de MCDXCVIII. años.* Librum hunc aureis fragmentis pretiosisque lapidibus coagmentatum Ægidius noster Gundisalvi Davila iure ac meritò ait; quantique statim ab eius publicatione apud Germanos fuerit, Ioannis Botzhemi quædam epistola anno MD. data, Hanovienſi (& forsan aliis) editioni præfixa testimonio est. Nec minus quòd ex hoc *Speculo* synopsin dedit Iodocus Lorichius theologus Monachii MDLXXXIX. in 8.° *Optimum librum* vocat Alphonsus Ciaconius in schedis. Item librum.

604. *De regno dividendo, & quando primogenitura sit licita.* In codice Vaticano 4881. sæpiùs memorato habet hanc inscriptionem: *De regno sive principatu divisibili aut indivisibili; & an possint duo vel plures simul regnare pro diviso vel indiviso. Agitur etiam de primogenitura, quando & quomodo sit iusta & tolerabilis de iure divino, naturali, & humano, tam in regnis quàm in ducatibus & baroniis; & an sint securi inducentes tali primogenitura, & eâ utentes.* Item librum

605. *De pace & bello, & de necessitate & utilitate bellorum.* In eodem codice Vaticano sic inscriptus legitur: *De pace & bello, habens duas partes. In prima inserit laudes & præconia pacis adducta per eloquentissimum virum B. Platinam. In secunda Rodericus Episcopus agit de laudibus bellorum; & eorum necessitate & utilitate; & quod omnia quodam conflictu & bello reguntur; & respondet ad rationes Platinæ; & quando sit pax digna commendatione.* Baptista (quem aliqui Bartholomæum vocant ob perpetuam forsan eius consuetudinem B. tantùm, quod & ad codicem istum Vaticanum transiit, proprii loco nominis scribendi) Platina, celebris ille Pontificum historicus, librum edidit ad Paulum II. *De pace Italiæ componenda, & bello Turcis inferendo.* Cui tam honesti voti argumento, nescio sanè quid noster opponere habuit. Item librum

606. *De eruditione puerorum.* In eodem codice Vaticano habet hunc titulum: *De disciplina alendi & erudiendi filios, & ceteros pueros; & quibus rudimentis sint instruendi.* Item

607. *Librum confutatorium sectæ & superstitionis Mahometi, & quorundam errorum in ea contentorum in quibusdam epistolis per quendam eloquentem oratorem missis perfido Turco.* Item

608. *Librum dialogi De auctoritate Rom. Pontificis, & Generalium Conciliorum; & de pœna subtrahentium obedientiam à Sede Apostolica, & de remediis schismatum.* Hæc ille, subiungens: *Item alios plures tractatus & epistolas quæ siquidem opuscula eidem sanctissimo Pontifici* (Paulo II.) *pro maiore parte dedicata sunt, & sub illius glorioso & æterno nomine potiùs, quàm studio & ingenio meo conquiescunt.* Et liber hic *De auctoritate Papæ & Concilii* Paulo eidem II. dicatus, atque eius anno quarto, Christi verò MCDLXVII. compositus, servatur MS. Patavii in bibliotheca Benedicti Silvatici, teste Tomasino paginâ 84. Supplebimus tamen nos eius hoc silentium, in medium adductis aliis, quorum hic non meminit: præsertim è Vaticano isto, quem frequenter laudamus, codice 4881. qui totus compactus est è Roderici operibus, estque magni voluminis in folio. Præter ea igitur quæ exinde producta hucusque sunt, continet ille sequentia hæc:

609. *Librum de castellanis & custodibus arcium & castrorum; & de ducibus exercitus bellorum; & de eorum officio; & quales debeant esse.*

610. *Librum de quæstionibus ortholanis, introductum inter reverendum patrem Alphonsum Episcopum Burgensem ex una, & eundem Rodericum Episcopum ex altera: quis sensus corporaliter altero sit utilior & præstantior; & præsertim an visus sit excellentior & utilior auditu.* Hic est Alphonsus de Carthagena Burgensis, præsul doctissimus, de quo iam diximus. *Hortolanas* fortè vocavit ab horto aliquo, in quo habitæ, aut *orthrolanas* à matutino tempore, quasi *matutinas*, à simili Græconomine ὀρθρινὸς *matutinus.*

611. *Tractatum ad quendam religiosum Carthusiensem, quando liceat religiosis curias principum sequi aut frequentare. Et quod aliquando expedit eos apud principes manere.*

612. *Tractatum De mysterio SS. Trinitatis, & an possit probari naturalibus rationibus:* ad Pium II.

613. Sed antequam ad orationes & pias alias conciones in eodem codice exstantes deveniamus: ceteros tractatus, quorum alibi notitia superest, enarrabimus, nempe:

614. *Libellum ad beatiss. & clementiss. D. D. Paulum II. P. M. in quo testimoniis iuris divini, naturalis, & humani, damnatur appellatio à sententia Romani Pontificis non bene ut aiunt informati ad eundem bene informatum. Adducuntur pro utraque parte rationes iuris & auctoritatis: tandem veritas multis testimoniis comprobatur, declaraturque quotuplex & qualis sit superioritas quæ in appellatione requiritur.* Incipit: *Ad Romanos scripsit Vas electionis*, &c. Exstat inter libros MSS. Vaticanos num. 4167. folio 177. & Patavii in bibliotheca Canonicorum Lateranensium sancti Ioannis in Viridario, teste Thomasino in *Bibliotheca Patavina manuscripta.*

615. *Dialogum De remediis schismatis:* Cuius præfatio est: *Reverendissimo in Christo patri ac D. D. Garsiæ Henrici Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopo Hispalensi, serenissimi ac illustrissimi principis ac domini Ioannis eadem divina providentiâ Castellæ & Legionis &c. Regis domini nostri inclytissimi consiliario* (hic est Garsias Henriquez Osorio, qui ab anno MCDXLII. ad MCDXLVIII. Sedem administravit Hispalensem: quo medio tempore hic liber scriptus) *vestræ dignissimæ amplitudini humilis servitor & devotus capellanus Rodericus de Arevalo archidiaconus de Treviño, eiusdem regiæ maiestatis secretarius, seipsum, &c.* Et mox ait de re ipsa libri præfatus: *Nuper itaque, cùm apud serenissimum principem Romanorum Imperatorem, aliquandiu demorarer, ad cœnam me traxit invitum quidam Theodericus iuris professor insignis, vir arbitratu meo doctissimus, ac multarum rerum experientissimus. Ad mensam itaque nobis inter epulas considentibus, ecce, ut puto, illius industriâ verbum prodiit de hac flebili Ecclesiæ scissura, in qua re paulò antè egeram ipse verbum coram Cæsarea maiestate. Tangebat vir ille plurima in rebus ipsis scisscitans, quidnam causæ tantorum esset malorum, quidve remedium futurum videretur,* &c. Tandem concludit, rogatum se ut de remedio discurreret, confeciſse hunc tractatum, qui dialogus est inter prædictum Theodericum & se Rodericum. Incipit: *Vidi nuper (Roderice charissime) coram regia maiestate*, &c. De schismate agit, ut credimus, è Basileensi Concilio circa annum MCDXXXIX. nato inter Eugenium & Felicem: quo super missus fuerat forsan Rodericus noster ad Fredericum Imperatorem, Regis sui, Ioannis nempe II. cuius se vocat secretarium, orator: Quid enim aliud in Germania vir Hispanus & sacerdos, Regi suo à secretis ageret? Librum continet Vaticanus MS. codex 4002.

616. *Epistolam ad doctissimum & religiosissimum virum Fr. Alphonsum de Palenzuela, in qua agitur de multiplici onere & periculo Pontificalis dignitatis; & de ambitionis vitio, ac modernis abusibus prælatorum. Agitur etiam de modo pascendi gregem, & de pluribus ad curam præsulatus spectantibus.* Incipit: *Redditæ sunt mihi literæ tuæ, reverende in Christo pater ac mi præceptor amantissime*, &c. Epistola est decem foliis comprehensa in Vaticano cod. MS. 3899. fol. 37.

617. *Epistolam lugubrem & mœstam, simul & consolatoriam, de infelici expugnatione insulæ Euboeæ dictæ Necropontis, à perfido crucis Christi hoste Turcarum impiissimo principe & tyranno nuper inflicta; ad rever. P. ac sapientiss. dom. dom. Bessarionem Cardinalem Sabinum, & Patriarcham Constantinopolitanum.* Incipit: *Audivi, & conturbatus est venter meus* &c. Exstat in cod. Vatic. MS. 5869. fol. 94. Et hanc epistolam scripsit ille uno ante obitum anno MCDLXX. quo malum hoc expu-

pugnatæ à Mahometo II. Eubœæ in Ægæo mari Venetorum insulæ orbi Christiano contigit. Vide Raynaldum tomo 19. *Annal.* hoc anno §. 12.

618. Præter theologica hæc & iuridica maiori ex parte opera, ut historicis accenseretur, edidit Henrici IV. Regis obsecutus præcepto, ut ille ait,

619. *Historiam Hispanam*, quatuor partibus ad eundem Henricum: ab origine rerum scilicet usque ad sua tempora, ut quod Rodericus Toletanus Episcopus (quod ipse ait) Latinis literis usque ad suam ætatem perduxerat, Rodericus alter iisdem usque ad suam absolveret. Præstans opus quidem, & amœniorum literarum, exemplorumque veteris ævi ad præsentia facta accommodatorum misturâ variegatum, lectuque iucundum; quamquam & nævos aliquot habeat, quos excusabit aliquis exscriptorum oscitantiâ. Nam & propria Gothorum nomina fœdè corrupta ibidem legas: *Limbam* pro *Liuba*: *Leonogildum* pro *Leovigildo* (à quo credidit Leonem urbem dictam): *Hermegildum* pro *Hermenegildo*: *Gundamirum* pro *Gundemaro*: *Enrigium* pro *Ervigio;* Fulgentium etiam vocat *Tingitanum* pro *Astigitano* Episcopo. Utitur quoque barbaris verbis, utpote, *effectualiter*, *deordinare*, *servitor*, *auctoritativè*, & aliis. Hanc se vidisse manuscriptam in bibliotheca Colonæa Hispali, dum illius curam ageret, prægrandi volumine, Romæ aut saltem in Italia editam, *Chronici Hispaniæ* cap. 4. Ioannes Vasæus testatur: quam & Raphaelem Volaterranum ait citare, & Vallisoleti eam in bibliotheca Cardinalis de Mendoza à se quoque visam (1). Raphaelem ergo Massæum Volaterranum *Geographiæ* lib. 2. dum de Hispaniæ Regibus, & Henrico IV. agit, asserentem legi, novisse nostrum se castri S. Angeli custodem sub Paulo Papa.

620. Ad historiam autem eius paulò antè respicit quum in referendis Hispanis rebus Lucam Tudensem, & Rodericos duos secuturum se ait. *Palentinam historiam* vocavit Mariana, ab auctoris munere ita dictam, piam magis quàm elegantem appellans, lib. 23. cap. 9. magis autem vulgare est, ut ita audiat: *Alphonsi de Palentia Regum catholicorum chronographi Hispana historia*, nondum edita. Cavendum sanè est à Prudentii Sandovalis inadvertentia, qui auctorem huius Rodericum Lainez alicubi appellat *. At quidem hæc eius prodiit historia ante annum MD. Palentiæ scilicet MCDLXX. in fol. sed renovata fuit editio Franco-furti apud Aubrios anno MDCIII. *Hispaniæ illustratæ* vol. 1. *Palentini Episcopi descriptionem Hispaniæ* in Italia editam laudat Alphonsus Ciaconius in schedis ad Bibliothecam universalem, quas possidemus, de nostro Roderico indubiè intelligendus.

621. Sed redeundum iam est ad codicem Vaticanum 4881. MS. aliaque ibi contenta opera quæ hoc loco dabimus,

Orationem scilicet *ad sanctiss. Papam Eugenium ex parte serenissimi Regis Hispaniæ* (Ioannis II.) *contra factiones Basileensium. Ubi multa de devotione Regum Hispaniæ ad Romanam Ecclesiam.* fol. 194.

622. *Orationem* aliam *ad sacrum collegium Cardinalium super eadem materia.* fol. 198.

623. *Orationem ex parte* Eiusdem *Regis Hispaniæ ad Philippum Mariam Ducem Mediolani exhortatoriam ad pacem Italiæ; & ut purè & simpliciter adhæreret dom. Eugenio* (Papæ) *& Basileensem factionem respueret.* fol. 199.

624. *Orationem ex parte* Eiusdem *Regis Hispaniæ ad serenis. Fredericum Imperatorem exhortatoriam ad unitatem & pacem Ecclesiæ; & quòd deceat Imperatores agere pro unione ac defensione Ecclesiæ, inducens eundem Imperatorem ad puram adhæsionem dom. Eugenii, & ad detestationem Basileensium* fol. 202.

625. *Orationem ad serenis. Carolum Regem Franciæ ex parte eiusdem Regis Hispaniæ, de laudibus eiusdem Caroli, & gloriosæ domus Franciæ & Hispaniæ, exhortatoriam, ad tollendas omnes occasiones dissidii inter utramque regiam domum.* fol. 204.

626. *Orationem ex parte sanctiss. dom. Nicolai Papæ ad illustrissimum Ducem Burgundiæ* (Philippum), *ubi multa de devotione & favore eiusdem principis ad incrementa Fidei.* fol. 209.

627. *Orationem ad sanctiss. Papam Pium II. nomine Regis Hispaniæ* (Henrici IV.) *in præstatione obedientiæ, ubi congratulatur de assumtione: exhortatur ad exstirpationem Turcorum, & multa de devotione Regum Hispaniæ ad Ecclesiam Romanam.* fol. 212.

628. *Orationem lugubrem de obitu serenis. Regis Ioannis Hispaniæ ad serenis. Regem Carolum Franciæ; & de laudibus eius Regis Ioannis.* fol. 216.

629. *Orationem habitam ad sanctissimum dominum Callistum Papam secundum* (ita semper nominat, quem vulgus Callistum III.) *in præstatione obedientiæ, & congratulatoriam de assumtione; & multa pia opera adducit, & singularem devotionem Regum Hispaniæ ad Sedem Apostolicam.* fol. 218.

630. *Orationem habitam Romæ in nativitate primogenitæ serenissimi Regis Hispaniarum*, (Henrici) *& de causis gaudendi ob eundem natalem.* Hæc est Ioanna, alterius Ioannæ Portugalliæ Infantis & Castellæ Reginæ, Henrici Regis coniugis filia: quam licèt uti primogenitam & heredem regnorum solemniter iuratam, exclusit postea Elisabetha certior, quàm quòd Ioanna filia esset, Henrici soror & heres. Hanc, magno errore eorum qui Hispanam Roderici exscripsere historiam, appellatam *Elisabetham* in partis 4. cap. 36. legimus.

631. *Orationem ad sanctiss. Pium II. de felici victoria, & acquisitione civitatis de Gibraltar in stricto Oceani maris sitæ, per capitaneos Regis Hispaniæ; & ibi multa de situ illius urbis, & de utilitate Fidei* fol. 225. Id contigit anno MCDLXII.

632. *Orationem ad eundem Pontificem in conventione Mantuana ex parte Regis Hispaniæ. Commendat dictum conventum pro expeditione contra Turcos. Exhortatur ad eandem expeditionem, & pollicetur omnia auxilia ex parte eiusdem Regis. Exhortatur & ad pacem Principum Christianorum.* fol. 227.

633. Sequuntur in eodem codice sermones aliqui de rebus sacris, nempe:

Sermo coram sanctissimo Nicolao Papa V. in Dominica Passionis in Quadragesima. fol. 231.

634. *Sermo coram sacro collegio Cardinalium in die S. Thomæ de Aquino.* fol. 234.

635. *Sermo coram sanctissimo domino Callisto in die Ascensionis Domini.* fol. 238.

636. *Sermo coram eodem in die Annuntiationis B. Mariæ Virginis.* fol. 239.

637. *Sermo coram sanctissimo domino Pio in die sanctæ Trinitatis.* fol. 242.

638. *Sermo coram sanctissimo domino Nicolao in die Apostolorum Petri & Pauli.* fol. 244.

639. *Sermo coram sanctiss. dom. Pio in die Pentecostes.* fol. 247. In bibliotheca etiam collegii S. Benedicti Cantabrigiæ in Anglia urbis codex visitur, cui titulus: *Opuscula Roderici Episcopi Calagurritani, Castellani S. Angeli de Urbe; & epistolæ eiusdem ad quosdam doctissimos & eloquentissimos viros; & illorum ad eum:* uti scribit Thomas Iames in *catalogo* MSS. *librorum in bibliothecis Angliæ existentium.*

640. Ex quibus omnibus in hoc & aliis, quos memoravimus, MSS. codicibus contentis tractatibus, quæstionibus, votis, orationibus, sacrisque concionibus, manifestum redditur unum Rodericum ferè omnes, tam Ioannis quàm Henrici, regias vices Romæ & alibi; eundemque Theologi, Iurisconsulti, atque Oratoris, Statûsque ministri, partes, pro datis sibi rerum agendarum occasionibus, eâdem industria & facilitate; Summorumque quinque Pontificum, Eugenii, Nicolai, Calisti, Pii, atque Pauli; duorumque suorum Regum, quos laudavimus, commendatione plausuque tractâsse. Cuius rei non postremum argumentum videri debet, quòd summus ille Pontificum apex Pius II. ex Ænea Sylvio, viro eloquentissimo, & literarum ornamentis clarissimo, ad hanc Sedem exaltatus, Historiam suam, quam *refertissimam* vocat Rodericus, & aliqua opuscula præclarè ingentique elegantia descripta, eidem suo referendario, antequam edita forent, communicare digna-

(1) Exstat in Escurialensi codice, *Lit. f. Plut I. sub n.* 18. (T. I. p. 480.) hoc titulo: *Roderici Sanctii Episcopi Palentini pro Sanctissimo Domino Paulo II. Papa arcis Sancti Angeli De Urbe Præfecti: Compendiaria rerum Hispanicarum Historia à primis nostræ regionis accolis ad Henrici IV. Castellæ Regis tempora:* præmissa nuncupatoria ad eundem epistolâ. Edita autem ac duplici exemplo penes me est, Romæ, ut videtur, per Udalricum Gallum, absque anni & Loci notatione; in cuius capite ultimo seu XXXX. de Summis Pontificibus Callixto, Pio ac Paulo II. deque præclaris eorum gestis, *ac de Opusculis auctoris hanc historiam compilantis* (inquit) *sub iisdem pontificibus, & eorum iussu editis.* Titulus prior è minio: *Incipit compendiosa historia hispanica. In qua agitur de eius situ ac descriptione: salubritate ac ubertate: gentisque humanitate: & ad religionis cultum pietate: cæterisque eiusdem regionis laudibus. Demum de Gothorum, Vandalorum, & cæterorum ad Hispanias accedentium origine & in Hispania regnantium antiquitate. Necnon de regnorum erectione: regumque successione: ac claris illorum successibus. Tandem pro ampliore historiæ ornatu inter ipsa hispanica gesta inseruntur brevi priscorum Romanorum, Græcorum, & aliorum exterorum antiquorum clarissima gesta: dicta: & insignia documenta ad cuiusvis principantis: potentis: seu nobilis: ac privati hominis institutionem edita: à Roderico Sancii utriusque iuris ac artium professore, Episcopo Palentino Hispano Sanctissimi Domini nostri Domini Pauli Pontificis Maximi in Castro suo Sancti Angeli de Urbe Romana Præfecto. Prologus.* Pergitque absque initiali litera.. *ERENISSIMO AC INVICTISSIMO Principi Domino D. Henrico IIII. &c.* In fine ante *Tabulam materiarum & rerum*, exstat Typographi nomen: *De mandato R. P. D. Roderici Episcopi Palentini auctoris huius libri. Ego Udalricus Gallus sine calamo aut pennis eundem librum impressi:* circa annum ut videtur MCCCCLXX. Vide infrà notata in: *Addendis circa annum MCCCCLXX. in fin.* & ibi Tractatum eiusdem Roderici Sanctii alterum Hispanicum ineditum, cui titulus: *Summa de la policia &c.*

* Notas à Ioan. Obispos pag. 356.

gnatus fuerit: quod ipse refert *Historiæ Hispanæ* quartæ partis cap. 40.

641. Huic eidem, Ovetensis dum esset Episcopus, à Iacobo quodam directam *Græcarum Bruti epistolarum* in Latinum translationem, à doctissimo Ranutio (ut ait) Nicolai summi Pontificis secretario factam, continet alius codex Vaticanus numero 1043. signatus, fol. 233. Cuius dedicationis auctor miris extollit nostrum laudibus, Castellæ Regis Legatum & Consiliarium amantissimum appellans (1).

642. Iacet in Hispanorum templo Romano S. Iacobi Apostoli, in sepulcro marmoreo parieti inserto, cuius inscriptio tantùm habet obiisse IV. Nonas Octobris, Pontificatûs Pauli anno septimo (2), hoc est, non, ut Ægidius Gundisalvi Davila existimavit, anno MCDLXXI. sed MCDLXX. Cuius quidem anni die XXIX. Septembris incœpit annus Pontificatûs Pauli septimus: cuius altero mense, nempe Octobri, Rodericum obiisse necesse est; cùm sequentis anni Octobri mense Paulus iam Iulii XXVIII. die in vivis esse desierit. Stephanus Garibaius lib. 17. cap. 15. Roderici nostri memoriæ debitum meritæ laudis officium exhibet.

643. FR. THOMAS DE TOLEDO Dominicanus Castellanæ provinciæ, S. T. Mag. in literis sacris ac theologia, quæ ab schola vocatur, apprimè versatus: præter tabulas, sive indices (utilissimo id tempus labore) in S. Thomæ Summam, Iacobi de Voragine, & Ioannis à S. Geminiano Sermones, Nicolai Lyrani quædam opera, item Anonymi *De vitiis & virtutibus*, Innocentii Papæ in psalmos pœnitentiales; Alberti Brixiensis Summam, & alia, scripsit super Quodlibeta D. Thomæ necnon *Mariale*; atque item tractatum, si diversus est, *De laudibus portæ Paradisi*, hoc est Deiparæ Virginis. Claruisse dicitur circa hunc annum MCDLXX. De quo consuli possunt bibliographi Dominicani (3).

644. Alphonsi Ioannisque Aragonensium Regum consiliarius & à secretis fuisse dicitur IOANNES VALERUS Maioricensis, qui, teste Vincentio Mut in *Historiæ Balearis* tomo 2. lib. 8. cap. 6. *Rosarium* scripsit *summæ veritatis* (4).

CA-

(1) In Bartholomæi Platinæ dialogo *De falso & vero bono*, colloquitur cum Auctore *Rhodericus Calagorritanus Episcopus, arcis Romanæ præfectus, vir certe bonus & doctus*: cui pridem Platina nuncupaverat tractatum *De laudibus pacis* MS. ut memorant Auctores Diarii Eruditorum Italiæ *T. XIII. pag.* 437. *seq.* ap. Io. Alb. Fabric. *med. & inf. T. V. pag.* 304. *col.* 1.

(2) Sepulcri inscriptio:

RHODERICO. SANCTIO. PRAESULI. PALENTINO. HUMANI DIVINIQUE. IURIS. CONSULTO. OPT. QUI. MOLEM HADRIANI. FIDELISSIMA. PRAEFECTURA. CUSTODIIT SEDIS. APOSTOLICAE. OBSERVANTISS. VIX. AN. LXVI. BESSARIO. GAR. SABIN ET. MARCUS. CAR. DIVI. MARCI. B. M. POSUERUNT OBIIT. AN. VII. PAULI. PONT. MAX. IIII. NON. OCTOB.

subiicitur stemma Episcopali galero tectum, in cuius area aquila dextrorsum versa expansis alis pedibusque; & circum eam in clypei peripheria, tænia octonis palis decussatis (*aspas*). *E nostris Ephemer. Rom.*

(3) Quetifus & Echardus nonnullas insuper eidem *Tabulas* seu *Indices* in aliorum scripta tribuunt *T. I.* pag. 846. col. 2. & 847. col. 1.

(4) ADDENDI CIRCA ANNUM MCCCCLXX.

Bernardus Bazim Canonicus Cæsaraugustanus, auctor tractatus *De magicis artibus & magorum maleficiis*. In Bibliotheca Regis Galliarum *Part. III. pag.* 252. *col.* 2. *cod.* 2193. sæculi XV. Fabricius *med. & inf.* T. I. p. 218. Parisiis 1506. & Francofurti & Lugduni 1620. editum fuisse ait.. ITEM. *Petrus Ioannes Ferrer* eques Valentinus, Rodriguezio & Ximeno indictus, cuius in Bibliotheca Escurialensi *Lit. L. Plut. I. sub n.* 25. (T. III. p. 247.) exstat tractatus Lemosino sermone inscriptus: *Sumàri de batálla hà ultránsa*, seu *Leges de duellis*, cum eiusdem argumenti aliis. Ad eundem pertinere existimo tractatum alterum Hispanicum *Incerti Valentini* inscriptum: A TODO TRANCE, sive: *Ritual de retos y desafios*. In eadem Bibliotheca *Lit. h. Plut. II. sub n.* 21. (T. II. p. 89.) Atque idem fortassis *Anonymus* ille fuerit, itidem *Valentinus*, cuius in eadem Bibliotheca *Lit. y Plut. III. sub n.* 4. (T. II. 376.) habetur: *Forum* seu *Leges Valentini Regni De duellis*, Lemosino sermone: qui omnes tractatus circa annum MCCCCLXX. scripti videntur ::: ITEM *Ludovicus Alcanyis* (Alcañiz) Valentinus, Medicus, qui sub idem tempus scripsit tractatum Lemosinè inscriptum: *Regimênt preservatîu è curatîu de la pestilência*. Apud Ximenum Bibliotheca Val. *T. I. p.* 52... ITEM *Alfonsus de Toleto Conchensis*, cuius nos suprà, hoc libro, cap. VI. num. 325. in Alfonso Martini à Toleto Archipresbytero Talaverensi meminimus, circa annum MCCCCLXX. scripsit ante Polydorum Virgilium tractatum Hispanicè inscriptum: *El Invencionario*, seu: *De primis rerum inventoribus. Ad Alfonsum Carrillum Archiepiscopum Toletanum*. Exstat in Bibliotheca Escurialensi *Lit. h. Plut. II. n.* 24. atque in Regia Matritensi tribus exemplis, in quorum altero legitur: *Este libro mandò escrebir el Señor Licenciado Juan Diaz de Alcocer Oidor de nuestro Señor el Rey Don Alfonso: el qual escribió Fray Ginês de Beštracân natural de la Ciudad de Murcia Monge de la Orden del Cistél, andando con licencia de su Mayor en la Corte en el año del Señor de mill & quatrocientos & setenta & siete años*. Scripsit quoque *Speculam Chronicorum*, Hispanicè: *La Atalaya de las Chronicas*, Alfonso Martino de Toleto Archipresbytero Talaverensi à Nostro non iure tributam: quæ habetur etiam in prælaudato Escurialensi codice. ITEM *Rodericus Sanctius* (el Doctor Ruy Sanchez) Decanus Legionensis & Archidiaconus Trevinensis circa annum MCCCCLXX. scripsit opus Hispanice inscriptum: *Suma de la policia: que fabla como deben ser fundadas & hedificadas las cibdades & villas. Fabla otrosy del buen regimiento & recta policia que debe haver todo regno ò cibdad asy en tiempo de paz como de guerra*: rogatu strenui Equitis Petri de Cuña Domini de Dueñas & Buendia, *Guarda mayor & del Consejo del Rey Don Enrique IV. de Castilla*. MS. In Regia Bibliotheca Matritensi, fol. Hic autem est, ut existimo, *Rodericus Sanctii de Arevalo* Episcopus Palentinus arcis Sancti Angeli de Urbe Præfectus, de quo paulo antè dixi; nam & is prius quam Romam

CAPUT XII.

De BONIFACIO *Lusitano, auctore operis cui titulus*: Peregrina. IOANNES STEPHANUS *Valentinus*. IACOBUS PONS *Catalanus*, PETRUS DE TURRI, & FRANCISCUS ROMANUS *de eadem re Scriptores. Certamen quoddam poeticum huius sæculi*. IOANNES VILLAR *Catalanus*. PETRUS DE CIXAR, *sive* SITJAR, *Aragonensis*. MARTINUS ALPHONSUS A CORDUBA *Augustinianus*. IOANNES DE SOCARRATS *Catalanus iurisconsultus*. LUDOVICUS FONTANUS, IOANNES MARTINEZ, & LAURENTIUS COMPANY *Mercenariorum sodales*. D. FRANCISCUS DE TOLETO. IOANNES VALENTINUS, *seu* DE VALENTIA *Minorum fratrum sodalis*. IOANNES DE S. FACUNDO. *Eius merita ac virtutes*. PETRUS UXAMENSIS, *atque eius laudes & scripta*. FR. VINCENTIUS MAZUELA. LAURENTIUS *Lusitanus, monachus Cisterciensis*. GOMEZIUS IOANNES DE ZURARA. GARSIAS MENESIUS *Orator celebris*. ANONIMUS *poeta*. LUPUS VASQUEZ DE SERPA. PETRUS DE CANALES.

645. BONIFACIUS Lusitanus, filius Petri Garsiæ, Ulisiponensis, qui sereniſſimæ dominæ Ioannæ Reginæ Castellæ & Legionis auditorem sese appellat, hunc locum sortiri debet. Existimamus enim de Ioanna intelligendum eum, Eduardi Portugalliæ Regis filiâ, Henricique Regis Castellæ uxore, quam verisimile est in Castellam Lusitanum Lusitanam secutum.

646. Hunc absque dubio auctorem habet iuridicum opus *Peregrina*, sive *Peregrina glossa Bonifaciana* de nomine compilatoris inscriptum: quæ veluti index est iuris legum, conclusionumque ab eo, ut verbo utar barbaro, glossatarum. Vidimus id excusum cum hac ad calcem, iuxta morem recentis typographiæ, nota: *Exactum absolutumque hoc præclarum atque insigne opus* Peregrinæ, *mandato, operâ, & impensis Lazari de Gazanis sociorumque: impressum per nos Meinardum Ungut Alemannum & Stanislaum Polonum socios, anno Incarnationis salutiferæ MCDXCVIII. die XX. Decembris*, grandi quidem volumine. Diversus est ab eo *Biblioth. vet. Hisp.* Tom. II.

auctor alius eiusdem ferè argumenti, certè nuncupationis operis, *Peregrinæ glossæ* etiam inscripti, Gundisalvus Episcopus Segoviensis, de quo suprà egimus (1).

647. Anno septuagesimo secundo sæculi scripsit IOANNES STEPHANUS Valentinus, & in urbe ipsa regni principe notarius, nuncupavitque Ferrario Torrellæ medicinæ uti vocat professori eximio, Dictionarium quoddam & phrasiologium duarum linguarum, Valentinæ vulgaris & Latinæ: quod, *Librum elegantiarum* inscriptum, Venetiis editum in folio vidimus operâ atque impensa Paganini de Paganinis anno MCDLXXXIX. apud amicum nostrum D. Hippolytum Sampêr Montesiani ordinis sacerdotem, virum probum atque eruditum, post alia munera capellanum regium, & Matritensis Aragoniæ Coronæ nosocomii rectorem (2).

648. His qui artem arma tractandi, præcipueque gladio feriendi ac se tuendi docent, noti sunt, etiam huius sæculi & ætatis homines hac eadem arte instructi, atque eius præceptores: quæ non infima est inter mathematicas, belliciſque decertationibus valdè utilis. Alter est IACOBUS (sive appellatione gentis IAUME) PONS Catalanus, Perpinianensis: alter PETRUS DE TURRI. Quorum quemlibet anno MCDLXXIV. de hoc argumento seorsum scripsisse, auctor est nostri temporis professor insignis nulli verò secundus, Ludovicus Paciecus de Narvaez Beatiensis in libro suo, quem, *Engaño y desengaño de la destreza de las armas* inscripsit, fol. 48.

649. Quibus adiungendus venit FRANCISCUS ROMANUS, quem Hieronymus de Carranza, alter in gente nostra huius studii veluti Achilles, dialogo secundo libri sui *De la destreza de las armas*, nescio cuius sæculi, eiusdem doctrinæ magistrum laudat.

650. Vidimus quidem huiusmet anni MCDLXXIV. apud amicum nostrum nuper laudatum D. Hippolytum Samper *Poeticum certamen* olim Valentiæ habitum hoc anno sub auspiciis D. Ludovici Despuig Montesiæ Ordinis Magistri, regnique Pro-regis *De laudibus Mariæ Deipa-*

peteret Decanus Legionensis & Archidiaconus Trevinensis in Ecclesia Burgensi fuit.

(1) Diximus de huius *Peregrinæ* antiquioris *glossæ* auctore suprà in *Gundisalvo Gundisalvi de Bustamante* Episcopo Segoviensi, *Lib. IX. cap. VII. n.* 378.

(2) Exstat penes me iisdem omnino notis, ex dono Domini D. Marci Garsiæ Montesiani item Ordinis Sacerdotis, Paroeci Ecclesiæ *de Silla* ad VIII. à Valentia nostra lapidem, versùs Occidentem.

ræ Virginis: in quo ei qui quavis linguâ ceteris melius designatorum iudicium sententiâ feciſſet ſatis argumento, ſerici texti, quantum ſufficeret conficiendo thoraci coloris nigri, dictum fuit præmium. Cuius certaminis exitus quidem ille fuit, ut ne ulli ex ad bravium currentibus fieret iniuria, Deiparæ ipſi præmium, quæ diſertas fecerat linguas poetarum, decerneretur. Id quod propter antiquitatis venerationem, poeticæque artis, etiamnum rudis, hoc genus velitationum poſteris commendandam prætermittere noluimus. Editio in 4.° prodiit Valentiæ, ut credimus (1).

651. IOANNES VILLAR, iuris doctor, Catalanus, ut ſuſpicari æquum eſt, anno MCDLXXV. edidit Barcinone vernaculam huius linguæ tranſlationem operis *De epidemia & peſte, Magiſtri Valaſci Tarentini, artium medicinæque doctoris eximii* quam vidimus. *Valaſcus de Taranta Monſpelienſis* hic audit apud Lindanum *De ſcriptis medicis*, diligentem auctorem; qui tamen hoc opus *De epidemia & peſte* non laudat, neque Villarium interpretem (2).

652. Floruiſſe his annis refertur inter ſodales inſtituti redimendi captivos ſub invocatione Deiparæ Virginis de Mercede PETRUS DE CIXAR (SITJAR cognomine vocat Vincentius Mut mox laudandus) Aragonenſis, ſacræ ac civilis literaturæ, necnon & amœniorum diſciplinarum ſtudiis vir ornatiſſimus. Qui quidem Cæſaraugu-

[f] Lib. 2. *Hiſtoriæ Mercenar.* cap. ult.

[g] *Recuerdos hiſtoricos de ſu Orden.*

ſtanæ domui præerat (referentibus Alphonſo Ramone [f], Marco Salmerone [g], Mercenariorum hiſtoricis, atque item Vincentio Mut in *Hiſtoriæ regni Balearis* ſecundo volumine lib. 11. cap. 9. qui tamen Balearem patriâ fuiſſe eum contendit), quum Familiæ ſuæ munus redimendi captivos ab infidelium manu & poteſtate libello edito defendit, quo tempore id rei non ſine multorum oppoſitione tranſigeretur. Nempe à quinque tractatis in eo quæſtionibus eiuſdem argumenti taliter inſcriptus liber prodiit:

653. *Opuſculum: Tantûm quinque.* Barcinone editum anno MCDLXXXI. (3). Scripſit item, eandem forſan cauſam agens,

654. *De poteſtate Papæ, & votorum commutatione in redemtionem captivorum, ingenioſas decretorum ac theologorum auctoritatibus argutiſſimè probatas quæſtiones.* Pariſiis editas anno MDVI. apud Ioannem de Gourmont, uti Verderius refert in *Supplemento bibliothecæ Germanicæ*. Quod opus ei quoque attribuunt Franciſcus Zumel in *Vitis SS. PP.* huius ſui ordinis; & Petrus à S. Cæcilio, *De Scriptoribus* eiuſdem ſcribens, adhuc ineditus. Quorum poſterior adiungit collegiſſe eum, & in unum volumen conieciſſe pleraque ſummorum Pontificum privilegia ordini ſuo conceſſa & elargita; claruiſſeque Xyſto IV. Pontifice Maximo (qui electus fuit v. idus Auguſti MCDXXI.) anno Domini MCDLXXV. Videndus Bernardus de Vargas lib. 2. hiſtoriæ eiuſdem ordinis primæ partis cap. 16. ad annum MCDLIX. Item ſcripſiſſe dicitur

655. *Hiſtoriam ordinis Mercenariorum* Latinam: cuius originalis ſcriptura in archivo domûs Barcinonenſis aſſervatur, atque eius exempla in Matritenſi, Burgenſi, & Pinciano cœnobiis. Huius notitiæ nobis auctor fuit illuſtriſſimus dominus D. Fr. Gabriel Adarzo de Santandêr eiuſdem Inſtituti, concionator regius magni nominis: qui præſûl Hydruntinus ante aliquot annos obiit, dum de ſui Ordinis viris illuſtribus commutaremus aliquando inter nos literas. Idem nobis retulit docuiſſe Cixarem noſtrum Barcinone Decretorum è cathedra, ſcripſiſſeque etiam

656. *Sermones de Dominicis & Sanctis.* Quos uno volumine characteribus adhuc rudibus Barcinone editos fuiſſe mihi retulit.

657. Gallum falſo hunc appellat Ludovicus Iacobus à S. Carolo *Bibliothecæ Pontificiæ* auctor, qui & ait ſub Iulio II. eum floruiſſe. At nos domeſticorum fidem, nec tam mortis tempus, quod ignoratur, quàm quo maximè is floruiſſe dicitur, ſecuti ſumus. Lapius idem auctor fuit pro uno eodemque tres Rodericos laudans rerum Pontificiarum Scriptores: *Rodericum* ſcilicet *Novotenſem*, pro *Ovetenſi*: *Rodericum Zamorenſem*, & *Rodericum Sancium de Azeculo Epiſcopum Ovatenſem ac deinde Palentinum*, pro *Roderico Sancio de Arevalo*. Adeò eſt res ardua in rebus exte-

(1) Plura nos infrà de hoc *Poetico certamine* in *Bernardo Fenollario*.

(2) De hoc *Valaſco* egimus & nos ſuprà in: *Addendis à ſæculi XV. initio ad annum uſque* MCCCCXX. quem, quòd Luſitanus fuerit patriâ, quamquam profeſſor Monſpelienſis, Hiſpanis Scriptoribus accenſuimus.

(3) Perfectum tamen anno MCDXLVI. Laudat id Ioſephus Nicolaus Cavêro Mercenariorum Inſtituti ſodalis, in opere: *Informe de la verdad por el Real y Militar Orden de la Merced*, abſque Loci & anni nota, ſed circa MDCCXL. edito, *Diſſert. III. n.* 190. *pag.* 135. his verbis: *Opuſcula* Tantum quinque. *Conſummatum fuit hoc opus...* (ut eiuſdem Auctor in fine ſcribit) *Cæſaraugustæ... prima menſis Madii, ann. Domini MCCCCXLVI.*

teris plerumque non labi (1).

658. MARTINUS ALPHONSUS A CORDUBA; natus in cognomine urbe, ut creditur, ibique inter Auguſtinianos ſodales regularis vitæ ſacramento addictus, Ioannis & Henrici Regum tempore integritate morum, doctrinaque perutili valdè floruit. Cùm Galliæ Toloſam, & apud nos Salmanticam profeſſor theologus nobilitâſſet: haud mediocri æqualium eius ævi compendio navavit ſacris concionibus operam: adeò quidem totus Deo impenſus, ac temporalium ſecurus, ut nec Pacenſis Eccleſiæ inſulis, nec præcipuo quodam apud eos loco dignitatis & caritatis iiſdem duobus Regibus olim invitatus, animi propoſitum quod ſibi fecerat, in paupertate, longeque à ſæcularibus manendi, uſquam mutaverit. Immo & magnatum illius temporis immenſam, nulliſque officiis exorabilem dominandi libidinem peroſus, curiâ quoque deceſſit. Nulla huius viri mentio ultra annum MCDLXXVI. habita in Auguſtinianis monumentis ſuadet nos hæc tempora eum non exceſſiſſe, ſaltem Valliſoleti deceſſiſſe conſtans fama eſt.

659. Plura ſcripſit, atque ea quidem à ſodalibus Pincianis, ignotum quâ cauſâ, pignori apud Benedictinos poſita, Hieronymus Romanus in *Chronico Auguſtiniano* ſcriptum reliquit. Latina hæc ſcilicet:

660. *Hexaemeron, ſive in Geneſis priora capita de opere ſex dierum.*

661. *In divi Pauli epiſtolas commentaria & quæſtiones.* Quod ſaltem opus apud laudatos ſodales S. Benedicti Pincianos aſſervari ad Philippum II. Regem Ambroſius Morales retulit, in *Itinerario* ſuo, quod cum inſcriptione *Del ſanto viage* confecit, ſervaturque manu exaratum.

662. *Apocalypſis explanationem.*

663. *Logicam & philoſophiam.* Vulgaris quoque linguæ hæc:

664. *Vergel de nobles doncellas.* Ad Eliſabetham tunc Infantem, Henrici IV. ſororem, nondum, ut credimus, regno inauguratam. Editum fuit anno MDXLII. in 4.°

665. *Alabanzas de la virginidad.* Ad Virgines Deo ſacras. Quæ quidem ei Alphonſus de Horoſco, vir ſanctitate & doctrinâ clariſſimus, adtribuit opera. Ro-

Biblioth. vet. Hiſp. Tom. II.

manus verò aliud præter iſta ſervari adhuc Pinciæ ad S. Benedictum acceperat, nempe:

666. *De proſpera y adverſa fortuna* Alvaro à Luna Comeſtabili, fato quodam, qui exemplum exſtitit utriuſque mirabile, nuncupatum. Auctores de his habuimus Ioſephum Pamphilum *De Scriptoribus Auguſtinianis*, Hieron. Romanum, & Alphonſum de Horoſco, in hiſtoriis huiuſmet Ordinis, & Thomam de Herrera in ea quam ſcripſit *Auguſtinianæ domus Salmantinæ*.

667. IOANNES DE SOCARRATS Catalanus, iuriſconſultus, in oppido S. Ioannis de Abbatiſſis Vicenſis diœceſis natus, civis Barcinonenſis, quo tempore Ferdinandus Aragoniæ Infans, vivo adhuc Ioanne patre, propter Eliſabetham coniugem Caſtellæ iam & Legionis ab anno LXXIV. regnis præerat, opus iuridicum dicavit ei, ita inſcriptum:

668. *In feudorum conſuetudines Cataloniæ Principatûs commentaria, ſive in conſuetudines Cataloniæ inter dominos & vaſallos, ac nonnullas alias, quæ commemorationes Petri Alberti appellantur.* Quæ ait abſoluta à ſe XXIX. Octobris anni MCDLXXVI. fuiſſe. Prodiit liber Barcinone ex officina Ioannis Guardiolæ MDLI. in folio, Lugdunique eodem anno. Petrus Albertus canonicus Barcinonenſis ſcripſit ſub Ferdinando I. Aragonis Rege. Laudantur quoque eiuſdem Socarrati

669. *Additiones ad titulum de pace & tregua* (2).

670. Mercenariorum hiſtoriæ clarum his diebus huius inſtituti virum celebrant LUDOVICUM FONTANUM (DE LA FUENTE vulgò): quem aiunt *In primam S. Pauli ad Corinthios epiſtolam* eleganter ſcripſiſſe, & Romæ aliquando profeſſorem fuiſſe, ſub Xyſto IV. anno circiter MCDLXXIX. maxime florentem. Videndi Alphonſus de Roxas in *Catalogo virorum ſui ordinis illuſtrium*, & Petrus de S. Cæcilio *De eiuſdem Scriptoribus.*

671. Eiuſdem religioſi ordinis pars fuit IOANNES MARTINEZ Cataloniæ civis, quem nuper laudati rerum domeſticarum illuſtratores anno MCDLXXVIII. vixiſſe referunt, ſcripſiſſeque

(1) Quæ de Lapio hoc loco Noſter hùc non pertinent, & ad Rodericum Sancii de Arevalo Epiſcopum Ovetenſem ac deinde Palentinum referenda. Petri autem Cixarii ætas ex iis quæ in præcedenti nota retulimus elicienda.

(2) De utroque hoc Scriptore nos ſuprà; & quidem de *Ioanne Socarrats* Lib. IX. cap. IV. n. 240. inter *Uſaticorum Barcinonenſium Gloſſatores*; exſtatque præterea in Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit. d. Plut. II. ſub n.* 8. (T. I. p. 341.) Eiuſdem: *Lectura ſuper Uſatico Barcinonenſi quod incipit*: Auctoritate & rogatu &c. atque huius occaſione: *De deliciis Univerſitatum*; de *Petro* autem *Alberto* Canonico Barcinonenſi, *Lib. IX. cap. II. n.* 62.

672. *Ordinis sui historiam.* Atque item

673. *De perfectione quarti voti Mercenariorum se pretio eorum infidelibus sistendi & mancipandi, quorum apostasia prudenter timeri potest.*

674. At præcipuum quendam locum in hoc Mercenariorum albo LAURENTIUS COMPANY Valentinus habet, vitæ sanctimoniâ & miraculorum etiam laude insignis. Patriâ fuit ex oppido *el Puig* eius regni prope Valentiam, ob eximiam virtutem in vicesimum ordinis sui Præfectum Generalem electus. At cùm in captivitate totis duodecim annis fuisset, pignori à se ipso pro iis quos redimere non aliter poterat, oblatus Mauris: *De captivitate* librum composuisse dicitur. Mortuus est sanctissimè in domo Podii, seu *del Puig*, quæ ei & vitæ religiosæ natalia dedit circa annum MCDLXXIX. uti idem Petrus à S. Cæcilio refert. Ad eundem tamen indigitamus Stephanum de Corbera in *Vita venerabilis matris Mariæ de Socòs*, cap. 14. qui mira de rebus eius sanctè gestis prodit (1).

675. Sub Xysto Papa IV. qui ab anno MCDLXXI. usque ad MCDLXXXIV. Sedi Romanæ præfuit, D. FRANCISCUS à patria DE TOLETO dictus, valdè magnæ vir famæ, Caurienſis Episcopus, Hispanæ genti honoris & Pontificiæ auctoritati compendii plurimum attulit. Extrema è paupertate is emergens, succollatus virtutis perpetuæ humeris, idem semper & bonus, doctrinæ, quam in Parisiensi schola Reginæ Aragoniæ Mariæ sumtibus ibi per decennium exhibitis acquisiverat, vitæque innocentiâ, plusquam opibus aut generis commendatione munitus: eò devenit precipuæ cuiusdam inter æquales existimationis, quò paucissimi, quos æquus (veteri verbo) amavit Iupiter, pervenêre. Nam si vera dixit in orationis Romæ in eius funere habitæ N. Rancanus auctor, quam typis editam vidimus: in deferenda Elisabethæ Infanti ab Henrico fratre Castellæ regnorum successione, opera eius & sententia præcipuè valuit.

676. Eidem Oratori fidem habentes (& quidnî gesta nuper defuncti coram sacro Cardinalium collegio recitanti?) misum novimus eum ab Henrico Rege ad Paulum II. Pontificem, qui anno huius sæculi LXIV. Pio successerat, minimè verò novum Romanæ curiæ hospitem. Constat enim Dominici Capranicæ Cardinalis ab Episcopatu suo Firmani dicti atque optimis comparandi familiæ olim adscriptum, sacramentales eius confessiones ex munere audivisse; morientique officium supremæ eius voluntatis exsecutioni mandandæ exhibuisse: quod quidem Ferdinandus Pulgaris in elogio eius vulgaris linguæ affirmat.

677. Legimusque in Dominici huius Capranicæ Cardinalis rebus à Ioanne Baptista Poggio descriptis (quo auctore in eo laudando inter Martini V. Cardinales Alphonsus Ciaconius fuit usus) Franciscum archidiaconum Toletanum aliis eius familiaribus viris utique lectissimis, in quibus Æneas Sylvius Pius deinde II. Papa, Iacobus Amanatus Cardinalis postea dictus Papiensis, Amicus Aquilanus & ipse Cardinalis, Blondus quoque Forolivienſis fuere, nec sine elogio viri, tum bonitate tum scientia sacrarum literarum omnium illius ætatis facilè principis annumeratum. Atqui mortuus fuit Capranicensis anno MCDLVIII. cuius si voluntatem defuncti exsecutus est, Romæ tunc esse debuit. Immo & Pulgaris testimonio post Cardinalis obitum familiæ Pontificiæ à Pio II. adscriptus, & archidiaconatu Toletanæ Ecclesiæ tunc primùm honoratus, varia legationum munera exercuit: quibus propter facundiæ atque prudentiæ dotes sapientissimo Pontifici aptus natus fuit visus. Ad Ludovicum nempe XI. Galliarum Regem, & Alphonsum Aragoniæ & Neapolis, non semel; necnon & in Bohemiam bis pro reducendis ad viam salutis eius regni hæreticis, cui negotio totis doctrinæ theologicæ, quâ pervicacem ornaverat animum, incubuit viribus.

678. Cui quidem ad nos (si Deo placet) post exhibita hæc officia reverso, iterum in urbem veniendi ad exhibendam Paulo Papæ post sexennium exaltato obedientiam commissæ ab Henrico Rege partes fuere. Xysti autem IV. tempore maiores adhuc honores fuit consecutus. Datarius enim Papæ creatus, homo exterus, Caurienſem quoque ab eo Episcopatum obtinuit; Hispaniæque regnorum negotia unà cum regiis vicibus apud eundem Pontificem administravit, rarò ad hoc tempus exemplo, ut idem & Xysti Papæ & Henrici Regis minister esset. Genuenſem & ipse legationem eiusdem Pauli pro sedandis eius urbis tumultibus cum magna laude & successu obivit. Sacroque purpuratorum patrum collegio iamiam accensendus, quinquagesimo quinto ætatis anno Ro-

(1) Multa item ac præclara de eo Ximenus *Biblioth. Val.* T. I. p. 52. seq. qui & sepulcrale eiusdem elogium in oppido *El Puig*, hodieque superstes adiicit.

Romæ decessit (1), ad S. Iacobi Hispanorum sepultus, vir constantissimo castè, sobriè, piè, atque integrè vivendi tenore ad summam dignitatem & auctoritatem evectus.

679. Scripsisse dicitur quædam philosophicæ atque theologicæ doctrinæ opera, & in iis *Conciones*; necnon & *Theologico-iuridicum contra eos qui ad dividenda & conferenda privatis factionibus regna impotenter aguntur, commentarium*, occasione ut credimus declarati per eos dies ab Hispanis magnatibus Alphonsi Infantis, exauctorato Henrico fratre, Castellæ Regis.

680. Nam alius non est Franciscus Toletanus (quem tamen Decanum vocat Ecclesiæ istius) cuius prolixè meminit huc deveniens Alphonsus de Palentia, rerum huius temporis Scriptor, cùm vernaculâ, tum Latinâ linguâ, lib. 8. cap. 8. *Historiæ Latinæ*, quam exaratam manu habemus. *Franciscus Toletanus* (inquit) *& decanus professor sacræ Theologiæ, vir eruditissimus, singulari honestate præditus, cùm in Ecclesia Toletana resideret, ante depositionem Henrici frequenti populo in publicis concionibus suadebat, ne quid ad exemplum iniquissimi Regis, immo veriùs dissolutissimi tyranni efficeret; & præ flagrantia prædicationis audebat recensere multitudini innumerabilia Henrici delicta, abominatus populum, quòd iugum tam diuturnum, appellationemque Regis illicitam iniustamque pateretur. Hic ipse congratulatus est lætitiæ publicæ tempore exaltationis Alphonsi Regis. Sed refrixit illicò percepta iniquitate propositi Marchionis* (Villenæ), *pravæque cupiditatis procerum nonnullorum; vel quoniam id civitate Toletana ex industria malignantium, & aliis urbibus falsò vulgata fuerit fama, quòd persuasissent Regi Alphonso Magnates persecutionem neophytorum, insimulata corruptelâ & abusu cæremoniarum atque religionis.* &c. Et mox. *Itaque consanguineorum factioni adhærens Decanus facilè persuadetur à Calagurritano benevolente* (hic erat D. Petrus Gundisalvi à Mendoza Toletanus postea præsul & S. R. E. Cardinalis) *ut posthabitis antiquis prædicationibus retractaret veteres suasiones, & in scriptis causam Henrici tueretur*, &c. Et illicò: *Igitur compendio collegit ex libro Regum* &c. Et post pauca, quibus argumentum & collectionem scripti comprehendit: *Adversus hæc* (subdit) *Episcopus Ampuriensis Fr. Antonius de Alcalà apprimè inter Hispanos eruditus, professorque Theologiæ egregius, ordinis Minorum; necnon Magister Fr. Ioannes Lupus, ordinis Prædicatorum, quem valdè venerabatur Comes Placentinus, valuerunt facillimè refellere conclusiones Francisci, prout in libellis eorum largiùs explicatur.* &c. Quæ quidem omnia libuit hic inferere, quòd historia hæc lectu iucundissima lucem adhuc non viderit; & ut memoria duorum horum præstantium theologorum, qui Francisco Toletano & eius Henricianæ apologiæ scriptis se oppositêre, dum de viris agimus doctrinâ illustribus, non desideretur.

681. Nec video quemnam alium hominem significare Ioannes Eisengreinius voluerit, in *Testium veritatis catalogo* suo hæc annotans: *Franciscus de Toleto philosophus, rhetor, atque theologus suæ ætatis clarissimus, & cùm in disputationibus vir magnus, tum in argumentorum ac demonstrationum probationibus argutus atque subtilis, omni doctrina consummatissimus, contra Ioannem Rokizanam Bohemum Hussi discipulum de Eucharistia scripsit.* Hæc ille minus aptè ad annum MCCCLXXXVII. cùm Rokizana non huius, sed inferioris, cui nunc insistimus, sæculi fuerit. Meminit etiam Possevinus.

682. Hominem descripsit ætatis suæ paucissimis cessurum eleganti calamo Ferdinandus Pulgaris (2), qui nec tacet more suo Iudaici sanguinis maiores eius fuisse: in quo convenit ei Alphonsus de Palentia, ut vidimus: quasi meritum eo tempore, non

(1) Ita quidem apud Ægidium Gonzalezium Davilam *Theatr. Eccl. Caur.* in eo. Sepulcralis autem inscriptio ex archetypa in Romanas Ephemeridas nostras relata nonnihil, ei amplius ætatis tribuit. En illam atque eâdem κακογεαφίαν ac linearum œconomiâ:

Deo. Opt. Max. sac. Francisco de Toleto viro integerr. sacrar. litterar. noticiâ excellentiss. mor. sanctimoniâ. fide pietate constantia insigni antistiti Caurienſi Sixti IIII. Pont. Max. Datario cuius opera ad componendas Christiane Relig. principum populorumque discordias. Nicolaus. Pius. Paulus. Sixtus Pontif. domi forisque usi sunt. Qui ab sumpto munere è Liguria rediens magno de se relicto desiderio importunâ morte preventus intempestive occubuit. ann. etatis sue LVI. men. VII. die X. salutis MCCCCLXXIX. V. Id. Febr. Sixti IIII. ann. VIII. Alfonsus eciam de Toleto fratri benemerenti posuit.

Subditur eidem clypeus intra quem Episcopalis galerus & sub ipso crux utrimque parilis, quam vulgus *Græcam*, Hispani vero *de talega* dicimus; inque eius centro atque itidem in quatuor brachis stella conspicitur; quatuor autem crucis angulos sive recessûs totidem lilia occupant.

(2) Exstat eius elogium in opere: *Claros varones de Castilla* Tit. XXIII.

non dedecus haberetur divina ope in lucem à barathro infidelitatis emergere. Quantum ab illo nunc mutata exiſtimatio gentis noſtræ ! Simile aliud Lucii Marinæi elogium lib. 6. *De rebus Hiſpaniæ* legere eſt. Suumque Ægidius Gundiſalvi Davila in *Caurienſis Eccleſiæ theatro* ſymbolum dedit.

683. IOANNES VALENTINUS (DE VALENTIA vulgus dixerit, niſi patrium velis agnomen credere) Minorum fratrum ſodalis, à Luca Wadingo *Annalium* ſui ordinis volum, 7. ad annum MCDLXXX. pag. 76. laudatur, eo quòd opus ſcripſerit

684. *Doctrinale ſalutis* nuncupatum. Huius tamen *De Scriptoribus* agens non meminit.

685. Superiore anno MCDLXXIX. tertiò idus Iunii vir ſanctiſſimus evolavit ad cælos IOANNES DE S. FACUNDO, vulgò de SAHAGUN, à patria, quod Caſtellæ veteris oppidum eſt, cognominatus, familiaris aliquando Alphonſi de Carthagena Burgenſis Epiſcopi, canonicus inde huius Eccleſiæ : quibus & aliis beneficiis, ut nudus & pauper Dei opus ageret, concionator verè Apoſtolicus, renuntiatis, tenui capellaniæ cuiuſdam Burgenſis dote contentus vixit, mira in Eccleſiaſtis ad unguem gerendo munere operatus. In Bartholomæanum inde (*Salmanticenſe*) collegium tunc recèns conſtructum admiſſus fuit ad capellani, ut vocant, interioris officium. Quo poſt quadriennium dimiſſo, concionibus ferè quotidianis ad populum habendis, cui miniſterio totum ſe inflammatum ſentiebat, Salmantinæ reipublicæ ſumtibus ſufficienter exhibitis, omnem impendit operam ; neque intermiſit quicquam poſtea dicto inter Eremitas S. Auguſtini religioſæ vitæ ſacramento in eiuſdem urbis cœnobio : quod quidem ſanctiſſimè vitâ functi exuviis, honorificentiſſimo propriæ capellæ ſepulcro commendatis, gaudet.

686. Nihil nobis aliud quàm ſumma capita ex hiſtoria tanti viri decerpere animus fuit. Virtutibus enim eius heroicis uberibuſque, & miris captis è concionum ſemente fructibus, patratiſque ſupra vires naturæ operibus duorum uſque ad hunc diem ſæculorum plena ſunt commentaria. Incidimus iam & in id tempus, quo ſolemnis dies canonizationis, ut vocant, ſancti herois ab Innocentio XI. Pontifice aſſignandus quotidie exſpectatur [b]. Hoc enim anno, quo hæc ſcribimus MDCLXXIX. decretum S. Congregationis Rituum ab eodem Pontifice approbatum, deveniri poſſe ad hunc actum, quando Sanctiſſimo placuiſſet, emanavit. Neque alienum dicas ab inſtituto Bibliothecæ noſtræ Scriptorem quarundam vitæ ſuæ *Confeſſionum* : quas Auguſtini parentis exemplum ſecutus poſt ſe reliquit, in actiſque cauſæ ſanctitatis eius laudantur ; & *In Biblia marginalium notarum*, quarum eas, quæ legi potuerunt, ex autographo ipſo, quod Auguſtini Antolinez Compoſtellani præſulis fuit, ad hiſtoriam ſuam *Salmantinæ Auguſtinianæ domus* tranſtulit vir diligens Thomas de Herrera eiuſdem ordinis cap. 12. qui & Notas eiuſdem alias *Super Summam Bartolinam* (neſcio autem quò reſpiciens) laudat. Dies eius obitûs Iunii undecima fuit, ad quam in *Martyrologio Hiſpano* Ioannes Tamaius celebratores Sahaguntini herois rerum collegit (1).

687. Nec tantus ſanctitate vir dedignabitur poſt ſe admittere hoc in loco PETRUM UXAMENSEM, qui quantumvis à veræ doctrinæ via deerraverit : citò pedem retulit ad ſe reverſus, PETRUS DE OSMA hic vulgò ab urbe natali dictus, quæ *Uxama* olim audiit, Salmantini gymnaſii, cùm nondum deſiperet, in paucis honos & lumen fuit, magiſter theologus renuntiatus, & ſacri huius ſtudii primarius & antemeridianus profeſſor, idem & canonicus Salmantinæ huius urbis Eccleſiæ, & Bartholomæani togatorum collegii anno MCDXLIV. receptus ſodalis. Qui cùm in libro quodam *De confeſſione* inſcripto nonnullis erroribus ſe implicuiſſet : apud Synodum provinciæ Toletanæ, expediendi huic rei Pontificia Xyſti IV. Papæ auctoritate ab Alphonſo Carrillo antiſtite MCDLXXIX. Compluti congregatam, ſalubriter admonitus iis renuntiavit, dogmatibuſque catholicis adherere ſe in poſterum velle, ex animi ſententia proteſtatus fuit. Rem, uti facta eſt, cum capitum damnatorum, & abiurationis de iis factæ publici inſtrumenti notitia, Bartholomæus Carranza in *Summa Conciliorum* prodidit.

688. Virum autem, niſi hac maculâ ſeſe fœdâſſet, optimis Hiſpaniæ doctoribus annumerandum his verbis laudat Antonius Nebriſſenſis : *Quanto ingenio & eruditione fuerit magiſter Petrus Oxomenſis* (in *Apologia* inquit *earum rerum, quæ ſibi obiicerentur*) : *nemo eſt qui ignoret, cùm poſt Toſtatum illum, omnium iudicio apud nos fuerit, noſtra ætate in omni genere doctrinæ facilè princeps. Is fuit ex portione beneficiarius in Eccleſia Salmanticenſi* (non ergo Canonicus, ſed Portionarius, contra id quod aliorum (1) fidem ſecuti diximus) : *cui ex decani & capituli decreto delegata fuit provincia libros Eccleſiaſticos emendandi, propoſita illa mercede laboris, ut pro quinis quotidie chartis emendandis mereretur quas appellant diſtributiones quotidianas, tametſi rei divinæ non intereſſet. Eſt in ea Eccleſia utriuſque Teſtamenti codex pervetuſtus, qui mihi ſæpe fuit uſui ad eam rem, de qua nunc agitur. Ab eo caſtigationum ſuarum initium Oxomenſis fecit, conferens illum, opinor, ad aliquem è recentioribus libris, atque diſpungens vera, & inducens falſa : diſtorſit à prototypo exemplari pluſquam ſexcentos locos, quos tibi pater clementiſſime* (ad Franciſcum Ximenium Toletanum antiſtitem loquitur) *oſtendi, cùm illic eſſet curia.*

689. Præter hanc collatam Bibliorum recognitioni operam, ſcripſit Petrus noſter *Super ſex libris Ethicorum Ariſtotelis ad Nicomachum commentaria :* quæ grandi volumine MSS. exſtant in Toletanæ ſacræ ædis maximæ bibliotheca pluteo 37. num. 2. atque in lucem prodiiſſe Salmanticæ anno MCDXCVI. in folio è Ciaconio didicimus : quæ quidem editio eſt in bibliotheca Hiſpalenſis Eccleſiæ, quæ fuit Ferdinandi Coloni, ut ſæpiùs diximus.

690. Librum item *De confeſſione* memoratum, unde ei tota mali labes.

691. Necnon *Super libros metaphyſicorum* (2) ; ac denique *De comparatione deitatis, proprietatis, & perſonæ, diſputationem ſeu repetitionem :* quæ fuit inter libros MSS. Antonii Auguſtini Tarraconenſis Archiepiſcopi.

692. FR. VINCENTIUS MAZUELA, neſcio cuius religioſi Ordinis, vertiſſe dicitur è Gallica in vernaculam noſtræ gentis linguam

693. *El peregrinage de la vida humana* Toloſæ editum per Henricum Aleman anno MCDLXXX. Auctor operis Gallici Fr. Guilielmus de Gralleville abbas Silvanectenſis urbis, qui verſibus compoſuit ; at proſaicum fecit religioſus alter Anonymus, iuſſu Sereniſſimæ Ioannæ Siciliæ Reginæ. Hæc totidem ferè verbis D. Thomas Tamaius in *Magna collectione librorum Hiſpanorum*, quam vidimus MS. Vereor tamen, ne Toloſana illa editio non verſionis Hiſpanæ, ſed Anonymi illius Galli qui proſâ loqui fecit primùm auctorem, Gallicæ tranſformationis ſit ; Vincentiuſque Hiſpanus interpres, recentior aliquis, aut non huius ſæculi.

694. Sub Alphonſo V. Portugalliæ Rege, qui anno MCDLXXXI. fato functus eſt, LAURENTIUS monachus monaſterii *de Alcobaza* Ciſtercienſis ordinis floruit : cuius ignotum poſteris genus, at non ſanctitas morum. Hunc ſextâ Martii in Hagiologio ſuo Luſitano Georgius laudat Cardoſus, adiiciens inter ſchedas ſuas reliquiſſe eum nonnulla opera, præcipuumque in his tractatum *De conceptione Deiparæ Virginis.*

695. Fatalem hunc laudato Alphonſo Regi annum deſtinavimus memoriæ Hiſtorici cuiuſdam eius famâ celebris. GOMEZIUS IOANNIS (vulgò EANEZ) DE ZURARA huius temporis æqualis fuit, ordinis Ieſu Chriſti eques ac regii Uliſiponenſis tabularii cuſtos (*Guardamôr da torre do Tombo* audit munus) : qui rei ſibi ab Alphonſo Rege commendatæ facturus ſatis, Fer-

[b] Iam inter divos relatus eſt ab Alexandro VIII. anno MDCXC. CARD. DE AGUIRRE.

(1) Barnabæ ſcilicet Apoſtolo ſacrâ, appetente iam nocte MCCCCLXXIX. ut notat Marchio de Alventos *T. I. pag.* 151. Eccleſia tamen, veterem diei initium à primis ut aiunt veſperis numerandi morem ſecuta, proximâ, id eſt, XII. Iunii eius feſtum quotannis celebrat.

(1) *Franciſci* ſcilicet *Ruizii Vergaræ* Bartholomæani Salmanticenſis Collegii alumni & Hiſtorici, qui in ipſius Hiſtoria Matriti 1661. edita primus id prodidit, *pag.* 100. *n.* 66.

(2) Exſtat penes me Hiſpanica *Petri Oxomenſis* Metaphyſicorum verſio *Anonymo interprete*, ante annum, ut ex charactere coniicimus, MD. facta ; conſtatque CLXXIV. foliis formæ quartæ quam maiorem vocant, ſpiſſo ac minuto charactere, ſtipatiſque linearum ſulcis : in cuius extremo folio hæc leguntur : *Aqui ſe acaba un breve compendio ſobre los ſeæ libros de la metaphiſica de ariſtotiles : copilado por el fijo de la philoſophia natural no denegando la moral* PEDRO DE HOSMA. *Por el tiempo que él lo copilò era licenciado en Artes. letor de philoſophia natural en la Univ... de Salam... e deſpues con ſolepnidat grandiſſima recebio el Magiſterio. Fue trasladado en rromance por mandado de fernan Gonzalez regidor de la noble Villa de Valladolid Camarero de Don fadric Almirante de Caſtilla. por el grand deſſeo que tenia de cognoſcer el juycio de maeſtre* PEDRO DE HOSMA. *por quanto él era mucho ſingular amigo ſuyo ; y en ſus tiempos no era fallado ſemejable à él en las artes : anſi gramatica pratica como ſpeculativa : logica ſophiſtica è rracional : philoſophia natural è moral : mathematica ſobre todas : Theologia de Dios revelada por los Santos è por juycio alcançada : en todas las ſciencias fufficientiſſime fue inſtructo. El rromance no fue rretoricado porque fue al pie de la letra conſiguiendo el latin. Por ende Señor à vos demando mucho perdon porque no và ſegun perteneſcia à vueſtro buen juyzio. Soy preſto para enmendar è ſatisfacer en otras qualeſquier coſas que por vos à mi ſean mandadas. anſi como al vueſtro capellan è orador. Faciendo fin demos gracias infinitas à aquel que es principio è fin de todas las coſas. Amen.* In Bibliothecæ Vaticanæ, olim Chriſtinæ Suecorum Reginæ, Indicibus noſtris, *num.* 220. notatum reperi : *Petri de Oſoma : Expoſitio Symboli* : Quicumque : *Typis Pariſienſibus.* Inc. *Antequam* &c.

Ferdinandi Lupi veteris chronographi Eduardi, huius Alphonsi parentis, filo in manus sumto, historiæ suorum temporum telam continuavit. Obscurum quidem in Lusitaniæ Regum chronicis habetur, cuiusnam auctoris, quodque eorum sit: inde scilicet contractis tenebris, quòd absque auctoris nomine, solo Regis cuius rebus gestis inhærebat ornatum titulo, unumquodque per exempla circumferretur.

696. Attamen Damianus à Goes Emmanuelis Historicus rem hanc, quâ potuit homo diligens ac industrius, luce donavit. Ex eo & aliis Lusitaniæ Scriptoribus colligimus historiam Ioannis I. Regis, quæ ante aliquot annos Ulisipone in lucem è tenebris tandem emersit, non totam Ferdinandi Lupi esse. Quandoquidem Gomezius ipse in historia sua *Expugnationis Septensis in Africa urbis* paulò pòst laudanda, disertè ait Ferdinandum hucusque, hoc est ad huius expugnationis tempus, Ioannis Regis res gestas perduxisse. Neque huic affirmationi contrarium est, quod Ferdinandus ipse huius historiæ secundæ partis capiti 149. consignaverit verba hæc, quæ pro Lusitanis Latina damus.

697. *Habuit Rex filium, cui Eduardo nomen, in urbe Visensi natum, qui post eum regnavit, ut in sequentibus audietis.* Ex quibus Goesius duo colligit: alterum, scriptum ita fuisse defuncto iam Rege Ioanne: & alterum, Eduardi quoque vitam ab eodem Ferdinando conscriptam fuisse. Sed prius concedi, posterius autem negari, nec temerè, potest. Cùm neque à vero absonum sit, post Ioannis obitum eius historiæ conscribendæ dedisse adhuc operam Ferdinandum Lupi; atque id quod de Eduardo promisit se scripturum, intra spem quam conceperat, factamque eius etiam partis promissionem, steterit. Certè clavus mihi trabalis est Gomezii asseveratio, Ferdinandum in Ioannis historia expugnatæ à Mauris Septæ urbis tempora non excessisse. Quicquid ergo abhinc ibidem legitur Gomezii esse, non dubitavit Franciscus Suarez Toscanus in *Parallelorum* suorum cap. 28. & 44. laudatam Ioannis Regis historiam, vel Gomezio, vel utique & Ferdinando Lupi & Gomezio Ioannis, tribuens. Sed & is conscripsit specialem commentarium, eiusdem Alphonsi Regis iussu, eorum quæ post laudatam Septensem expeditionem sub primo eius urbis præfecto D. Petro Menesio contigêre: quod ut qua maiori poterat diligentia conficeret, in Africam transfretare iussus fuit, ibique certiora magni huius ducis monumenta colligere. Id circumfertur cum Lusitano, quâ linguâ scriptum est, hoc titulo: *Chronica dos feitos do Conde D. Pedro de Meneses primeiro capitaon que foi de Septa;* nec hactenus lucem vidit.

698. Nihilominus celeberrimi eiusdem inter Lusitanos herois bello paceque gesta ante quadraginta ferè annos D. Augustinus Emmanuel Vasconzellus eques Lusitanus, vir disertus, atque infelici fato suo ad posteros clarus, eleganti quodam libello renovataque operâ describens, Gomezii commentarium, stilo quantumvis rudi, & ex temporis captu; necnon quandoque inopem, & supplementi, quòd à se procuratum ait, ne iam desideraretur, indigentem, plurimum certi ac diligentis continere ait. Sed ab confecta per Gomezium, auspiciis præceptoque Regis Alphonsi, hac historia (quæ duorum Petri atque Eduardi eius filii Septæ præfectorum gestas res comprehendit) rectè meo iudicio Goesius colligit, iam eo tempore absolutam fuisse historiam Eduardi Regis, Alphonsi parentis. Neque enim alienis ornandis virtutibus, historiaque propagandis tam sedulò Alphonsus incubuisset, quin priùs res patris gestas literis tradi procurâsset.

699. Sed idem Goesius de Eduardi historia ita censet, Ferdinandi Lupi eam esse: cui Gomezius orationes quasdam, ut volumen parvum hoc augmento ditaret, adiecit; necnon & relationem exsequiarum Ioannis Regis, quæ proprior erat historiæ eiusdem Ioannis, quàm Eduardi filii. Sed & his duobus tertium subiunxit, Rodericum de Pina scilicet, qui cum iis partem habuit in absolvenda Eduardi hac historia.

700. Præter hanc, describendis Alphonsi rebus incubuit, saltem (ait Goesius) usque ad Petri Infantis obitum (1). Nec dubitabat, quin & expugnationem Arcillæ urbis Africanæ oræ, quæ anno MCDLXXI. contigit, idem describserit; cùm instrumentum quoddam eius manu sequenti MCDLXXII. roboratum ipse viderit, nec nisi aliquot post hunc annis fato functus sit.

701. Hæc omnia de Gomezio nostro à

(1) Exstat in Bibliotheca Collegii S. Bartholomæi Salmanticensis hoc titulo: *Gomez de Zurara Chronica del Rey Don Juan el primero de Portugal en Portuguès. Volum. I.* Apud March. de Alvêntos *T. I. pag.* 322.

à Goesio desumi opus fuit. Cui quidem etiam tributum vidimus *De Guineæ inventione*, tempore Eduardi Regis Henricique eius fratris, cuius auspiciis hæc expeditio facta fuit, librum: quem cum aliis qui Garsiæ Loaisæ olim fuêre inventum, Ioannes Tamaius Salazarius non nusquam laudat. Certè hic apud D. Hieronymum Mascareñas Segovienſem Episcopum, cùm in vivis esset, fuit. Neque ad alium oculos habere potuit vir cetera diligens Antonius de Leon Pinelo, quum in *Epitome bibliothecæ*, indiceque huiusmet, Gomezii historiam *De las conquistas y descubrimientos de la India* manuscriptam exstare ait; neque enim nisi post plures annos Indicæ res Lusitanis Argonautis patuêre.

702. Sed & opus ab his aliud *De miraculis magnî Portugalliæ Comestabilis D. Nonnii Alvarez Pereira*, vernacula non minùs linguâ scriptum, Georgius Cardosus in Hagiologio duodecima die Maii laudatum reliquit. Hæc de Zurara.

703. Ab Alphonsi Regis Historico seiungendus non est laudatissimus orator. Hic est GARSIAS MENESIUS, amplissimæ huius familiæ ornatissima proles: qui cùm florente adhuc ætate militarem vitam egisset, ad sacram conversus atque Eborensis Ecclesiæ præsul factus, cum classe ad Italiam ivit in Neapolitani Regis Ferdinandi auxilium adversus Turcas Hydruntum in Appulia occupantes; occasioneque opportuna interim capta, Romam ivit ad Xystum IV. Pontificem Regis sui Legatus: ad quem orationem elegantissimam habuit in templo Pauli Apostoli coram purpuratorum patrum Senatu, quâ eum mirum in modum, omnibusque rhetoricæ doctrinæ armis usus, bello ut hostibus Christianæ religionis inferendo, expellendisque ab Italia Turcis auxilium ferret, exhortatus fuit.

704. Hanc pronuntiâsse eum sic aptè atque acriter pro rei dignitate bene Latinam atque elegantem fama est, ut Pomponius Lætus, celebris eius ævi philologus & rhetor, concioni præsens, *Pater sancte* (ad Xystum dixisse feratur), *quis est iste barbarus, qui tam disertè loquitur?* Eo enim *Biblioth. vet. Hisp.* Tom. II.

(1) De cognomine alio Scriptore Antonii, itidem Scriptoris, fratre è Prædicatorum Ordine, dictum suprà sub finem capitis primi huius libri, in *Addendis sub initium sæculi XV.*

ADDENDI AB ANNO MCCCCLXX. ET DEINCEPS AD ANNUM CIRCITER MCCCCLXXX.

Ferdinandus Didaci de Carrione, Scholasticus, qualem se Ipse appellat, *Emeritus*, anno MCCCCLXX. scripsit: *Repertorium super omnibus tam novis quam veteribus decisionibus Rotæ.* Exstat in Bibliotheca insignis Collegii S. Clementis Hispanorum Bononiæ inter MSS. codices ubi id nos ad annum MDCCLVI. vidimus.. ITEM *Antonius de Burgos* Iurisconsultus Hispanus scripsit: *Super Decretalium tertium: De emtione & venditione* librum Papiæ MCCCCLXXI. editum. Fabricius *med. & inf. T. I. p.* 122. Apud Gesnerum hujus editionis annus corruptè legitur MCCCCXI.. ITEM. *Ludovicus Cornelius* (Cornêll) eques Valentinus, Ximeopprobrii nomine quoscumque exteros Itali vocabant, quo tempore iis auctoribus renascebantur literæ: ut olim Græci quoscumque alios qui Græci non erant. Gaspar quidem Barreiros Lusitanus, cùm in urbem Cardinalis Henrici Portugalliæ mandato agendi gratias Paulo III. Papæ pro misso sibi Cardinalitii galeri ornamento, instructus se contulisset: hanc orationem, Romæ olim eo ipso anno quo recitata fuit, millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio aut circiter editam à Iacobo Sadoleto Cardinali eloquentissimo accepit; ac in Portugalliam reversus, unà cum *Itinere* suo vulgaris linguæ *à Pacensi urbe usque ad Mediolanum* anno MDLI. iterum edidit: cuius ad orationem eam prolocutio lectu dignissima est. Ea enim singularis à Sadoleto & aliis præstitum oratoris Lusitani facundiæ & actioni testimonium laudis continet.

705. ANONYMUS quidam eiusdem Alphonsi Portugalliæ Regis iussu confecit, atque ei nuncupavit, *Desprecio del mundo, en octavas Castellanas exemplificadas.* Quem librum asservari in Brigantinæ domus bibliotheca, testis est mihi Georgius Cardosus in schedis.

706. Sub eòdem Rege, atque eius dicto audiens, LUPUS VASQUEZ DE SERPA, ab oppido isto Transtaganæ provinciæ forsan dictus, ex Latino in vernaculum vertit *La toma de Constantinopla per lo gran Turco:* sive expugnationem Constantinopolitanæ urbis Turcarum armis factam, quam scribebat Monte-forti XVII. Iulii MCDLX.

707. Debemus quidem nil relinquere ad argumentum pertinens, quamvis informe & indigestum, excitaturi alios ut maiori industria rem perficiant. Ludovicus Pons Icart in vulgari libro *De las grandezas de Tarragona*, cives huius urbis Scriptores colligens, PETRUM DE CANALES monachum Benedictinum monasterii S. Cucufatis (vulgò *S. Culgât del Vallês*) Cataloniæ Principatûs, refert Ioannis Regis Aragoniæ iussu historiam quandam è Latino in vulgarem sermonem, hoc est Castellanum, ut credimus, vertisse; nec ultrà de ea quicquam (1).

CAPUT XIII.

DIDACUS DE VALERA *Conchenſis. Eius peregrinatio. Scripta.* B. AMADEUS LUSITANUS. ANONYMUS *ſcriptor libri De las virtudes.* ALPHONSUS HISPALENSIS DE CORDUBA tabularum Aſtronomicarum *auctor.* ANONYMUS *Valentinus.* FERDINANDUS CORDUBENSIS. D. IOANNES MOLES MARGARÎT *Gerundenſis Epiſcopus, & S. R. E. Cardinalis.* PETRUS DE OPTA *auctor operis cui titulus:* Splendor Fidei.

708. POSTREMAM gerebat his diebus, quos proſequimur, ætatem DIDACUS DE VALERA Conchenſis natu, animi fortitudine, prudentia & literarum amore, atque ſcriptis frugi operibus tranſmitti ad poſteros impensè dignus. A tenera ætate videtur is curiam ſecutus, Ioannis Caſtellæ Regis familiam auxiſſe, ſive Henrici principis, quum formata ei propria familia fuit, puerorum numerum; ſiquidem cum Domicelli titulo (*Donzel* vulgò) regiiſque literis inſtructus, ne in aulæ otio marceſceret, patriam reliquit, Europæ magnam peragraturus partem, regiarumque in ea curiarum notatu & imitatione dignum quicquid eſſet obſervaturus. Gallicanam priùs Caroli Regis ſeptimi adiit, Auſtriacam deinde Alberti Ducis ante annum huius ſæculi ſeptimum ſupra triceſimum: cuius aciem ſecutus, contra Bohemos bello interfuit. Viennam hinc reverſus, ad cœnamque ab Alberto cum aliis invitatus: Auſtriaco cuidam proceri de regio Caſtellæ vexillo in Alcobazæ monaſterio ſibi oſtenſo procax dictum prudenter non minus quàm fortiter repulit: quod Garibaius noſter cap. 26. lib. 16. *Compendii ſui hiſtorialis* narrat. In cuius gratiſſimæ ſibi rei teſtimonium (idem auctor ait) certior factus Ioannes Rex, edixit *Moſſen Didacum*, quod præcipui honoris titulum exprimit, exinde nominari eum debere. Alicubi & ipſe ſcriptum reliquit ſe Pragæ Bohemorum anno MCDXXXVII. eundem Albertum iam Imperatorem (in Sigiſmundi ſoceri locum hoc ipſo fuerat anno electus) Barones ritu ſolemni creantem vidiſſe.

709. In patriam reverſo cùm annus ageretur ſæculi quadrageſimus, iſque inter Hiſpanos fortiſſimus & duellis aptiſſimus reputaretur: nulli alii per Ioannem licuit Regem provocationi Petri Chernei cuiuſdam Burgundionum Ducis ſubditi, pro more illorum temporum ſeſe paratum offerre; atque ea occaſione Regis nomine Daciæ Reginam, Angliæ Regem, atque eundem Burgundiæ Ducem adiit, ut Stephanus Garibaius eiuſdem 16. lib. hiſtoriarum cap. 28. refert. A quo tempore nîl memoriæ conſignatum feciſſe novimus, uſque ad annum quadrageſimum octavum: quo, uti legitur in vulgari *Ioannis II. hiſtoria*, procurator cùm eſſet ſuæ Conchenſis urbis, unà cum aliis, ad comitia totius regni evocatus: irato Regi adverſus quoſdam illius magnates, ſeveraque omnia proponenti ut aſſenſum quomodocumque ſuffragiaque extorqueret, ceteris ſive tacentibus, ſive ſecundantibus, in faciem pari modeſtia ac virtute reſtitit; nec eo contentus, idem clementiæ pacique magis conforme votum, literis ad Regem datis conſtantiſſimè, Alvari Lunæ contrarium ſuo conſilium, atque impotentem iram nihili ducens, confirmavit. Quo animi vigore Petro Stunicæ Placentiæ Comiti adeò ſe commendavit: ut ad eius evocari domum, Petrique nepotis formandis moribus præfici meruerit.

710. Poſt huius Petri obitum in Alvari Stunicæ, atque eius filii Petri alterius, alumni ſui, comitatu manſiſſe videtur. Ipſe enim annotatum nonnuſquam voluit ſecutum ſe nuper laudatum Petrum eo tempore quo Thereſiam Guzmanam Ioannis Alphonſi primi Ducis Aſidonenſis filiam coniugem duxit. Sed rexiſſe eum anno MCDLXXIX. urbem Segovienſem, aliunde compertum eſt. Iam verò rerum dominis Ferdinando & Eliſabethæ, Catholicis cognominatis Regibus, pro merito ſuo commendatus, cùm chronographi & conſiliarii, tum etiam (quod in Chronici cuiuſdam ſui fronte reliquit annotatum) epularum diribitoris (*Maeſtre-ſala* vocant) functus fuit muneribus. Cuinam autem veteri teſtimonio credens Thomas Tamaius his addiderit capellani etiam aliud munus, neſcire me aio; niſi ſacris, poſt laica officia omnia priùs dicta, initiatus, miniſterium hoc iis quoque præſtiterit.

711. Apud Marinæum Siculum lib. 6. *De rebus Hiſpaniæ* hoc elogium habet: *Didacus quoque Valerianus & literarum & rei militaris gloriâ ſplendidus fuit: qui ſermone Hiſpano plures compoſuit hiſtorias, atque magis ingenio quàm doctrinâ fretus.* Ad ſcripta eius opera iam accedentibus nota hæc ſunt, quæ laudemus,

712. *La Chronica de Eſpaña abreviada por mandado de la muy poderoſa ſeñora Doña Iſabel Reyna de Caſtilla por Moſſen Die-*

meno & noſtratibus Bibliographis indictus, anno MCCCCLXXIII. Lemoſino ſermone ſcripſit: *Les ſues letres de batalla* (id eſt: *Carteles de deſafio*) *à Moſſen Galcerân de Besôra*, in quibus variæ hinc inde literæ Galcerandi ſcilicet ad Cornelium de eodem argumento: inque iis formulæ & ſolemnitates ſingularium certaminum ſive duellorum. In Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit. L. Plut. I. ſub n.* 25. T. III. p. 247.)... ITEM *Ioannes Marbres* Catalanus Magiſter Artium Toloſæ & Canonicus Dertoſanus ſcripſit: *Quæſtiones in VIII. libros Phyſicorum* Paduæ (Patavii) editas MCCCCLXXV. Apud Montfauconium *Biblioth. Bibl. T. I. pag.* 401. *col.* 2. *n. XX.*. ITEM *Frater Ennecus Mendoza* Ordinis Minorum cuius ſuprà, cap. IX. huius libri, n. 468. in Enneco Lopezio Mendoza Marchione Sant-Iulianenſi meminimus, ſub idem tempus varia ſcripſit metricè: *Vitam* ſcilicet *Chriſti* dimetris, *ad Illuſtrem feminam Ioannam de Carthagena: De Virginum cuſtodia & clauſura*; necnon: *Sermon trobado* (id eſt *metricus*) *que fizo al mui alto è mui poderoſo principe Don Fernando Rey de Caſtilla y de Aragon ſobre el yugo y coyundas que Su Alteza trae por diviſa*; atque item: *Coplas que fizo al miſmo Rey Don Fernando, y à la mui eſclareſcida Reyna Doña Iſabel ſu mui amada muger, en que declara que por el advenimiento de eſtos muy altos Señores es reparada nueſtra Caſtilla*; ac minutiora alia: quæ exſtant in Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit. K. Plut. III. n.* 7. (T. III. p. 359.) ITEM *Iacobus de Angleſola* eques Valentinus, circa annum MCCCCLXXX. ſcripſit patrio Lemovicenſium ſermone librum: *Suceſſos de aquel tiempo*. Apud Ximenum *Biblioth. Val. T. I. p.* 53. ITEM *Bartholomæus Martî* Sætabitano-Valentinus S. R. E. titulo Sanctæ Agathæ Cardinalis Epiſcopus Segobricenſis binas edidit Conſtitutiones Synodales annis MCCCCLXXIX. & MCCCCLXXXV. Ximenus *Bibliot. Val.* in eo *T. I. p.* 66... ITEM *Balthaſſar Ioannes Balaguêr* Valentinus Ciſtercienſis, Cœnobii B. V. Mariæ de Valldigna Monachus patrio ſermone ſcripſit: *Reſpoſta en lahôr de la Concepciô de la Sacratiſſima Verge Maria per la juſta Poetica del any MCCCCLXXXII. & alia apud Ximenum videnda* in eo *T. I. Bibl. Val. p.* 70... ITEM Doctor Franciſcus Monçôn, qui circa annum MCCCCLXXX. ſcripſit Librum: *Eſpejo del Principe Chriſtiano*: de quo videſis Ægidium Gonzalezium Davilam. *Theatr. Eccl. Seguntinæ cap. XII. pag.* 173.

go de Valera ſu maeſtre-ſala, y de ſu conſejo. Prodiit primùm Cæſarauguſtæ anno MCDXCIII. ex officina Pauli Hurus Conſtantienſis; deinde Hiſpali MDXXXIV. atque iterum è Sebaſtiani de Truxillo anno MDLXVII. fol. Hanc ſe abſolviſſe auctor ait in pervigilio S. Ioannis MCDLXXXI. in portu S. Mariæ (Gaditani ſinûs admodum celebri nunc oppido), cùm ætatis ageret ſexageſimum (alias ſeptuageſimum) nonum; priorem enim numerum Cæſarauguſtana, poſteriorem aliæ editiones præferunt (1). *Nunquam ſatis laudatum Chronicon* in Notis ad Luitprandum Thomas Tamaius vocat; cuius & Ioannes Vaſæus meminit in præambuli ad ſuum *Chronicon Hiſpaniæ* cap. 5. An autem diſtincta ſit *La Cronica de los Reyes catolicos Don Fernando y Doña Iſabel*, quod opus noſtro attribuitur in MS. codice bibliothecæ Villumbroſanæ: nondum compertum habeo.

713. *Coronica de algunos Reyes de Caſtilla, deſde el Rey Don Sancho el de Zamora.* Fuit in bibliotheca Olivarienſi in fol. MS. ut ex eius conſtat catalogo: ad cuius oram curioſus quidam homo, qui bibliothecam tamquam digitos notam habebat (2), monitos lectores voluit, hunc librum eſſe ipſum quem manu ſua ſcripſit auctor Didacus de Valera; continereque hiſtorias Alphonſi VI. Urracæ Reginæ, Alphonſi VII. & ſucceſſorum, uſque ad Berengariam Ferdinandi Sancti matrem inclusivè.

714. *Chronica de la antiguedad de Francia.* Ms. exſtitit in eadem Olivarienſi bibliotheca in folio (3).

Sæpius autem occurrit ad paginarum codicis oras: *Es de D. Bartholome Baſurto ſu biſnieto*, id eſt: *Pertinet ad D. Bartholomæum Baſurtum auctoris pronepotem.* De hoc codice plura nos inferius.

(2) Fuerit fortaſſe Frater Lucas de Alaejos Monachus Hieronymianus Eſcurialenſis, qui ab anno 1624. ad 25. eius Bibliothecæ confecit Catalogos abſolutiſſimos, duobus voluminibus fol. qui exſtant penes me autographi.

(3) Neutrum è præcitatis Chronicis reperi inter MStos codices Bibliothecæ Comitis olim Ducis Olivarienſis; nec *Lit. C. MS.* neque verbis *Chronica*, & *Hiſpania*: ad quæ Lectores manuducit eius Bibliothecæ catalogi auctor; poſtremum autem eorum, nimirum: *Chronica de la antiguedad de Francia*, habetur MS. in paulo antè laudato Regiæ Bibliothecæ Matritenſis codice, in quo Hiſpalenſem MCCCCLXXXII. Valeræ *Chronicorum Hiſpaniæ* editionem exſtare nuper dicebamus. Continet enim is codex varia inſuper Valeræ opuſcula MS. atque in eiuſdem fol. 328. legitur: *Prologo de la obra ſiguiente dirigido al noble è virtuoſo cavallero Juan Terrin por Moſen Diego de Valera en el tratado de la genealogia de los Reyes de Francia*: quod non diverſum eſſe puto ab inſcripto: *De la antiguedad de la Francia.*

715. *De los ilustres varones de España* liber quoque eidem tribuitur.

716. *Historia del Rey D. Enrique quarto* inter libros fuit, quibus ad Bæticam describendam nobilitatem Gundisalvus Argote de Molina usus fuit, ut ipse testatur (1).

717. *Libro de las divisas.* Hunc etiam laudat Gundisalvus Argote. Diversus, an idem, cum eo qui sequitur?

718. *Tratado de las armas.* Hunc vidimus MS. in domo Marchionis de Benamexî, nostri ex sorore nepotis: ex quo codice specimen totius operis, inediti ad hoc tempus, dare hìc placuit. Nuncupatio: *Introduccion al muy alto, muy eccelente, e virtuoso principe Don Alonso V. Rey de este nombre de Portugal y del Algarve, señor de Cepta y Alcacer Zaguer en el tratado de las armas, compuesto por Diego de Valera.* Quod quidem scriptum fuisse ante annum MCDLXXI. facilè cuivis persuadebit silentium, inter nova, hoc est Africana, dominia Regis, Arzillæ, ac Tingi hoc anno expugnatarum. Tribus partibus opus constat. *La primera trata de las armas necessarias, que por querella se hazen; y las costumbres de los Rietos en Francia, España, y Inglaterra. La segunda de las armas voluntarias, que sin necessidad alguna se emprenden, como son las hechas por prueva de valor ò destreza, ò en defensa de alguna divisa. La tercera de las señales, que llaman comunmente armas, de que usan los nobles* (2). Huic ita inscripto ac breviter descripto operi, subiungitur in eodem MS. codice:

719. *El ceremonial de principes, compuesto por Mossen Diego de Valera, al muy magnifico y inclyto señor D. Juan Pacheco Marques de Villena* (3).

720. *Tratado de la nobleza y lealtad.* Pinciæ hunc editum à Didaco Gumiel anno MDII. in 4.° vidit alicubi D. Thomas Tamaius. At in libris Comitis Olivariensis erat unà cum Ferdinandi Mexiæ *Nobiliario* sic inscriptus: *De la nobleza y cavalleria* (4).

721. *Libro de los linages.* Fuit in eadem bibliotheca Olivariensi (5).

722. Habeo apud me librum eiusdem, ac forsan eundem, hoc titulo: *Libro de las armas y blasones de muchos linages del Reyno de Castilla, y Leon, Galicia, Toledo, Andalucia* &c. Incipit impropriè satis: *Del Preste Juan de las Indias*; deinde de Regum Hierusalem, Cypri, & aliorum initiis & insignibus: unde ad Hispanorum Regum principia & stemmata nobiliumque Hispaniæ familiarum tractanda procedit. Scripturæ genus auctori æquale; & si credimus cuidam notæ initio affixæ, auctoris autographum (6).

723. *Arbol de batallas, traducido de Frances en Castellano por Mossen Diego Valera à instancia de D. Alvaro de Luna,* præfefert codex membranaceus bibliothecæ Comitis de Villaumbrosa, in qua & alter exstat liber cum hac epigraphe: *Obras de Mossen Diego Valera, en que se contienen varios tratados historiales.* additurque: *Fue este libro de su visnieto Don Bartholome Basurto.* Ms. in folio (7).

724. *Historia de la casa de Zuñiga.* Alvascribitur: *Señor de las Varonias de Velmonte & Almaçân, Moguêr, Curuña, & Utiel*, omisso *Marchionis Villenatum* titulo.

(1) Exstat in Regia Bibliotheca Matritensi in codice charthaceo fere auctori synchorno. Est autem iustæ molis opus CLXI. maioris formæ foliis constans in quorum priore legitur: *Por Mosen Diego de Valera Maestresala y del Consejo de los Serenissimos Principes Don Fernando, y Doña Isabel &c.* & fol. XXIX. ad annum MCCCCLXI. *En este tiempo estaba Yo el dicho Mosen Diego en la Ciudad de Palencia, donde tenia la gouernacion de la justicia por el Rey; y conociendo el desgrado que los tres estados destos Reynos tenian de su gouernacion, temiendo lo que despues acaesció escreui à Su Alteza la siguiente Epistola: Muy alto è muy excelente è poderoso Rey y Señor &c.* Videtur autem hactenus ineditum.

(2) Exstat itidem hic tractatus in supra memorato Regio Matritensi codice à fol. 76. ad 105. pag. 2. MS. hoc titulo: *Tratado de las Armas.* Ad Alfonsum huius nominis *V. Portugalliæ Regem Dominum Algarbii & Septæ*, atque in eiusdem ævi ac Regiæ Bibliothecæ alio, eoque non recentiore; in quo tamen hic Alfonsus *Quartus* Portugalliæ dicitur.

(3) In eodem codice à fol. 66. ad 74. hoc titulo: *Ceremonial de Principes. Ad magnificum virum Ioannem Paciecum Villenatum Marchionem* MS. In paulo recentiore Regiæ item Bibliothecæ Matritensis codice fol. LXXV. hic Ioannes Paciecus in-

(4) In prælaudato codice à fol. 17. ad 46. habetur: *Espejo de la verdadera nobleza.* Ad Ioannem secundum Castellæ & Legionis Regem. Fortasis idem utrumque opus fuerit. Eodem titulo inscribitur in recentiore Regiæ Bibliothecæ Matritensis codice fol. CXVIII.

(5) Frustra fui in hoc codice exquirendo in huius Bibliothecæ Catalogis: neque habetur in Regiæ Matritensis codicibus.

(6) In Bibliotheca Olivariensi, in *Indice materiarum. T. I. pag.* 270. *fin. & init. seq.* verbo *Linages*, habetur: *Elogios, armas, insignias, y divisas genealogicas de los Reyes, Reynas, Infantes, Ricos homes, Condes Cavalleros, Escuderos, Fidalgos contenidos en el repartimiento que mandò hacer el Rey Don Alonso el Sabio en Sevilla* MS. en fol. D. 13. Videtur autem diversum opus.

(7) Exstare huius operis versionem alteram Hispanicam è Gallico sermone, interprete Antonio Corita in Escurialensi codice *Lit. h. Plut. II. n.* 19. suprà diximus in *Addendis à sæculi XV. initiis ad annum usque MCCCCXX.*

vâri Placentiæ Ducis, cuius suprà meminimus, tempore, anno videlicet MCDLXXIII. hanc scriptam, & Ioanni Stunicæ Alvari filio Alcantarensis Ordinis magistro dicatam, non ab alio auctore esse, quàm à Didaco Valera, eorumdem procerum domestico: quem quidem tota stili & sententiarum aptè usurpatarum facie, atque ipsa admonendi libertate, propemodum reddit in *Memoriali Mirandensis Stunicarum familiæ* [1] Historicus Regius D. Iosephus Pellizerius, valdè suspicatur. Huius viri memoriæ, cùm ignoretur mortis annus: non incongruum fuit visum nobis hunc assignare, quo historiæ seu Chronici compendium, cuius suprà meminimus, absolvisse dicitur (1). Fol. 15.

725. Sequenti verò ad superos abiit sanctitate vir clarissimus, & Lusitaniæ magnus honos, Ioannes Menesius de Sylva, aliàs B. AMADEUS, dictus à patria LUSITANUS. Natus hic è familiis nobilissimis, patrem habuit Arium Gomezii à Sylva præfectum (*Alcaide maior* vocant) Campi maioris & Ouguellæ; matrem verò Elisabetham de Menesses, Petri Comitis de Viana filiam, Beatricis de Sylva heroinæ sanctissimæ, sacrarum Deo sub Conceptionis Mariæ Deiparæ appellatione Virginum fundatricis, germanus frater. Eleonoram Augustam Eduardi Portugalliæ Regis filiam, Frederico Cæsari desponsatam secutus, in Italia restitit. Ibi enim sæcularium rerum pertæsus, Eremitarum S. Hieronymi priùs, deinde Minorum Ordini sub laico habitu Assisii nomen dixit. In Insubriam inde vocatus à Francisco Sfortia Mediolanensium Principe, auctoritateque Pontificiâ instructus, novum Amadeorum Ordinem seu congregationem instituit. Ipse enim Ioannis nomen, cùm primùm sæculo valedixit, in *Amatoris*, seu *Amadei* commutaverat.

726. Xysto autem IV. cui ob insignem virtutem, Minoritæ olim, carus valdè fuerat, ad Petri Sedem exaltato, Romam venit humanè ab eo invitatus, à quo sacerdotalem ordinem, insuperque sodalibus suis habitandum S. Petri, quod à Monteaureo vocant, monasterium accepit; cui & conscientiæ arcanorum fidem commisit. Desiderio tandem revisendi Insubricam religiosi fœtûs originem, qui eo tractu & alibi iam octo supra viginti habitabat cœnobia: Mediolanum veniens vicesimo secundo Minoriticæ professionis anno, atque huius sæculi octogesimo secundo, in B. Mariæ Pacis diem clausit extremum; claruscque ante & post mortem miraculis sepultus iacet, magnaque in veneratione habetur. De cuius mira sæculi abstinentia, exorandique aut contemplandi Deum ferè nunquam intermissa occupatione, aliisque egregiis virtutibus, apud Gonzagam & Wadingum Minoritarum chronographos multa lectu dignissima collecta habentur. Hæc Amadeorum congregatio sub Generali totius Ordinis Præfecto ab initio sui usque ad Leonis X. tempus habita, ab hincque sub Observantiæ, ut vocant, novo creato tunc ministro: Pio V. demum auctore in eiusdem Observantiæ corpus unà cum aliis peculiaris notæ congregationibus transiit. In secessu quidem S. Petri Romam (ait Gonzaga)

727. *De revelationibus & prophetiis* pulcherrimum libellum composuit: *Romanæ Ecclesiæ statum, angelicum quendam Pontificem, regnorum, dominiorum, atque religionis mutationem concernentibus. Quem tamen alii quidem* (prosequitur) *propriis imaginationibus conspurcantes adeò obscurârunt, atque in ordinem pro libito redegerunt: ut ipsorum potiùs quàm B. Amadei dicendus libellus iure optimo veniat.* Cui convenit Theophilus Raynaudus in suo *S. Ioanne Evang.* sect. 2. puncto 2. *Dolendum est* (inquit) *fluenta spiritus, quibus B. Amadei hortus rigatus est, pura ad nos non manâsse, ut sincere proditur in Minorum Chronico; notaruntque etiam Cornelius à Lapide ad cap. 1. Apocalypsis, Adamus Tannerus disput. 5. De angelis dub. 4. & Ia-*

(1) In prælaudato Regio Matritensi Valeræ operum codice habentur præterea: *Defensa de las virtuosas mugeres. Ad Mariam Castellæ & Legionis Reginam* MS: a fol. 1. ad 15.... *Exhortacion de la paz. Ad Ioannem Secundum Castellæ & Legionis Regem* MS: *à fol.* 47. *ad* 59. *pag* 2.. *De Providencia contra Fortuna. Ad Ioannem Paciecum Marchionem Villenatum MS: à fol.* 59 pag. 2. *ad* 64. *pag.* 2.. *Breviloquio de virtudes MS. Ad Rodericum Pimentellum Comitem de Benavente Dominum de Villalon & Mayorga: a fol.* 106. ad 111.. *Tratado de las Epistolas embiadas por Mosen Diego de Valera en diversos tiempos y à diversas personas* MS.: à fol. 329. ad 369. quod codicis extremum est. In Bibliotheca Escurialensi nihil huius Valeræ reperi præter tractatûs: *De la nobleza y fidalguia*; & : *Apologia de las claras mugeres.* Exstat uterque *Lit. n. Plut. I. sub n.* 13. (T. III. p. 144.) In recentiore altero eiusdem Regiæ Bibliothecæ codice habentur insuper eiusdem Valeræ: *Doctrinal de Principes ad Ferdinandum Regem Castellæ Legionis & Siciliæ Primogenitum heredem regnorum Aragoniæ*, à fol. I. ad XXXVI... Item: *De Troyanæ ac Romanæ urbium primis conditoribus. Ad Ioannem Furtadum Mendozam Dominum oppidorum de Cañete, Poyatos & Tragacete* à fol. CXLIX. ad CLVI. Exstant quoque in eodem codice: *Defensa de las virtuosas mugeres: Breviloquio: De providencia &c.*

Iacobus Hautenus De angelo cuſtode cap. 1. §. 1. *num.* 1. *Infectæ quippe ſunt B. Amadei revelationes peregrinitate doctrinæ & falſiloquiis : cuiuſmodi ſunt quæ in iis nunc leguntur de quibuſdam dæmonibus fatuelis & hebetudine ingenii laborantibus : de angelis in cælo empireo diu ante cælos mobiles ac terram conditos : de cælo creato prima mundi die : de materia prima eadem die producta & inſignita nomine terræ : de Adæ corpore à tribus angelis creato. Paſſim Scoti ſententiæ ut cæleſtia oracula funduntur in iiſdem revelationibus, quales nunc habentur : ut propterea non dubitaverit vir gravis dicere, angelum B. Amadei fuiſſe Scotiſtam. Exemplo enim non novo interpolatores dum honori Ordinis velificantur, puros latices cœnoſa admiſtione inficiunt : quod hic contigit. Ipſæ tamen revelationes, quales à B. Amadeo exaratæ erant, illimes proſtabant ac labis puræ.* Hæc Raynaudus. Hæc & alia obſervavit in his carbone notanda Cardinalis Robertus Bellarminus in ſchedis, quas è manu Hyacinthi Libelli Dominicani ex Magiſtro Sac. Palatii Pontificii Archiepiſcopi Avenionenſis creati à ſe habitas, Iulius Bartholoccius Ciſtercienſis amicus noſter bono Hebraicarum literarum natus vir, *Bibliothecæ* ſuæ *magnæ Rabbinicæ* tom. 1. pag. 241. & ſequentibus in publicum edidit.

728. In regia Laurentina domo ipſum, ut exiſtimant, ſervatur autographum (1): ex quo à ſe habitum quoddam exemplum poſuit in bibliotheca ſacri Montis Granatæ urbis D. Petrus de Caſtro Archiepiſcopus Granatenſis, & Hiſpalenſis, inclytæ huius canonicorum domus auctor, ſub titulo *Apocalypſis novæ*. Aliud poſſident Salicetani, apud nos cœnobii Franciſcani ſodales; aliudque Romæ Auguſtiniani nudipedes Hiſpani Ildephonſini hoſpitii bene antiquum. De quo opere iam per manus omnium curioſorum paſſim eunte, iudicium abſtinere ſatius eſt, quàm ut viri præſtantiſſimi, totiuſque ordinis ſui Generalis olim Præfecti, & aliorum priùs laudatorum, cenſuræ quicquam adiungamus. Cui Wadingus conſonat, videndus *Annalium Franciſcanorum* ſexto & ſeptimo voluminibus; & in *De Scriptoribus*, ubi notat Henricum Willotum falsò huic tribuiſſe *Homilias de Beata Virgine*, quæ Amadei Lauſanenſis ſunt; huiuſque noſtri Poſſevinum quater ſub *Amedei*, *Amatoris*, *Ameoli* & *Amodei*, titulis meminiſſe.

729. ANONYMUS quidam huius temporis dicavit Alphonſo Carrillo Archiepiſcopo Toletano librum, qui *De las virtudes* inſcriptus in eiuſdem Eccleſiæ bibliotheca ſervatur, Ægidio Gundiſalvi Davila teſte in *Seguntinæ Eccleſiæ theatro* (2).

730. ALPHONSUS HISPALENSIS DE CORDUBA (ſic enim audit, quin ſit alicui, quod ſciam, notum à quanam harum urbium originem aut agnomen acceperit) Artium & medicinæ doctor: qui circa MCDLXXXIV. claruiſſe dicitur. Scripſit

731. *Tabulas Aſtronomicas, atque in eaſdem demonſtrationum theoremata*, Eliſabethæ Reginæ dicatas. Quas quidem Venetiis unà cum tabulis Alphonſi Regis editas fuiſſe legitur in *Epitome bibliothecæ Geſnerianæ*.

732. ANONYMUS alter Valentinus circa eadem hæc tempora ſcripſit *Repertorium Inquiſitorum pravitatis hæreticæ*. In quo omnia quæ ad hæreſum cognitionem, ac S. Inquiſitionis forum pertinent, continentur. Opus hoc Michaeli Alberto I. C. Valentino recognoſcendum & emendandum, tradidit. Præfationem abſolvit his verbis auctor (cùm iam id dedicâſſet Reverendiſſimis dominis ſacri Concilii generalis Inquiſitionis &c.) *Sed quum tibi, Michael Albert, utriuſque iuris clariſſimo doctori placuit videre quæ mea inſufficientia reportavit, nimis te exoro, ut ea diligenter examines &c.* In fine hæc nota legitur: *Explicit Repertorium perutile de pravitate hæreticorum & apoſtatarum, ſummâ curâ examinatum emendatumque per præſtantiſſimum virum ingenii, iuris utriuſque interpretem, ac doctorem famoſum Michaelem Albèrt Valentinum in nobili civitate Valentina impreſſum à Nativitate Domini anno MCDLXXXIV. die verò* XVII *menſis Septembris.* Quam editionem vidi in bibliotheca S. Iſidori Agricolæ cœnobii Franciſcanorum Hibernorum in Romana curia, quæ fuit Lucæ Wadingi (3).

733. Prodiit autem idem opus *correctionibus & annotationibus præſtantiſſimorum iuriſconſultorum Quintiliani Mandoſii & Petri Vendrameni decoratum & auctum*, Venetiis anno MDLXXV. in 4.° ex officina Zenari; atque iterum ex eadem anno MDLXXXVIII. in 4.° Direxit hanc Venemo item auctore: in cuius fine tantum legitur: *A VIIII. dias de Março año MCCCCLXX.*

(1) In ſecretiori adyto inter ſacra eius Cœnobii cimelia.

(2) Exiſtimo hunc Anonymi tractatum: *De las virtudes* eundem eſſe cum eo qui in pſeudepigrapho Ioannis Yxarenſis codice ſæpius à nobis laudato circa finem inſcribitur: *Flor de virtudes*, Anonyticana cod. MS. 3177. hunc titulum habet: *Ferdinandi Cordubenſis De artificio omnis, & inveſtigandi & inveniendi naturâ ſcibilis. Ad Rever. in Chriſto patrem, & omnium ſapientiſſimum, D. D. Beſſarionem Epiſcopum Sabinenſem, S. R. E. Cardinalem, & Patriarcham Conſtantinopolitanum, Nicænum vulgò appellatum.* Initium: *Quos vides inter ſcholaſticos & præſtanti ingenio viros, vel ſuſtuliſſe penitùs, vel in dubium revocâſſe: ſitne artificium, quo omne naturâ ſcibile in ſingulis diſciplinis, & inveſtigari, & inveniri poſſit, eos conſtat rerum origines neſciſſe videri.* Et mox: *Itaque hæc ars nobis ſubtiliter & artificioſiſſimè inveſtiganda eſt, & tuo iuſſu, & mea promiſſione debita. Nam de duabus philoſophiis, id eſt Platonis & Ariſtotelis, utra alteri præſtet diſſerentem me, ſubitò è curſu ſuo revocavit voluntas tua; quippe qui iuſſiſti intermittendum eſſe opus, & in artificium omnis inveſtigandi & inveniendi ſcibilis calamum eſſe referendum. Nam quod ad comparationem cum Ariſtotele Platonis attinet: ad multam partem eius operis tractationem perduxeram.*

737. In proceſſu prologi damnat, quaſi ineptiis plenam & fructu quem promittit vacuam, Raymundi *Artem*; refertque ſe ipſum ad tractatum *De diſcretione ſpirituum à ſe factum.* De Raymundo ita cenſet: *Unde facilè coniicere potes, hunc laicum merè fuiſſe, & omnium literarum expertem; ſed per humorem melancholicum elevatum habuiſſe ingenium: quo, ubi fundamentis careas eruditionis atque doctrinæ, & phantaſtico ingenio coniungas: nihil periculoſius eſſe poſſit, ut in extremos, & Fidei orthodoxæ adverſos, labaris errores.* Omnia hæc non prætermittere opus fuit, quo de aliis eius operibus hoc ab ipſo oblatum ſpecimen daremus; nec iudicium eius de Raymundo Lullo, atque illius *Arte* factum ignoraretur. Exemplum huius *Artificii* è Vaticano extractum codice penes nos habemus.

738. Item in Vaticano cod. MS. 5739. alius eiuſdem commentarius *De Pontificii pallii myſterio* conſervatur &: *An pro eo aliquid temporale abſque ſimoniæ labe exigi poſſit. Ad reverendum in Chriſto patrem & dominum dominum Franciſcum Piccolomineum S. R. E. Cardinalem Diaconum S. Euſtachii, Senenſem vulgò appellatum.* Incipit: *Pallii, quo in argumentum ſupremi faſtigii Pontificiæ dignitatis amiciri ſolitos conſtat novi Teſtamenti Pontifices maximos, tanta maieſtas eſt, ut inter ſacratas veſtes nihil vel concipi ſacratius poſſit.* Iuſtæ molis opus eſt, vereque luce dignum.

739. Idem hic Ferdinandus ad opus Alberti Magni *De animalibus* præfationem for-

(3) Exſtat penes me iiſdem omnino notis; non tamen anno MCDLXXXIV. ut Noſter, ſed decennio poſt, ſive anno MCDLXXXXIV; neque *decima ſeptimâ* ſed *decima ſexta Septembris* editum.

734. Sub Xyſto Papa IV. qui ad annum huius ſæculi octogeſimum quartum Eccleſiæ clavum moderatus fuit, Romæ floruit FERDINANDUS CORDUBENSIS, à patria forſan urbe noſtræ Bæticæ inclyta cognominatus: qui ſe ſubdiaconum appellans Sedis Apoſtolicæ, ſcripſit in gratiam eius curiæ *De iure medios exigendi fructus, quos vulgò annatas dicunt*; & *de Romani Pontificis in temporalibus auctoritate*, ad eundem Xyſtum Papam. Incipit: *Etſi indignos, quorum ſententias refelli conveniat* &c. Sed in fine nota hæc poſita fuit: *Secundam huius operis partem* De poteſtate Papæ in temporalibus *ob id in alterum tranſtulimus volumen, quòd altiſſima materia ſit, & ſpeciale deſideret opus; & quòd principalior de mediis fructibus tractatus in maius volumen ſurrexerit.*

735. Manuſcriptum vidimus librum Romæ in Barberina bibliotheca cod. 465. necnon & typis editum in folio abſque Loci temporiſve annotatione in alia Sapientiæ Romanæ, quæ Ducis Urbini fuit, ab Alexandro VII. Papa in hac gymnaſii Romani domo collocata. Exſtat quoque in Hiſpalenſis Eccleſiæ bibliotheca Colonea. Miror utique hunc inviſum fuiſſe Antonio Maſſæ Galeſio, cultiſſimo atque eruditiſſimo iuriſconſulto, qui de eodem argumento commentarium nobis reliquit. Quæſtio eſt, *an liceat Pontifici Maximo, eiuſque Cardineo collegio, Beneficiorum vacantium medios fructus exigere.*

736. Aliud eiuſdem hominis, ut credimus, opus eſt, quod in bibliotheca Va-

formavit, quâcum editus fuit commentarius hic Romæ anno MCDLXXVIII. in folio: quem & ipsi vidimus in Vaticana bibliotheca, præfixo catalogo nominum ipsorum animalium, quod in præfatione facturum in se receperat, Græcè & Arabicè redditorum. In hac etiam editione vocat se Xysti IV. sanctæque Sedis Apostolicæ Subdiaconum, artiumque ac theologiæ magistrum. Iacet Romæ noster Ferdinandus in Ecclesia S. Iacobi nationis Hispanæ ad lævam portæ maioris templi. Hunc eundem esse cum illo Ferdinando Cordubensi, quem in *Bibliothecæ* altera parte Abrahami Bzovii verbis laudavimus, affirmantibus inficias non ibimus (1).

740. D. IOANNES MOLES MARGARÎT, Gerundensis Episcopus, S. R. E. Cardinalis, memorandus hoc loco venit, aliàs dictus IOANNES GERUNDENSIS, Chronici cuiusdam Hispaniæ Scriptor. Gerundæ in Catalonia hic natus ex familia præclara, quod Ioannes Rex Aragoniæ II. expressit quodam in privilegio, quo huic & Bernardo Margarît eius germano fratri, ob egregia utriusque de se merita concessit, ut super suis propriarum familiarum insignibus, Aragoniæ, Navarræ, atque Siciliæ regnorum insignia in parmis seu scutis, & quomodocumque, portare possent. Instrumentum huius rei publicum anno MCDLXV. confectum, & ex archivo Barcinonensis urbis solemniter habitum, in *Historia Romanorum Pontificum* Ciaconii & aliorum, ubi de Xysti IV. Cardinalibus sermo est, legitur.

741. Sub Nicolao V. Papa Romam venit, ab eoque Cameræ, ut vocant, clericus institutus, eo decedente, Ioanni Regi Navarræ adhæsisse dicitur; necnon Alphonso Neapolis & Aragoniæ eius fratri, cuius nomine sub Pio II. Papa Mantuano Concilio interfuit. Postea ad Xystum IV. à Ferdinando Castellæ legatus, meruit ad sacram assumi purpuratorum patrum dignitatem. Legatus fuit Campaniæ & maritimæ, quæ hodie legatio per gubernatorem non Cardinalem geritur; obtinuitque in Hispania Oscensis, & in Sicilia Pactensis Ecclesiarum administrationem, retento ut credimus titulo Gerundensis. Præfuit quoque, ante Gerundensem istam, Elnensi Ecclesiæ annis octo: quod idem, dum de Rusçilionis terra in Chronico, de quo iam dicimus, ageret, lib. 1. refert. Mortuus fuit anno MCDLXXXIV. octogenarius, Romæ calculo, & in templo S. Mariæ de Populo iuxta portam Flaminiam sepultus. Cenotaphium, inscriptione quadam laudes & munera Gerundensis continens (propinqui alicuius ferè post sesqui-sæculum curâ & operâ) Neapoli in S. Spiritûs Ecclesia marmore cælatâ hodie legitur, hæc scilicet:

IOANNI MOLES
S. Romanæ Ecclesiæ Cardinali,
Gerundæ in Iberia illustri genere orto,
eloquentiâ, doctrinâ, ac pietate insigni,
discordiis inter summum Pontificem Nicolaum V.
& Alphonsum Regem I. sua solertia sedatis,
Regum Aragoniæ & Castellæ ad Pontifices Max.
Pium II. ac Xystum IV. aliosque principes
& Reipub. ad eorum bella pacanda oratori,
atque Italiæ pacis compositori.
Iulius Moles

Ne tanti viri suæ gentis post annos CXXV.
memoria periret P. MDCVII.
Romæ lucem amisit Nonis Novembris
anno MCDLXXXIV.

Mansit etenim Molesia hæc familia in regno Neapolitano, à Francisco Moles, Cardinalis Ioannis ex aliquo latere nepote, ibidem propagata: cuius filius Iulius hic exstitit; atque eius & ceterorum, qui frequenter reipublicæ gerendæ admoti sunt, & gravissima gesserunt munera, in *Additionibus ad Bibliothecam Neapolitanam* honocenti quidem (quique ut putamus nullus umquam exstitit) Ferdinando, Noster in Bibliotheca Nova *Commentaria in Ptolemæi Almagestum & in Ioannis Apostoli Apocalypsin*, aliaque opuscula tribuit: quæ veri, quode hoc loco agitur, Ferdinandi sunt. Huius præterea ex Hispania Parisios adventum ad annum

(1) Idem omnino Ferdinandus hic Cordubensis, Artium, Medicinæ ac Theologiæ Doctor, Sedisque Pontificiæ sub Sixto IV. Hypodiaconus est, atque is de quo rursum Noster agit in Bibliotheca Hispaniæ Nova, quasi duo cognomines fuerint: id quod Gesneri quoque Epitomator falso existimavit. Ac re-

rorifica mentio fit, sub huiusce *Iulii Moles* nomine paginâ 140.

Scripsit noster, ut ad perennatura magis monumenta iam veniamus,

742. *Paralipomênon Hispaniæ libros decem.* Nam Græca hæc operis inscriptio, ad exemplum sacrorum Bibliorum cuiusdam portionis, auctoris est; is licèt *Obliteratorum Hispaniæ* titulo in nuncupatoria ad Catholicos Reges epistola non semel usus sit. Initium à descriptione adventuque orientalium gentium in Hispaniam sumitur. Liber autem decimus, qui ad Theodosii Magni tempora, Gothorumque in Hispaniam ingressum extendere narrata debuit, imperfectus mansit. Motum se ad scribendum ait, quòd vidisset tam grandia clarissimaque Hispaniæ gesta nusquam, vel satis aridè tradita fuisse à quatuor gentis Historicis: quorum tres *laudabiles*, Trogum à Iustino abbreviatum, Paulum Orosium, Isidorum Hispalensem; quartum verò Rodericum Archiepiscopum Toletanum *tolerabilem* appellat. Ab his si abieris, ceteros ait ignorantium catervam, somnia contexuisse.

743. Ac verè quidem plurima is ad Hispaniæ res pertinentia ex Antiquorum monumentis, quos quatuor illi prætermiserunt, in medium protulit: alioqui solidè laudandus, nisi errores non tolerandos ex non perfecta Antiquitatis cognitione, & ignoratione veteris geographiæ, aut cum nova idoneæ collationis admiscuisset. Nam ecce in præfatione ipsa, Isidori Chronicon ab Isidoro & Sulpicio continuatum prodit, non alium intelligens à Severo (nullus enim huius nominis fuit, ad quem respicere potuerit Historicum); qui tamen duobus ante Isidorum sæculis in vivis esse desiit. Nec sine arrogantiæ quadam nota, eorum, quibus usum se fuisse ait, antiquorum Historicorum & Geographorum nomina in fine eiusdem præfationis cumula-

num MDI. male doctus ab Bzovio refert; cum totis LVI annis præcesserit. Utrique errori causam dedisse potuit iniecta non suo loco huius Ferdinandi apud Trithemium mentio, qui in Chronico Spanheymensi ad annum MDI. hæc habet: *Verum ista nobis scribentibus Ferrandus Cordubensis ad memoriam reducitur, qui anno MCCCCXLV. iuvenis annorum XX. miles auratus Artium, Medicinæ & Sacræ Theologiæ Doctor cum VIII. equis de Hispania venit in Franciam, & totam Parisiorum Scholam sua mirabili scientiâ vertit in stuporem:* quæ quidem anno MDI. à Trithemio relata, longe tamen ante id tempus, ut idem narrat, gesta fuere. Rem confirmat sepulcralis Ferdinandi titulus Romæ in Sancti Iacobi Hispanorum æde ad hanc diem superstes, quem nos olim ex archetypo in Ephemeridas nostras Romanas retulimus, nimirum:

D. O. M.
FERDINANDO. CORDVBENSI. PONT. MAX.
HYPODIACONO
DISCIPLINARVM. OMNIVM. COGNITIONE. INCLYTO
CVIVS. INGENIVM. AC. DISSERENDI. ACVMEN
CVNCTARVM. GENTIVM. GYMNASIA. STVPVERE
VIRO. OMNIVM. VIRTVTVM. GENERE. ORNATISS.
MODESTIA. VERO. AC. PROBITATE. INSIGNI
QVI. VITA. SACRAR. LITERAR. STVDIIS
INNOCENTISS. ACTA. MVLTISQVE. DOCTRINAE
MONVMENTIS. POSTERITATI. RELIGTIS
HOMINEM. EXVIT
ANNO. AETATIS. LXV. SALVTIS CHRISTIANAE
M. CCCC. LXXXVI.
GEORGIVS. CAR. PORTVGAL. B. M.
POSVIT.

Subditur nudus clypeus in quo aquila dextrorsum ver-

ripam exſtitiſſe credit. *Aſcapam* eſſe hodiernum *Caſpe* : Numantiam Ibero fluvio allui, atque eam ſuo iam tempore Cæſaraugustam appellari Melam dixiſſe : hodiernam urbem *Leon*, non à *Legione* Romani temporis, ſed ab *Eleona* Libyæ provincia ; *Numantiam*que à *Numidia* eiuſdem Libyæ nomen accepiſſe : *Aſtures* coloniam fuiſſe Aſturum Libyæ gentis ſecundum Ptolemæum, qui *Aſtacurum* non *Aſturum*, in ea plaga meminit : Cantabrorum hodiernam linguam à Latina non admodum diſtare : Eram Cæſaris viginti ſex tantùm annis Incarnationis Chriſti annum antecedere ; aliaque plura paſſim huius commatis, (*quæ*) nemo eruditorum admittet. Planè in rebus Valentinis nihil veritati conſonum ab eo dictum, notavit in *Hiſtoriæ Valentinæ* lib. 1. cap. 21. num 8. Gaſpar Eſcolanus.

746. Interim ex huius operis lib. 3. ubi de Galatis ſeu Gallæcis loquitur, perſpicuum eſt, auctorem anno MCDLXXVII. in comitatu Ferdinandi Caſtellæ Regis Biſcaiam veniſſe, ubi oculatus teſtis quædam de illius populi moribus recitanda potiùs quàm poſteritati communicanda literis conſignata reliquit. Hanc quidem hiſtoriam, tamquam ignoti adhuc ſibi auctoris, primus edidit Xanthus ſeu Sancius Nebriſſenſis, Antonii Grammatici filius, unà cum Roderici Toletani alia, Alphonſi Carthagenæ *Anacephalæôſi*, Antoniique parentis, tum *Catholicorum Regum*, tum *Navarrenſis belli hiſtoriis* Granatæ anno MDXLV. in folio, terſiorem ſtilo hac Rodericianâ, neque, ut iſtam, Gothicum ſonantem, iure exiſtimans. Andreas Schotus poſteæ in collectione Latinorum qui Hiſpaniæ res ſcriptis ſuis illuſtraverunt auctorum, Ioannem Margaritum, cuius cognomentum hactenus ignorabatur, natalibus ſuis uti ait à ſe reſtitutum, iterum edidit. Eiuſdem Gerundenſis Epiſcopi eſt

747. *Epiſtola, ſeu libellus De educatione Ferdinandi Aragoniæ principis* Eidem nuncupata, unà cum præfatione *ad illius præceptores ſeu magiſtros*. Incipit : *Siquidem principem, Dive Cæſar, moribus atque præſtantiâ verè inſtitutum eſſe convenit*, &c. Abſolviturque : *Vale Aragonenſium exſpectatio, ex urbe Gerunda.* Atque in hoc libello, ne de auctore dubitetur, refert ſe ad hiſtoriam ſuprà dictam his verbis : *Ut alio volumine Hiſpaniæ antiquitates, anteceſſorumque tuorum geſta renovare, quæ ceteri omnes Scriptores Hiſpaniæ omiſerunt* (ſignificata intelligis *Paraleipomena*) *opus ſuum uſque ad medium perſequutus.* Ms. vidimus in codice qui fuit D. Garzerani Albanelli præſulis Granatenſis, ac nunc eſt penes Thomam de Leone Ieſuitam, virum doctiſſimum æquè ac nobis amiciſſimum, in eadem Granata urbe (1).

748. Alphonſo Carrillo antiſtiti Toletano, qui anno MCDLXXXII. obiit, PETRUS quidem DE OPTA (an DE HUETE, ab ea urbe dictus?) baccalaurei contentus nomine, & Artium profeſſoris, nuncupavit opus quoddam *Splendor Fidei* inſcriptum: quòd aſſervari apud Benedictinos Pincianos ſcriptum reliquit in *Sacra* ſua *expeditione* toties à nobis laudata, & adhuc inedita, magnus vir Ambroſius Morales (2).

CA-

verſa intentâque acie ſolem intuens, in cuius pectore atque alis decuſſata crux. Corrigendus itaque ex eo Trithemius, qui Ferdinandum vicennem ex Hiſpania Pariſios adveniſſe ait ; cum ſi eum anno Salutis MCCCCLXXXVI. ut in epitapho legitur, ætatis vero LXV. denatum dicimus, anno MCCCCXXI. in lucem editum fuiſſe dicamus neceſſe ſit : quo poſito, Salutis annus MCCCCXLV. quartus ſupra vigeſimum Ferdinandi ætatis fuerit. In Bibliotheca Regis Galliarum *Part. III. pag.* 380. *col.* 2. *cod.* 3169. legitur : *Magiſtri Ferdinandi de Corduba Tractatus de futuris contingentibus* ; & repetitus *pag.* 553. *col.* 1. *cod.* 4152. *n.* 16. Apud Geſnerum in eo : *An ſit licita pax cum Saracenis.*

(1) In Bibliotheca Eſcurialenſi *Digramm.* &, Plut. III. *n.* 1. (Tom. II. p. 220.) habetur *Ioannis Moleſii Margariti* Gerundenſis Epiſcopi & S. R. E. Cardinalis liber inſcriptus : *Corona Regum*, ſive *De Regis officio atque optimo imperio* : in quo poſtquam Auctor de *materiali* Regum corona ac diademate, quæ Regum inſignia ſunt, paulo generalius egerat, pergit de ſingulis coronæ gemmis, deque in iiſdem adumbratis virtutibus, quæ optimum Principem decent, diſcurrens, ex quibus coronam Regiam texit, *intellectualem* ſcilicet, mutuatis è Sacra Scriptura, Patribus & veteribus Philoſophis ſententiis atque exemplis in eorum quæ probanda ſibi aſſumit confirmationem : *Ad Illuſtriſſimum Ferdinandum* (Hiſpaniæ deinde Regem) *Aragoniæ Regis Primogenitum.* Quem codicem Franciſcus Sanchius Canonicus Salmanticenſis in Hiſpaniam ex Urbe detulit Cardinalis Sirleti nomine Philippo II. præſentandum : nimirum ut eum in Regia Bibliotheca Eſcurialenſi, quæ tunc adoleſcere incipiebat, cuſtodiri iuberet.

(2) ADDENDI AB ANNO MCDLXXX AC DEINCEPS AD ANNUM CIRCITER MCDXC.

Nicolaus Bonetus Hiſpanus Ordinis Minorum qui circa annum MCCCCLXXX. ſcripſit : *Poſtillas in Geneſim, & Commentarium in IV. Libros Sententiarum ; ac De Conceptione B. Mariæ Virginis; & Formalitates è doctrina Scoti.* Commentarius prodiit Barcinone 1493. & Venetiis 1505. Apud *Fabricium med. & inf. T. V. p.* 105. *col.* 2. ITEM *Tereſia de Carthagena* Sanctimonialis Hiſpana incertum cuius Inſtituti, quæ ad annum MCDLXXXI. patrio ſermone ſcripſit : *Arboleda de los enfermos que compuſo Tereſa de Cartagena del Orden de.... ſeyendo apaſionada de graves dolencias, eſpecialmente haviendo el ſentido del oyr perdido del todo. Et fizo eſta obra á loor de Dios y eſpiritual con-*

CAPUT XIV.

MICHAEL VERINUS *poeta.* IOANNES VELASCUS *Luſitanus orator.* PETRUS DAGUI *Catalanus.* MARTINUS DE ALMODÔVAR *Calatravenſis eques.* DIDACUS DE TORRES *Aſtrologiæ profeſſor Salmanticenſis.* FERDINANDUS DIEZ *Presbiter Valentinus.* IOANNES ANDREAS *ex Mahometano Chriſtianus.* LUDOVICUS DE ESCOBAR *Minorita.* DIDACUS RODRIGUEZ DE ALMELA. *Eius ſcripta.* FERDINANDUS PEREZIUS GUZMANUS. PETRUS DIAZ DE LA COSTANA. PETRUS GARZIA *Sætabitanus.* BERNARDUS DE BOIL *eremita.* IOANNES (aliàs LUDOVICUS) TEIXEIRA *Luſitanus.* ALPHONSUS DE LA TORRE. IOANNES (immo IACOBUS) PEREZ DE VALENTIA *Auguſtinianus.* PAULUS HEREDIA *ex Hebræo Chriſtianus.* IOANNES LOPEZ DE SALAMANCA, & IOANNES LOPEZ *Salmantinus, forſan unicus auctor.* LUPUS GARZIA DE SALAZAR *Cantaber.* ALPHONSUS DE PALENTIA. *Eius ſcripta.* ALPHONSUS DIDACI A MONTALVO *Iuriſconſultus.* HIERONYMUS CUCALON, & FRANCISCUS A VELASCO.

749. CIRCA hoc tempus, nempe anno MCDLXXXIII. deceſſit Florentiæ MICHAEL VERINUS poeta, qui cùm optimis moribus adoleſcens diſticha *De puerorum moribus* ſcripſiſſet, in morbum

incidens, quem uſu Veneris expellere potuit : *ne ſe pollueret* (ut Politianus ait) *maluit ipſe mori* ; & quidem anno ætatis decimo ſeptimo. Hunc Baleares ſuum fuiſſe contendunt, ac *Michaelem de Verî* appellant, ex nota ibi familia, ut videre eſt in *Hiſtoriæ Balearicæ* altero volumine, qui D. Vincentium Mut habet auctorem, lib. 8. cap. 6. & 9. Quod & credidit Martinus de Ibarra Cantaber in Vita huius poetæ, *Diſtichis* eius, quæ Barcinone anno MDLXXXI. in 8.° ex officina Iacobi Corteſii emiſit in publicum, præfixa. Attamen inſigniter errant. Michael enim hic Verinus Ugolini Verini filius fuit, Florentini eiuſdem, atque poetæ celebris : de quibus adiri poſſunt Michael Pocciantius in *Catalogo ſcriptorum Florentinorum* ; Voſſius *De hiſtoricis Latinis* lib. 3. cap. 8. pag. 626. Daumius epiſtolâ 57. inter amœbæas Thomæ Reineſii & eius.

750. IOANNES VELASCUS LUSITANUS (*Pontificiæ bibliothecæ* auctor ait) Ioannis II. Portugalliæ Regis orator, ſcripſit

Orationem habitam Romæ in aula regia nomine ſui Regis ad Innocentium VIII. Pontificem Maximum, qui anno MCDLXXXIV. Pontificatum inivit.

751. PETRUS DAGUÎ Catalanus presbyter, ſi Montiſ-albi ut libri præferunt ap-

conſolacion ſuya & de todos aquellos que enfermedades padeſcen ; porque deſpedidos de la ſalud corporal levanten ſu deſeo en Dios que es verdadera ſalud. Opus aſceticum bonæque frugis plenum, neque aliunde quam è ſacris Bibliorum fontibus hauſtum, quod merito Latine inſcripſeris : *De bono patientiæ* ; atque Eadem : *Admiracion de las obras de Dios, compueſto à ruego de la ſeñora Doña Juana de Mendoza muger del Señor Gomez Manrique.* Exſtat utrumque opus in Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit. h. Plut. III. n.* 24. (T II. p. 130.).... ITEM *Alfonſus Nuñez de Toleto*, qui ad annum MCDLXXXI. patrio ſermone tractatum ſcripſit hoc titulo : *Vencimiento del mundo : embiado* (pergit) *deſde Elche en el Reino de Valencia á la Señora Doña Leonor de Ayala en el poſtrimero dia del año MCCCCLXXXI.* In eodem Eſcurialenſi codice... ITEM *Petrus Stunica* Dux Bejarenſis qui circa annum MCCCCLXXX. ſcripſit patrio ſermone: *Ordenanzas que fizo para la ſu Villa de Bejar.* In eadem Regia Bibliotheca *Lit. Z. Plut. III. ſub n.* 9. (T. II. p. 335.).... ITEM *Sanctius de Furca* (de la Forca) Commentarius de Tánpas interpres è Gallico ſermone *Hiſtoriæ conſecrationis, ſacræ unctionis & coronationis Chriſtianiſſimi Galliarum Regis Caroli VIII. in urbe Rhemenſi anno MCCCCLXXXIV. celebratæ* ; ac feſtivarum adclamationem quibus Pariſienſis civitas revertentem Regem proſecuta fuit ; haſtiludiique ea occaſione ibidem habiti, adiectis picturis haſtiludium & gentilitia concertatorum ſtemmata ad verum exprimentibus : in cuius verſionis fine legitur : *Et eſte libro fue ſacado en Paris de frances en caſtellano. & ſacôlo el Comendador Sancho de la Forca Comendador de la Encomienda de Tanpas para lo llevar è dar al muy manifico & muy iluſtre Señor el Señor Condé de Benavente. Et fue acabado Viernes à XXV. de Noviembre año del Señor de mill & quatrocientos & ochenta & quatro.* Exſtat in eadem Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit. C. Plut. IV. n.* 6. (T. I. p. 445.) Vereor tamen Galluſne interpres fuerit, *De la Force.*. ITEM *Ioannes de Caſtella* Palentinus in Salmanticenſi Academia in Iure Canonico Licentiatus, cuius in Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit. g. Plut. II. n.* 16. (T. II. p. 22.) habetur : *Commentarius in Cap. fin. De pœnis ; ternæque ex eo theſes propugnatæ in Academia Salmanticenſi. VII. Septembris* MCCCCLXXXVII. cum eiuſdem *Oratione* (*Harengam* noſtrates vocant) ad Salmanticenſem Academiam, & qui tunc præſens aderat Archiepiſcopum Compoſtellanum, in cuius limine hæc de ſe ipſo Auctor : *Ego quidem ex ingenua familia procreatus Sanctii & Beatricis parentum meorum tertius á primogenito filius, urbe Palentinâ quæ quondam Gymnaſii noſtri locum & munus ſortita eſt, educatus, literarum ſtudiis prout illa patiebatur ætas inſtructus, religioni atque ordini Clericali devotus à parentibus ac deſtinatus ſum: volens illuſtris illius Petri à Caſtella primum Epiſcopi Oxomenſis, poſtea Palentini in multis pro conatu & viribus imitari veſtigia : qui tamen me lactente, ut Dei voluntas iuſſit, fortuitâ morte deceſſerat : poſt hæc in Eccleſia Palentina primis pueritiæ annis Canonicus creatus &c.* pergitque per gradus diſcurrens, quibus ad id ætatis vitam tranſegit... ITEM *Gundiſalvus de Villadiego* Sacri Palatii Apoſtolici cauſarum Auditor circa annum MCCCCLXXXV, ſcriptor *Tractatûs De Cardina-*

pellatio *Mont-blanc* oppidum huius provinciæ ſignificare poſitum eſt, ſacrarum literarum magiſter ac profeſſor in arte Raymundi Lulli peritiſſimus, idemque à ſacris Ferdinando & Eliſabethæ catholicis Regibus: compoſuit in maiori Balearium inſularum, quam *Maioricam* vocant, in Podio Randæ anno MCDLXXXV.

752. *Metaphyſicam*, ſive *De formalitatibus*, cum tribus præambulis, quæ quidem priorem & maiorem libri partem conficiunt. Typis ea fuit Hiſpali edita anno MCDXCI. in 4.° ab Staniſlao Polono, impenſis Ioannis de Monſerrat Artium magiſtri, ad quem auctor direxerat. Vidimus quoque eiuſdem

753. *Ianuam Artis Raymundi Lulli*, ibidem eodem anno.

754. Poſt hanc ſequuntur, *Abſolutæ diſtinctiones per dominum Fratrem MARTINUM DE ALMODOVAR, Ordinis militiæ de Calatrava.* In fine libri apponitur hæc nota: *Et talis eſt ſententia dicti magiſtri Petri, quam nos uniformiter laudamus, Antonius Epiſcopus Fanenſis, Noianus Epiſc. Xephalenſis* (an *Cephaludenſis* in Sicilia), *Ferdinandus Cordubenſis Subdiaconus domini noſtri* (*Xyſti* nempe IV. hic eſt enim Ferdinandus de Corduba ſuperiore capite à nobis laudatus) *Ioannes abbas S. Bernardi Valentini, Iacobus Conil, Guilielmus Bodonit.* Omnes nempe Raymundinæ doctrinæ aſſeclæ (1).

755. Valentini regni, ut videtur, civis ſequenti anno MCDLXXXVI. *Immaculatæ Virginis Deiparæ Conceptionis myſterium*, recèns à Xyſto IV. Pontifice approbatum, defendit ſcripto FERDINANDUS DIEZ Preſbyter, cuius hæc inſcriptio eſt patriæ linguæ: *Comenza la obra de la ſacratiſſima concepciò de la intemerata mare de Deu, examinada, & dignament aprovada per molts meſtres en ſacra theologia, divulgada & publicada en la inſigne ciutat de Valencia, dins la caſa de la loable Cofraria de la glorioſa Señora noſtra, en lo any da noſtron Senyor Deu Jeſu Chriſt fill ſeu MCDLXXXVI.* Valentiæ editum eodem anno, in 8.°

756. Vidimus Matriti penes Excellentiſſimum Marchionem Mondexarenſem, tot locis in hoc opere à nobis laudatum, *Aſtrologicum commentarium*, regulas continentem, quibus uti debebunt ii qui iudiciariâ arte futura ſe indagare profitentur. Libri titulus deeſt, ſed id quod ſubſcribitur, auctoris temporiſque notam retinet. *Explicit hoc opus compilatum per dominum licentiatum in artibus & medicina, cathedraticum in aſtrologia Salmantinæ Univerſitatis DIDACUM DE TORRES anno MCDLXXXVII. menſe Maii xxv. die.* Idem hic procul dubio eſt cum Didaco de Torres Matheſeos profeſſore Salmantino, cuius librum quendam aſtrologico-medicum vidit D. Thomas Tamaius de Vargas regius hiſtoricus ita inſcriptum vernaculâ linguâ: *Medicinas preſervativas y curativas de la peſtilencia, que ſignifica el eclipſe del ſol del año MCDLXXXV.* Salmanticæ editum anno MCDLXXXV. in 4.° (2).

757. Huiuſmet anni MCDLXXXVII. res eſt IOANNES ANDREAS, eo factus ex Mauro ſeu Mahometano Chriſtianus & ſacerdos, qui *Confuſionem ſectæ Mahometanæ* ſcripſiſſe perhibetur. Cuius mentionem non alii debemus quàm Ioanni Henri-

nalium excellentia Romæ incertum quo anno editi; necnon: *De Legato*, Romæ 1485. & *: Contra hæreticam pravitatem*, Romæ, ut creditur, abſque anni tamen notatione. Fabricius, ſeu potius Manſius med. & inf. *T. III. p. 75. col. 1...* ITEM *Ludovicus Fenollet* Eques Sætabitano-Valentinus patrio ſermone conſcripſit: *La Hiſtoria de Alexandre ſcrita de Quinto Curcio Ruffo:* ſuppletis è Plutarcho binis prioribus, qui eidem deerant libris, Barcinone MCCCCLXXXI. editam in fol. apud Petrum Poſam Presbiterum, & Petrum Brû Sabaudum: Ximen. *Biblioth. Val. T. I. p. 54. ſeq...* ITEM *Didacus Murus*, aliàs de *Muris* ex Inſtituto Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Mercede ad annum MCCCCLXXIII. Epiſcopus Tudenſis, cuius exſtat: *Brevis Epitome rerum ad Malacam in Hiſpania á Ferdinando Catholico geſtarum anno MCCCCLXXXVII.* In Bibliotheca Vindobonenſi apud Montfauconium *T. I. p. 573. col. 1.* lit. Indicis eius Bibliothecæ D. &. *pag. 576. col. 2. lit.* H. necnon: *Eiuſdem: Hiſtorica narratio de victoria Regis Hiſpaniarum Ferdinandi Catholici contra Mauros Granatenſes* anno MCCCCLXXXIII. Ibidem, *pag. 573. col. 1.* & *576. col. 2.* ac demum: *Ferdinandi Hiſpaniarum Regis victoria Bacenſis contra Mauros, anno* MCCCCLXXXVII. Ibid. *pag. 574. col. 2. lit. F.* Exſtat Ferdinandi Pulgarii faceta ad eum epiſtola cum ad annum MCCCCLXXVIII. á Luſitanis in carcere detineretur; eſtque ordine VIII. Diverſus autem eſt hic Didacus de Muros à cognomine Epiſcopo Ovetenſi Fundatore Collegii Sancti Salvatoris Salmanticenſis, de *Oviedo* vulgo dicti.

(1) Parum hæc cohærent cum iis quæ Noſter non ita pridem, num. ſcilicet huius capitis 737. de hoc Ferdinando retulerat è prologo eiuſdem libri *De artificio omnis & inveſtigandi & inveniendi naturâ ſcibilis*, nimirum: *damnâſſe eum quaſi ineptiis plenam, & fructu quem promittit vacuam Raimundi artem, &c.*

(2) Cognominem his diebus novimus *Didacum de Torres*, item Salmanticenſem, atque in Patriæ Academia emeritum Aſtrologiæ & Matheſeos Profeſſorem, doctum profecto ingenioſumque in paucis virum, & ad urbanas facetias natum, pluriumque tum prorsâ tum etiam vorsâ oratione opuſculorum Scriptorem, amicum dum vixit & collegam noſtrum; quem propterea indictum hac occaſione relinquere religio fuit.

rico Urſino *Analectorum ſacrorum* lib. 4. cap. 7. qui diſertè Hiſpanum vocat (1).

758. Circa hunc ipſum in vivis erat LUDOVICUS DE ESCOBAR, ordinis Minorum: cuius è literario habito cum principe illius temporis viro Federico Henrici Caſtellæ Archithalaſſo, neque illi infructuoſo, commercio, natus dicitur liber ille inſcriptus: *Las quatrocientas reſpueſtas à otras tantas preguntas del Almirante D. Fadrique Enriquez, que hizo à un fraile Menor.* Pinciæ MDL. in folio (2).

759. In urbe Murcia natus, atque eiuſdem urbis cathedralis Eccleſiæ canonicus fuit DIDACUS RODRIGUEZ DE ALMELA, doctrinâ hiſtorica & probitate morum ſuo tempore ſpectatus. Nec potuit aliter in domo magni illius Burgenſis antiſtitis Alphonſi à Carthagena à puero habitus, cui & à cubiculo maior annis fuit. Hunc enim quotieſcumque data eſt ei in ſcriptis ſuis nominandi occaſio dominum ſuum reverenter appellat; deinde Catholicorum Regum domeſticus, Eliſabethæ glorioſiſſimarum Reginarum principi in capella miniſtravit, & uti fama eſt chronographi munus ab ea obtinuit. Bello autem adverſus Granatæ Dynaſtam Saracenum validè ab iis ſuſcepto, non domi manſit, aut aſymbolus venit; ſed, quod ſacrum quamvis hominem non dedecuit, equitibus duobus peditibus ſex ſuo ære exhibitis, Chriſtianarum copiarum vires & robur auxit: quod ex monumentis à ſe viſis Franciſcus Caſcales, dum in *Murciæ urbis hiſtoria* familiæ huius *de Almela* meminit, poſteritati conſignatum reliquit. Dignitatem hominis non obſcurè id oſtendit, quòd in quibuſdam eius operum, quæ mox ſubiecturi ſumus exemplis, *venerabilis* nuncupatione ornatus legitur. Hæc autem eius opera ad nos pervenerunt.

760. *El Valerio de las hiſtorias eſcolaſticas y de Eſpaña.* Murciæ apud Ioannem de la Roca MCDLXXXVII. in folio; indeque Matriti MDLXVIII. in 8.° & Medinæ-Campi apud Franciſcum del Canto MDLXXXIV. in 8.° quarum primam (3) & ultimam vidimus Romæ in bibliotheca gymnaſii Sapientiæ ampliſſima, libris omnibus Urbinatum Ducis ultimi typis mandatis, quos Alexander VII. literarum Mæcenas, ab heredibus ei fini coemit, inſtructa. *Valerium* appellavit opus hoc hiſtoricum, quia valerium Maximum *De dictis factiſque memorabilibus*, Latinum atque graviſſimum auctorem, cuius ordinem argumentumque novis tamen & hucuſque intactis exemplis imitaretur, ante oculos habuit. Id enim inter nos fecit Almela noſter, quod Italicâ olim linguâ, quæ quidem in Latinam pòſt converſa fuit, Baptiſta Fulgoſius, ſive Fregoſus, Dux aliquando Genuenſium, *De factis dictiſque me-*

(1) Valentinus fuit Sætabitanus & Maurorum eius urbis Mezquitæ ſive Aliamæ olim Alſaquinus: qui cum anno MCCCCLXXXVII. Valentiam noſtram adventâſſet, templum eiuſdem maximum fortefortunà ingreſſus, qua die feſtum Beatiſſimæ Virginis MARIÆ in cælos aſſumtæ ſolemni pompa celebrabatur, laudes eiuſdem Virginis triumphumque ex ore Fratris Ioannis Marques Ordinis Prædicatorum Pactenſis poſtea in Sicilia Epiſcopi, qui ad populum concionem habebat, excepit; & repente quaſi de cælo tactus ſalutares baptiſmi aquas petiit & impetravit: utilior in dies veteris Mauricæ ſectæ popularibus factus, quorum plurimos verbo & exemplo ad caſtra Chriſtianorum traduxit; neque tantum in patria, ſed maxime in Granatenſi regno poſt quinquennium Mauris erepto; quò à Ferdinando & Eliſabetha Catholicis Hiſpaniæ univerſæ Regibus evocatus fuit, & in principe Granatenſis urbis templo canonicali ſacerdotio auctus. Vertit quoque ex Arabico in Aragonenſem dialectum *Alcoranum integrum cum eiuſdem gloſſis; ſeptemque libros Zunæ*, iuſſu Martini Garliæ violatæ Fidei apud Aragonenſes Quæſitoris poſtea Epiſcopi Barcinonenſis, ut ipſe ait in prologo *Confuſionis ſectæ Mahometanæ:* cuius operis Hiſpanicè primum ab Auctore ſcripti fatum ignoratur. Michael à S. Ioſepho *Bibliogr. Crit. T. I. p. 236. col. 1.* (ap. Ximen. *Biblioth. Val. T. I. p. 76.*) Hiſpali 1537. in 8°. editam fuiſſe affirmat. Italica eius verſio, Venetiis 1543. itidem in 8°. exſtat penes me, hoc titulo: *Opera chiamata Confuſione della Setta Mahometana compoſta in Lingua Spagnuola per Giovân Andrea, già Moro & Alfaquì della Città di Sciatiuia* (Xativa, Sætabis, hodie *San Felipe*) *hora per la divina bontá Chriſtiano è Sacerdote: tradotta in Italiano per Domenico de Caztelu Secretario dell' Illuſtriſſimo Signor Don Lope de Soria Imbaſciador Ceſareo appreſſo la Illuſtriſſima Signoria di Venetia* MD.XLIII. in cuius prologo habetur eius converſionis hiſtoria atque occaſio, iis quæ paulo ante diximus omnino conſona; niſi quòd pro *Ioanne Marques* (quod verè proprium eius Eccleſiaſtæ quem Ioannes Andreas audierat nomen fuit) *Marques Adesóra* legatur: de quo infra in *Ioanne Marques.* Exſtitit quoque hæc verſio in Bibliotheca Comitis Ducis Olivarienſis pag. 88. ibi: *Iuan Andrès, que primero fue Moro, y Alfaquì: Confuſion de la Secta Mahometana: traducido en Toſcano por Domingo Gaztelu* 8.° *Venetia* 1540. ſic omnino pro 1543. ut in exemplo noſtro. In auctione Bibliothecæ Rotheanæ Amſtelodamenſi 1669. cuius Indicem edidit Vidua Henrici de Boóm, pag. 48. legitur: *Confutacion del Alcoran y Secta Mahometana Granada* 1560.

(2) Exſtat penes me. In Bibliotheca autem Eſcurialenſi *Lit. h. Plut. II. ſub n. 21.* (T. II. p. 88.) habetur MS. hoc titulo: *Pregunta que hizo el Conde de Altamira á Frai Luis de Eſcobar de la Orden de San Franciſco: Què Reyes reinaron en Geruſalen? Y què tanto tiempo vivieron reinando? allende de aquellos que pone nombrando el Evangeliſta Señor San Matheo. Y la reſpueſta de Fray Luis.* Utrumque verſibus Martellianis ſeu trimetris, oppidò elegantibus ac ſucci plenis.

(3) Exſtat hæc penes me.

memorabilibus ſimili commentaria in lucem emiſſo.

761. Nec indictum relinquam huic libro alium, nempe FERDINANDUM PEREZIUM GUZMANUM, cuius eſt maiori ex parte *Ioannis II. Regis Caſtellæ hiſtoria*, auctorem nonnunquam datum fuiſſe; cùm Almela ipſe in aliis infrà laudatis operibus ſœtum hunc domi natum agnoſcat & profiteatur; diſerteque id ipſum confirmet cum aliis, doctus planè vir atque Hiſpaniæ noſtræ decus, D. Thomas Tamaius, cùm in *Defenſione hiſtoriæ Ioannis Marianæ adverſus Pet. Mantuanum* fol. 285. tum etiam in Notis ad Luitprandum pag. 34. Hiſtoriam hanc Ioannes Vaſæus *Chronici Hiſpaniæ* cap. 4. tam diligentiâ quàm varietate laudabilem cenſet (1).

762. *Tratado ò copilacion de las batallas campales, que ſon contenidas en las eſtorias eſcolaſticas e de Eſpaña. Dirigido à D. Fr. Juan de Ortega Malvenda Obiſpo de Coria.* Qui anno MCDLXXXIX. obiit electus proximo ſuperiore. Prodiit cum *Valerio hiſtoriarum* in editione Murcienſi MCDLXXXVII. & aliis (2).

763. *Coronica general de Eſpaña.* Quam dicatam catholicis Regibus inter libros Adami Centurionis Marquionis Eſtepani olim, dum viveret fuiſſe, nunc iam Succeſſoris illaudabili permiſſione diſperſos, à Martino Vaſquio Siruela Portionario Hiſpalenſis Eccleſiæ ac Muſarum corculo, certiores facti ſumus. Huiuſmet aliud exemplum hiſtoriæ eſt, quod ſe vidiſſe D. Thomas Tamaius in *Collectione* affirmavit *Hiſpanorum librorum* hactenus inedita, cum hoc titulo: *Copilacion y genealogia de los Reyes de Eſpaña.* Cui etiam atteſtanti credimus viſa etiam ſibi fuiſſe (3)

764. *Copilacion de los vitorioſos milagros de Sant-Jago* (4). Itemque

765. *Epiſtolas à diverſas perſonas.* Quarum duas à Franciſco Caſcales Murcianarum rerum uti ſuprà diximus enarratore, laudatas novimus. Altera eſt ad Antonium Martinez de Caſcales directa, urbis Toletanæ iuridicum (*Alcalde* vocat vernaculi ſermonis titulo) *Sobre los matrimonios e caſamientos entre los Reyes de Caſtilla e de Leon de Eſpaña con los Reyes y caſa de Francia*; ſive, de matrimoniis inter Caſtellæ ac Legionis Hiſpaniarum Regibus, & Francicam domum regiam initis. Cui argumento illuſtrando valdè conſulit hac noſtra ætate Petrus Roſellus ſacerdos Gallus *De antiqua Gallias inter atque Hiſpanias in divinis & humanis rebus communione* Lugduni edito MDCLX. commentario hiſtorico. Poſterior verò ad Iuratum (ſic vocamus ſecundi ſubſelii atque ordinis adminiſtrationi urbium præpoſitos, & quaſi plebis tribunos) Ioannem à Corduba: *De como no ſe deven dividir, partir, ni enagenar los reynos y ſeñorios de Eſpaña.* Hoc eſt, de dominio & regnis Hiſpaniæ non dividendis nec alienandis. Editæ ſunt epiſtolæ iſtæ cum *Valerio hiſtoriarum* Murciæ MCDLXXXVII.

766. Salmantino gymnaſio debuit educationem in literis theologicis & honores vigiliis ſcholaſticis debitos, PETRUS DIAZ DE LA COSTANA, quodam loco diœceſis Burgenſis natus, & in Bartholomæi Apoſtoli collegium anno huius ſæculi ſeptimo ſupra quadrageſimum, quod in monumentis eiuſdem domus ampliſſimæ legitur, admiſſus. Sacras literas de loco ſuperiore ibidem

(1) Dictum de hoc abunde ſuprà in Ferdinando Perezio Guſmanno.

(2) Exſtat penes me.

(3) Exſtat in Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit. u. Plut. II. nn.* 10. & 11. (T. II. p. 480. ſeq.) duobus voluminibus diviſa ſub titulo: *Compendio Hiſtorial de las Chronicas de Eſpaña* à priſcis eius poſt diluvium incolis uſque ad Henrici IV. tempora.

(4) Exſtat in Regia Bibliotheca Matritenſi: *Ad Ferdinandum Pinedam Militiæ Sancti Iacobi* Equitem; atque in Eſcurialenſi hoc titulo: *Compilacion de los vitorioſos miraglos del glorioſo Apoſtol Santiago, y del origen de la Caballeria de eſte nombre y ſerie de todos los Maeſtres aſta el XXXII. llamado Don Garci Fernandez de Villamayor.* Lit. h. Plut. III. n. 15. (T. II. p. 118.) Exſtant quoque in eodem codice pleraque alia *Didaci Almelæ* opuſcula Hiſpanica nimirum: *La eſcritura embiada al muy Rev. Señor Obiſpo de Coria* (Don Fray Juan Ortega Maluenda): *De quantas veces, è en qué tiempo vinieron los Moros por mar á tierra de Italia; & mal que fizieron en ella: eſſo meſmo ſobre Conſtantinopla: ê del remedio que ſe podria dar en la guerra contra los Turcos ſobre la toma de Otranto.*. Item: *Carta al Dean y Cabildo de la Igleſia de Cartagena ſobre la ida que el muy Rev. Señor Don Alonſo Carrillo Arzobiſpo de Toledo Primado de las Eſpañas, ſe dice que quiere fazer á la guerra contra Turcos: eſcrita en Murcia à XXV. de Abril de MCCCCLXXXI.* Item: *La Epiſtola que eſcribió à Alfonſo de Cardenas Maeſtre General de la Caualleria de Santiago, ſobre la Compilacion que le embiò de los vitorioſos miraglos del glorioſo Apoſtol Sant-Iago deſde Murcia I. dia de Junio de MCCCCLXXXI. Y la Reſpueſta del Maeſtre dandole gracias, dada en Llerena à VII. de Julio del miſmo año;* atque ibidem: *La Carta del Obiſpo de Coria al Maeſtre Cardenas* de eodem argumento. Item: *Origen de los Reyes y Reino de Portugal; y el derecho que á el tienen los Reyes Catolicos Don Fernando y Doña Iſabel;* ac demum: *Reſpueſta á algunas preguntas, de algunas Reynas è grandes Señoras que no fueron buenas mugeres; & de otras que fueron muy buenas viviendo honeſta & virtuoſamente; & de coſas famoſas que por ſus maridos fezieron.* Ad Didacum Carvajalium Prætorem Civitatis Murcienſis.

dem veſpertinus profeſſor, & magiſter creatus docuit. Iamque ſacerdotio canonico Burgenſis Eccleſiæ ornatus, in ea tempora incidit erecti novi à Catholicis Regibus adverſus Fidei perduelles ſanctæ Inquiſitionis utiliſſimi magiſtratûs: qui latrantibus quantum volent hæreticis, ſuæque infelicitatis miſerè ſecuris Hiſpaniam, quanta eſt, cum ditionibus quæ participavêre, ab hæreſis & ſchiſmatis contagione, quæ ceteras Europæ Chriſtianas Regiones, atque ipſam Chriſtianiſſimam & florentiſſimam Galliam turpiter inficit, nec labii unius in colendo Deo eſſe permittit, feliciſſimè hactenus præſervavit. Huius Ordinis inter primos iudices fuit cooptatus noſter, unà cum Franciſco Sanctio Fontano, ad S. Bartholomæi item collega, ut per ditionem Toletanæ Sedis uterque ſartam tectam curaret religionis cauſam. Canonicus idem fuit ac decanus eiuſdem Toletanæ Eccleſiæ ab anno MCDLXXXVI. atque unus ex his, qui de Petri Oxomenſis ſcriptis in Complutenſi Synodo anni MCDLXXX. cum aliis cenſuit, nominatus ea propter in bulla Xyſti IV. quæ in *Bullarii* primo volumine pag. 431. legitur. Scripſit hic

767. *De confeſſione ſacramentali adverſus* eiuſdem *Petri Oxomenſis errores*, librum; obiitque anno MCDLXXXVIII. loco ſepulturæ in S. Eugenii ſacello eiuſdem Toletani maioris templi accepto. Scripti ab eo catholici huius operis & vitæ geſtorum notitiam debemus Petro Salazario Mendozio in *Vita D. Petri Gundiſalvi à Mendoza Cardinalis* lib. 1. cap. 56. §. 1. & D. Franciſco de Vergara & Alava in *Vita D. Didaci de Añaya Hiſpalenſis præſulis; notitiaque virorum illuſtrium Bartholomæani collegii ab eo fundati*, num. 79.

768. Sed & alius ab hoc, ut videtur, exſtat liber eiuſdem auctoris in Hiſpalenſis Eccleſiæ Bibliotheca, quæ olim fuit D. Ferdinandi Coloni, nempe hoc titulo inſignis:

Petrus de Coſtana licentiatus, ſuper Decalogo, & ſeptem peccatis mortalibus, aliiſque materiis moralibus. Salmanticæ MDII. (1)

769. PETRUS GARZIA Valentinus ex urbe Sætabi (hodie *Xativa*) ſacræ Theologiæ magiſter Pariſienſis, cùm in famulitio eſſet Roderici Borgiæ Cardinalis Vice-cancellarii, quem poſtea vidit Roma & Chriſtianus orbis ſub Alexandri VI. nomine ſibi præfectum: ſcripſit ad Innocentium Papam VIII. hoc eodem anno MCDLXXXVIII. factus iam Uſſelenſis in Sardinia Epiſcopus.

770. *Determinationes magiſtrales contra concluſiones apologales Ioannis Pici Mirandulani Concordiæ Comitis.* Quæ editæ ſunt Romæ per Eucarium Silber, aliàs Franck Alemannum anno MCDLXXXIX. in folio. Quæ, quòd rarus valdè liber ſit, ne ignoretur Garſiæ noſtri cum *Phœnice literarum* (quomodo ſuo audit ævo) Ioanne Pico iſto contentionis materies, concluſiones hìc ponemus.

Prima eſt *De deſcenſu Chriſti ad inferos ſecundum animam.*

II. *De pœna mortali peccato debita ſecundum quantitatem temporis.*

III. *De adoratione crucis & imaginis Chriſti, & reliquiarum aliorum Sanctorum.*

IV. *De aſſumtibilitate naturæ irrationalis quoad potentiam Dei abſolutam.*

V. *De libertate actûs credendi Fidei Chriſtianæ*

VI. *De exiſtentia accidentium in ſacramento altaris.*

VII. *De poſſibili exiſtentia corporis & ſanguinis Chriſti cum ſubſtantia panis & vini in ſacramento altaris.*

VIII. *De forma conſecrationis panis & vini quoad ſuppoſitionem perſonalem vel materialem.*

IX. *De intellectu & intelligere divino, quomodo & qualiter dicuntur de Deo.*

X. *De intelligere abdito animæ humanæ corpori coniunctæ.*

XI. *De magia & cabala ſecundum ſe & omnes ſuas partes, quoad prohibitionem & certificationem de Divinitate Chriſti.*

XII. *De miraculis Chriſti, quomodo ſunt argumentum certiſſimum ſuæ Divinitatis.*

771. Motum ſe ait ex eo, quòd cùm Papa remiſiſſet ei legendum & examinandum *Apologeticum librum* Ioannis Pici, in quo magorum & cabaliſtarum ſuperſtitiones ſuſcitâſſe videtur; & in quo nonnulla etiam ad Fidem catholicam pertinentia falsò interpretata & defenſa eſſe deprehen-

(1) Idem utrumque opus eſſe exiſtimat Marchio de Alvêntos, *Hiſt. Coll. S. Barth. Salm. Part. I. p.* 143. editumque exſtare ait apud D. Ferdinandum de Velaſco, Catholico Hiſpaniarum Regi Carolo III. à ſanctioribus, quæ *Cameræ* vocant, conſiliis, hoc titulo: *Tractatus fructuoſiſſimus atque Chriſtianæ Religioni admodum neceſſarius ſuper Decalogo & ſeptem peccatis mortalibus, cum articulis Fidei, & Sacramentis Eccleſiæ, atque operibus miſericordiæ, ſuperque Sacerdotali abſolutione, utrâque excommunicatione, ac ſuffragiis & Indulgentiis Eccleſiæ à Petro Coſtana in Sacra Theologia Licentiato benemerito non minus eleganter quàm ſalubriter editus.* 4°. Et in eiuſdem fine: *Libellus iſte eſt finitus & impreſſus Salmanticæ Civitatis fidelis decimo octavo die menſis Iulii, anno Domini milleſimo quinquagenteſimo.*

henderentur, plurimaque ex philosophicis disciplinis ad sacræ Scripturæ contrarium sensum exponerentur : existimavit gratam rem illi facturum & professioni suæ convenientissimam, si adversus eos errores Fidem clypeis Davidicæ turris pro modulo intelligentiæ suæ muniret, aut potiùs munitam demonstraret : quam rem eò libentiùs & confidentiùs se fecisse ait, quòd idem Pontifex (Innocentius) prædictos errores damnavit atque anathematizavit. Humili autem stilo & scholastico, Parisiensium more, se scribere inquit. Laudat autem Picum his verbis : *Scio enim & expertum habeo, pluribus concertationibus super hoc habitis coram rever. Patre domino Ioanne Episcopo Tornacensi, Tuæ Sanctitatis magistro domus, & in huiusmodi causa commissario dignissimo, præfatum virum singulari ingenio pariter doctrinâ ac eloquentiâ esse præditum.* Hæc ille ait in fine libri (1).

772. Planè Apologeticus hic Pici liber apologia est floridissima stilo & varietate rerum pro nongentis conclusionibus à se Romæ, cùm eò Innocentii Papæ deosculaturus pedes accessisset, ad ostendendam doctrinam & ingenium propugnatis, Laurentio Mediceo dicata, & inter opera eiusdem *Ioannis, & Ioannis Francisci Picorum, Mirandulæ & Concordiæ Comitum*, typis edita. In cuius calce propositiones istæ duodecim inter quadraginta sex, quas pro catholicis agnoscere se ac defendere aiebat, & nunc leguntur. At quidem Ioannem Picum patruum suum altero libro à Petri Garsiæ accusatione Ioannes Franciscus defendit : qui licèt hodie non alia inter exstet huius opera, indicatur tamen ab auctore in quadam epistola ad Lilium Gyraldum, quæ incipit : *Quoniam desideras*, ubi *Ioannis Pici apologiam* (inter alia, inquit, catalogum ei postulanti operum à se factorum exhibens) *à Petri Garsiæ calumniis vindicabimus.* Legitur altero volumine utriusque Pici operum Basileensis Henricopetrinæ editionis pag. 879. lib. 4. epistolarum.

773. Malè hunc confundit cum Petro Garsia de Galarza *Evangelicarum institutionum* auctore Alphonsus Ciaconius in schedis ad *Bibliothecam universalem*. Garsiæ meminit Gaspar Escolanus *Valentinæ historiæ* lib. 9. cap. 22. in fine ; & ante eum æqualis tempore Gaubertus Fabricius de Vagad Cistercienſis in prologo 3. ad historiam rerum Aragoniæ, & Ioannes Eckius in *Christo passo*.

774. BERNARDUS DE BOIL sacerdos, eremiticam agens vitam in Montis-Serrati Cataloniæ Deiparæ Virginis sacri rupibus, edidisse dicitur à se versum vernaculum *Isaaci de religione* librum : qui editus fuit in monasterio S. Cucufatis Vallis Aretanæ anno MCDLXXXIX. in 4.° inter multos verò Isaacos, quos Ant. Possevinus laudat, aliique, nullum adhuc inveni, qui huius inscriptionis librum edidisse memoretur (2).

775. IOANNES (aliàs LUDOVICUS) TEIXEIRA Lusitanus, hoc eodem anno sæculi octogesimo nono orationem habuit ad Ioannem Regem II. huius regni, cùm Petro Menesio Marchionatûs de Villa-regali dignitatem conferret, Latinam, ut credimus ; siquidem hanc in vernaculum conversam Michaelis Suarezii operâ Conimbricenses typi anno MDII. in 4.° dederunt foras. Ludovicum aliàs vocari audio, equitemque ordinis S. Iacobi fuisse, Angeli Politiani in Italia discipulum, Græcæ ac Latinæ linguarum, poeticæ ac Iuris artium doctum, Regisque Cancellarium. Huic attribuunt *Commentaria in subtilem & necessarium Digestorum titulum De rebus dubiis.* Venetiis in fol. MDVII, deinde Senis MDXV. edita, ac Emmanueli Regi dicata, cuius filii Ioannis III. Regis præceptor fuisse dicitur.

776. ALPHONSUS DE LA TORRE, Baccalaurei appellatione, qui primus & infimus academicus honorum gradus est, iuxta huius ævi morem contentus, neque aliud de se enuntians, foras dedit huius notæ opus :

777. *Vision deleytable de la filosofia, y artes liberales, metafisica, y filosofia moral.* Quod excusum vidimus Hispali anno MDXXVI. à Iacobo Cromberger in folio, Ioanni Beaumontio, equiti Hierosolymitano, & Navarræ Priori, dicatum. Attamen mandatum typis olim iam Tolosæ anno MCDLXXXIX. in catalogo regiæ bibliothecæ Scorialensis librorum annotatum legimus. Cui convenit ævo, quòd Cataloniæ linguâ conversum, ac Barcinone editum anno MCDLXXXIV. in bibliotheca domini Laurentii Ramirez de Prado olim exstiterit. Ms. exstat in bibliotheca olim Olivarienſi, nunc Marchionis del Carpio, ut ex eius catalogo, quem penes bruarii MDV. Ximenus *Biblioth. Val. T. I. p. 71. col. 1.*

(1) Andreas Schotus *in Biblioth.* Ureellensem, id est, ut coniicio *Urgelitanum* in Catalonia Episcopum vocat ; Montfauconius *Vercellensem* in Insubribus *Biblioth. Bibl. T. I. pag. 343. col. 1.* Fuit demum Episcopus Barcinonensis ab anno MCCCCXC. atque in eadem urbe diem vidit extremum VIII. Fe-

(2) Fuerit forsan *Isaacus Abbas Stellæ*, cuius in Bibliotheca Regis Galliarum variis in locis exstant : *Libri tres de veritate Corporis & Sanguinis Christi in Sacramento altaris... Epistola de altari Moysis & Christi... De Canone Missæ... De Anima.*

nes nos habemus : in cuius ora notatur, ad nutum Caroli Navarræ principis hunc librum formatum ab auctore fuisse. Boetii nempe Severini inventum ac propositum imitatus, per somnum sibi dictatam quæ opere isto exponitur, doctrinam confingit, duabus partibus commentarium distinguens : alterâ liberalium artium conditionem, finemque, utilitatemque speculatur : alterâ de virtutum, ut appellamus Christiani, moralium potestate in affectionibus moderandis edisserit (1).

778. *Las poesias del gran filosofo Alonso de la Torre.* In bibliothecæ Regis Galliarum codice 993. alterius partis seu Xysti exstare ait Philippus Labbeus in *Bibliotheca sua manuscripta* pag. 324 (2). Hunc *Ioannem* vocat magno errore D. Thomas Tamaius in *Magna librorum collectione* adhuc inedita.

779. IACOBUS PEREZ DE VALENTIA (vulgari nomenclatura JAIME PEREZ) in Valentino regno atque oppido *Ayora* Oriolensis diœcesis, quod in Castellæ situm est confinio, natus, eremitarum S. Augustini amplexatus Institutum : titularis, ut vocant, sive suffraganeus Roderici Borgiæ Cardinalis & Archiepiscopi Valentini, antequam summus electus fuisset Pontifex, Episcopus fuit Christopolitanus, nomine tenus dictus : quod oppidum *Christopol* est hodie, olim autem *Neapolis Thraciæ*. Divinis ille atque humanis literis, &, quod ante alia est, probitate morum vitæque multum se commendavit æqualibus, quemadmodum & posteritati libris verè doctis utilibusque. Celebres autem in primis sunt eius

780. *In centum & quinquaginta psalmos expositiones*, Roderico prædicto nun-

Biblioth. vet. Hisp. Tom. II.

(1) Nullibi in Bibliothecis nostris non obvium seu manu exaratum sive typis editum ; nec tantum Hispanice, sed & in Lemosinum sermonem ab Anonymo conversum & Barcinone typis vulgatum anno 1484. En finalem alterius ex huius editionis exemplis epigraphen : *Migençant la divina gracia vinguda es la fi de esser impressa la Visio delectable de Alfonço de la Torre Bachaller impressa en la ciutat de Barcelona à despeses de Matheu Vendrell Mercader Ciutadà de la dita ciutat lo disapte sant de Pasqua à XVII. del mes de Abril l' any de la nostra salut Mil è CCCC. LXXXIIII.* E Schedis D. Nicolai Rodriguezii Laso violatæ Fidei apud Barcinonenſis Quæſitoris benigne ad nos transmissis. Videtur autem hic Alfonsus Salmanticensis S. Bartholomæi Collegii alumnus olim fuisse ; nam apud Marchionem de Alvêntos *Hist. Coll. S. Barth. Salm. Part. I. pag. 126.* legitur : 44. *Alonso de la Torre Bachiller Theologo, fue recibido el mismo año 437. Era del Obispado de Burgos.* Eadem apud Ruizium Vergaram.

(2) Frustra hoc opus in Bibliothecæ Regis Galliarum catalogis quæsivi, Literis A. H. I. & Y. Exstant cupatæ, in quo de Christo & Ecclesia omnes Davidis prophetias subtiliter interpretatur. Accedunt

781. *In cantica ferialia in Bibliis contenta.*

782. *In cantica Evangelica : Benedictus, Magnificat, Nunc dimittis, & Gloria in excelsis.*

783. *In canticum Ambrosii & Augustini.* Quæ omnia simul edita sunt, præmissis

784. *Quæstionibus, & earum subtilissimis resolutionibus contra Iudæos Fidei Christianæ adversarios.* Quem librum laudat Ioannes Martinus Figuerola in opere suo *Lumbre de Fè contra el Alcoran* inscripto, quamvis æquivocatus appellet eum *Episcopum de Valentia.* Adiicitur in fine

785. *Symbolum S. Athanasii cum expositione.* Omnia hæc Iodocus Badius Ascensius, celebris ævi sui chalcographus tradita sibi à Ioanne Focaudo Clarevallensi abbate, & quidem operâ monachi cuiusdam sedulò correcta, & indice alphabetico illustrata, primùm anno MDVI. atque iterum ac tertiùm MDXVIII. typis mandavit (3).

786. *In cantica canticorum Salomonis expositiones, cum illius quæstionis discussione : Utrûm solus Christus sit metrum*, (et mensura, et) *largitor bonorum omnium, & reparator humanæ naturæ :* Alphonso Aragonio Archiepiscopo Cæsaraugustano dicatum hoc opus Parisiis, Lugduni, Venetiisque prodiisse, auctores sunt Valerius Taxander in *De Scriptoribus Hispanis*, & Thomas de Herrera in *Alphabeto Augustiniano.*

787. Desiit autem Iacobus in vivis esse anno salutis MCDXC. conditus honorificè in domo Augustinianorum Valen-

Tt ti-

(3) *Psalmorum expositio* edita primùm fuit Valentiæ VI. Septembris MCCCCLXXXIV. fol. quæ nunc cum hæc scribimus ad manum nobis est. *Canticorum* XIX. Maii MCCCCLXXXVI. utraque servatur in Bibliotheca Metropolitanæ Ecclesiæ nostræ Valentinæ. *Tractatum contra Iudæos Fidei Christianæ adversarios*, Imbonatus *Biblioth. Rabbino-Hebr. Append. pag. 392. col. 1. n. 1178.* describit hoc titulo : *De Christo Reparatore contra Iudæos.* Exstat quoque Eiusdem Lemosino sermone : *Carta tramesa per lo Reverendissim Senyor Mestre Iaume Perez Bisbe de gracia de la Seu de Valencia al molt Noble Barò Don Pere Ramon de Moncada Senyor de Vilamarchànt*, in Regio Chartophylacio Barcinonenſi, eiusque exemplum in Michaelis Carbonelli *Hispaniæ Chronico* pag. 37. apud Ximenum *Biblioth. Val. T. I. pag. 58.* qui alia opera Eidem Iacobo tribuit, sed vel affecta, vel non satis idoneis sponsoribus.

autem varia eius Poematia in *Cantionariis* nostris. In Hispalensi MDXL. à fol. LXVI. atque in Antuerpiensi MDLXXIII. Erotica ut plurimum.

tina : cuius pia ſpolia revoluto ſepulcri lapide anno huius quod vivimus ſæculi decimo, in omnium oculos incurrerunt; admirationique præcipuè lingua, ſive potiùs cerebrum, fuit : integrum id quidem & ab omni noxa putrefactionis illæſum (1). Quæ illuſtriſſimo Præſuli eiuſdem Sedis D. Ioanni à Ribera iubendi occaſio fuit, ut de Iacobi vita, rebuſque ab eo geſtis, & miraculis, eo intercedente à Deo diſpenſatis, teſtimonia ritu ſolenni acciperentur. Gaſpar Eſcolanus videndus lib. 9. *Hiſtoriæ Valentinæ* cap. 1.

788. Unus ex iis, quos ſterilis damnataque à Deo Hebræorum planta, raros quidem, at bonos, in Hiſpania produxit fructus, PAULUS fuit HEREDIA cognominatus, quem Hiſpanum omnes, Aragonenſes civem ſuum iactant : qui ex Iudaiſmo ad veritatis per Chriſtum revelatæ Fidem converſus, pugnavit, ut ſtrenuus adverſus hoſtes, iam olim fratres eiuſdemque cæcitatis conſortes, Evangelicæ aciei miles, ſcribens

789. *De myſteriis Fidei* librum. In quo ex arcanis Iudæorum Rabbinicis & cabaliſticis multa ſcitu digniſſima in Latina caſtra, veluti auxiliares copias, ad Iudæos errorum ſuorum convincendos, tranſtulit. Editum hunc in Italia monet Conradus Geſnerus.

790. *Coronam regiam ad Innocentium VIII. Pontificem Maximum pro intemerata conceptione Mariæ Virginis.* Simulque

791. *Nehumi filii Haccanæ epiſtolam de ſecretis ad Haccanam filium ; atque aliam eiuſdem Haccanæ Nehumi filii pro adventu Meſſiæ Chriſti*, Latinè è ſe converſas cum propriis ſcholiis. Operis titulus : *Igghereth hazodoth*, hoc eſt, *Epiſtola ſecretorum ;* interrogationeſque octo ſeu petitiones continet Antonini Conſulis urbis Romæ à Rabbino Haccados, quarum hic meminit in libro ſuo *Gale Razaya*, hoc eſt *Secretorum revelatore* (2). Nuncupavit hanc interpretationem cum poſtillis illuſtriſſimo ac ſapientiſſimo domino D. Eneco de Mendoza Comiti Tendillæ, ſacræ maieſtatis Regis Hiſpani Legato, ſcilicet apud Innocentium VIII. Cuius ad Pontificatûs finem anno MCDXCII. locum Herediæ, cùm de ulteriore huius vita non aliunde conſtet, nos hic dedimus.

792. IOANNES quidam LOPEZ Dominicanus vulgari lingua Caſtellæ reddidit: *Los Evangelios deſde Adviento haſta la Dominica in Paſſione*, Duciſſæ Arevali rogatu : quæ Zamoræ edita anno MCDXC. in folio vidit D. Thomas Tamaius de Vargas. Neſcio an alius ſit IOANNES LOPEZ DE SALAMANCA, quem Dominicanum ad ordinem receptum in cœnobio S. Stephani eiuſdem urbis, ſcripſiſſe *Controverſias contra Iudæos*, Ægidius ait Gundiſalvi de Avila in *Salmantina hiſtoria*, atque item IOANNES LOPEZ Salmantinus, quem laudat Antonius Senenſis in *Bibliotheca Dominicana* : quem ait ad preces dominæ Eleonoræ Pimentelliæ Comitiſſæ Placentinæ ſcripſiſſe B. Vincentii Ferrerii Vitam. Sed quod ex Vincentio Iuſtiniano Antiſtio in eiuſdem argumenti commentario adiungit, æqualem eum vixiſſe eidem B. Vincentio, qui anno MCDXVIII. aut ſequenti ad ſuperos abiit, falſum eſt; cùm Eleonora Pimentellia uxor ſecunda fuerit Alvari Stunicæ ſecundi Comitis Placentiæ & primi Ducis de Arevalo ac de Bejar, catholicorum Regum tempore.

793. LUPUS GARZIA DE SALAZAR è Cantabriæ huius familiæ equitibus, qui vixit Ioannis II. & Henrici Regum, & fortaſſe Ferdinandi & Eliſabethæ hoc tempore, reliquit nobis manuſcriptum opus hiſtoricum, quod ita appellatum quidam dicunt:

794. *Primera, ſegunda, y tercera parte de los ſumarios de la hiſtoria del mundo.* Adiunxit D. Thomas Tamaius : *Eſcribiòlas eſtando preſo en ſu caſa de S. Martin. Acabolas Criſtoval Mieres. Eſtan repartidas en veinte y cinco libros. Eſcrivieronſe año de MCDXCII.* Ms. in fol. Hæc Tamaius. Ms. vidit in bibliotheca Sereniſſimi Ferdinandi Cardinalis Infantis D. Petrus de la Eſcalera Guevara, uſus hoc opere in hiſtoria *Del origen de los Monteros de Eſpinoſa* cap. 11.

795. Vidimus nos penes Marchionem Acropolitanum, iam Mondexarenſem, aliquam huius hiſtoriæ partem : ſcilicet quinque poſteriores libros, quorum XXI. eſt de familiarum Guipuſcoæ, Viſcaiæ, Alavæ, & oræ maritimæ quatuor, ut vocant, villarum uſque ad Aſtures : XXII. de diſſidiis & prœliis inter privatos nobiles earundem partium : XXIII. de eadem re : XXIV. de eadem re : XXV. de Aſturum familiis, & earum diſſidiis. In fine XXIV. li-

(1) Sepulcrale Iacobi elogium è Ximeno l. c. *ſiſtimus*

R. I. D. D. IACOBVS PEREZ DE VALENCIA, AVGVSTINIANVS MONACHVS, PSALMORVM INTERPRES, CHRISTOPOLITANVS EPISCOPVS IACET HIC, OBIITQVE ANNO DOMINI M. CCCC. XC.

(2) Eadem ac totidem fere verbis è Noſtro mutuata Wolfius *Biblioth. Hebr. T. I. p.* 963. *in fin. & init. ſeq.* atque itidem in *Nechonia filio Kana, eod. T. pag.* 908. *num.* 4. necnon T. III. in *R. Nehumia* pag. 824. & iterum in *Nechonia filio Kana pag.* 825.

libri de rebus ſuis non perfunctoriè agit, uſus ea excuſatione, ne periret earum memoria, quæ pro defenſione honoris ſui, ſemperque ab adverſariis provocatus, atque ideo nunquam non feliciter geſſiſſet. Opus integrum in fine cuiuſque libri cùm hiſtoriam generaliter, tum *La bienandanza y fortunas* in ſpecie vocat (1). In bibliotheca Olivarienſi fuere tomus 1. & 2. huius hiſtoriæ : nunc, ut credimus, in Marchionis del Carpio (2). Necnon & ſcripſiſſe dicitur *Hiſtoria de los Condes de Viſcaya*, quam aliquam maioris iam laudati operis portionem exiſtimamus.

796. Uſque ad hæc tempora ſacri belli Granatenſis à catholicis & victoriosiſſimis Regibus noſtris feliciter continuati produxiſſe vitam creditur ALPHONSUS DE PALENTIA, ſeu PALENTINUS (dubium an domo ex hac urbe Caſtellæ veteris nobiliſſima), natus anno huius ſæculi XXXIII. De qua eius origine fidem facit nota quædam ab eo ſubiecta grammatico ſtatim laudando *De ſynonymis* operi, hæc ſcilicet: *Anno Dom. MCDLXXII. quo quidem anno ipſe auctor duodecimo Calendas Auguſti quadrageſimum nonum ſuæ ætatis annum complevit.* Septemdecim verò annis natus in familia Burgenſis antiſtitis Alphonſi à Carthagena cenſebatur : quod idem diſertè monet in MSS. commentariis Latinis *De rebus Henrici Regis IV.* lib. 1. cap. 3. Grammaticæ igitur profeſſioni adiunxit hiſtoriam ; atque in hoc ævum incidens quo de Henrici IV. Caſtellæ Regis ſucceſſione inter Ioannam in matrimonio eius cum Ioanna Regina Portugalliæ Infante natam, atque Eliſabetham ſororem, quæ legitimæ prolis orbo Regi iure Hiſpano ſuccedebat, pernicioſiſſimis totius regni factionibus, vivo etiam & vidente Henrico, decertabatur, Eliſabethæ ſaniori parti adhærens, de rebus Henrici elucubratus fuit : neſcio an omnino ingenuè, aut potiùs (quod moris eſt iis qui obnoxio animo in literas geſta quæque referunt, ſive de rebus ſive etiam de hominibus per quæ res agerentur, indicandum fuit) partibus

omnia deſervire faciens. Cui eius hiſtoriæ iccircò contraria eſt alia Didaci Henrici à Caſtello, eadem quantumvis tempora & res complexa, ad guſtum tamen Henricianorum & Ioannæ, utpote ab eiuſdem Henrici Regis capellano formata : de quo homine ſtatim agendum nobis eſt, cùm de Alphonſi Palentini hoc & aliis operibus mentio facta ſit. Nempe is ſcripſit, uti iam diximus,

797. *Coronica del Rey D. Henrique quarto. Primera y ſegunda parte.* Quæ lucem hactenus typorum non vidit, per manus eorum in ſchedis ambulans, quorum ſtudium eſt, ut hiſtorica iſta rerum olim geſtarum ab æqualibus erecta, & poſteritati ſacra monumenta permaneant. Ms. tum alibi, tum Matriti eſt in Villumbroſana bibliotheca horum ditiſſima, de qua ſtatim dicemus. Nec eo contentus, generalem ſui temporis aliam, ſed Latinam, formavit hiſtoriam, cuius primam partem *Annales Hiſpaniæ ſui temporis*, ſive *Hiſtoriæ Regis Henrici IV. primam decadem*, inſcriptam Excellentiſſima Marchioniſſa de Montalegre, D. Petri Guzmani Senatus Caſtellæ præſidis Comitiſque Villumbroſani vidua, magni mariti lectiſſima curioſiſque literis bene imbuta coniux, in ſupellectili libraria ditiſſima, cuius mentio ſæpiùs facienda occurret, Matriti habet. Sed continuâſſe hunc eundem Hiſtoricum eoſdem annales per totam Henrici vitam; immo & Ferdinandi & Eliſabethæ ſucceſſorum Henrici, uſque ad Bazæ urbis in Granatæ regno expugnationem res geſtas cœptæ iam telæ pertexuiſſe, Garibaius libro 18. cap. 1. ſui *Compendii* teſtatur. Necnon & Marinæus Siculus initio libri 20. *De Hiſp. rebus* hunc recenſuit inter eos qui de Granatenſi bello commentati ſunt.

798. Certè huius Latini commentarii Annalium meminit *Elogium Alvari de Luna* Caſtellæ Comeſtabilis, quod cum aliis aliorum *Hiſtoriæ Ioannis II. Regis* ſubiicitur Laurentio Galindo Carvaxalio auctore, ſive ampliatore : quo loco de matre Al-

(1) Exſtat in Bibliotheca Eſcurialenſi *Digramm.* &, *Plut. II. n.* 12. (T. II. p. 214.) hoc titulo : *De las bienandanzas y fortunas* : cui in veteri noſtra eius codicis recenſione hæc ſubdidimus : *Seu de nobilibus Hiſpaniæ familiis, præcipue eius Locorum tractûs quo Provinciæ Viſcayæ, Guipuſcoæ, Alavæ, atque Aſturum continentur ; deque mutuis inter eas prœliis atque internecionibus & eorum cauſis; necnon de rebus ad Auctorem pertinentibus : qui quo tempore librum conſcripſit domi ſuæ, dictæ* DE SAN MARTIN *in libera cuſtodia detinebatur... Pars* (operis) *poſterior ſeu ſeptem libri à XIX. uſque ad XXV. quos Auctor de hoc argumento ſcripſiſſe dicitur, cum prologo ſeu nuncupatoria Epiſtola ad Nobilem quemdam* SARMENTUM, ET STUNICAM : *de cuius item familia ac ſtemmate copioſe ibidem agitur.*

(2) In Bibliotheca Comitis olim Ducis Olivarienſis *T. I. Lit. L. Caſtellano MS.* pag. 206. nihil reperi niſi : *Linages de Eſpaña, y otras partes*, quod huc non pertinet ; neque in Indice materiarum, verbo *Linages*, *T. II. p.* 227. ad quem locum catalogi Auctor lectores manuduxit.

Alvari ad ea se refert, quæ cùm Ferdinandus Perezius Guzmanus, tum eo luculentiùs Alphonsus Palentinus in *Chronico sui temporis*, Latinè scriptum reliquerat. Cuius elogii meminit Palentini hoc opus, quod nec se vidisse, nec ab alio citatum inveniisse, laudaturus ait Ioannes Vasæus *Hispaniæ Chronici* cap. 4.

799. Indigitavit planè hoc Annalium Latinum opus *Gesta Hispanienſia ex annalibus ſuorum dierum*, decadibus quibusdam divisum. In præfatione 1. decadis ait: *Magna cum voluptate qui retuli iam dudum antiquitatem Hiſpanæ gentis* (ad aliud opus à se confectum certè respicit, de quo infrà): *cogor nuper ſcribere quæ calamus horret; nîl mirumque, ſi ſtilus præ fæditate rerum decidat, atque obſcuretur mens, cùm nîl clarum offeratur; ſed diu anceps fuerim inter alterutrum, vel omittendi vel adeundi præſentis hiſtoriæ conſiderationem* &c. Recordatur ipse auctor conceptæ iam à se huius historiæ in *Dictionarii*, de quo paulò pòst loquemur, fine, ubi mentionem operum suorum habet: *Solicitatur demum haud lentè animus, non ſolùm ad continuationem Annalium belli Granatenſis, quod poſt decades tres noſtræ tempeſtatis ſcribendum accepi; ſed ea omnia reſumere priſcorum principum geſta qui eximiè in recuperatione partis maximæ Hiſpaniæ à Mauris occupatæ prævaluerunt; & ab obſcuritate vulgari hæc omnia in lucem Latini ſermonis traducere, ſi obſtamenta ſenectutis meæ impedimento non eſſent.*

800. Decades quatuor sunt, tres priores integræ, quarta ad librum 34. tantùm pervenit; exstantque in bibliotheca MS. regia Escorialensi: tres quidem priores elegantissimè descriptæ, quarta autem quibusdam locis deleta, & addita à manu forsan ipsius auctoris (1). Tres habuit Matriti D. Alphonsus Siliceus, selectissimæ possessor bibliothecæ, unde nos exemplar quo utimur exscribi curavimus. Habet & D. Ioannes Lucas Cortesius in ditissima supellectili sua libraria. Primam verò Marchio Mondexarensis, alias fortè alii; sed dimidiatæ & imperfectæ, quatuórve aut quinque libris constantis quartæ decadis in qua res Catholicorum Regum ac de bello adversus Granatenses Reges Mauros ab iis gesto tractaturus fuit, reliquias inter Escorialenses adhuc latere libros fama est, nec foras unquam communicatas fuisse. Nec dissimulandum est, me alicubi legisse integram & absolutam tributam decadem, hoc est decem libros huic parti in bibliotheca ista relictæ; quæque, uti & pars aliqua decadis tertiæ ad Catholicorum Regum historiam pertinet.

801. Dignissimum lectu, & manibus omnium nostrum, oculisque versari & contrectari fœdissimorum temporum commentarium planè elegans; ut emicaret magis portio ultima, de qua nuper locuti sumus, Ferdinandi & Elisabethæ res continens; laborantisque ambitione procerum, & inertiâ Regum, & quasi naturalium huic tempori omnis generis vitiorum Hispaniæ in aliud felicissimum & iustissimum restauratio, ad utriusque status longè habenda horribilia mala, & appetenda procurandaque Reipublicæ bona, veluti pædagogum ac ducem experientissimum præstaret sese omnibus nobis, qui rerum vicissitudines, & data huiusce rei exempla, quàm philosophorum ac theologorum monita, ipsiusque rationis & naturæ regulas intentiùs contemplari, procliviusque suevimus consequi. Vereor tamen ne alio ex capite, & quarundam splendidarum hodie familiarum respectu, de quarum origine aut hominibus tacenda ibi dicuntur, calamo tantùm exaratum paucarumque bibliothecarum angulis, tamquam insulæ vinculo, incluſum, veluti fato quodam Scriptorum veritati litantium, silentii & obscuritatis damnationem sortiatur. Præter hæc Hispanâ linguâ historicum aliud opus composuit

802. *De la hiſtoria de Eſpaña*, ab exordio rerum sumto initio, nostræ gentis origines & bella cum exteris nationibus gesta, usque ad tempus illud, quo sive Romanorum, sive Arabum Maurorum iuga subiit, accuratè & cum iudicio pertractans. Meminit ipse in iam laudato *Dictionario Latino-Hiſpanico*, de quo infrà. *Decem namque libris antiquitatem Hiſpanæ gentis enarraveram eo animo, ut decem aliis imperium Romanorum in Hiſpania, & Gothorum deinde ferociam, uſque ad Arabicam rabiem explicarem.* Cuius historiæ hoc secundum volumen, quod Pœnorum, & Romanorum res apud nos gestas prosequitur, Matriti habet D. Ioannes Lucas Cortesius. Inter historica hæc pensa, Grammaticis ut gratam rem fa-

(1) In Bibliotheca Escurialensi hodie Alfonsi Palentini tantum exstat: *La ſegunda parte de la Chronica del Rey Don Henrique Quarto de Caſtilla*, incipiens ab anno regni eius XV. Christi MCCCCLXVIII. (nisi sub *Chronici*, aut *Anonymi* titulo quid lateat) *Lit. X. Plut. II. n.* 16. (T. II. p. 423.)

faceret, ante quàm Antonius Nebrissensis ab Italis rediens mercatum hunc faustioribus avibus instituisset, dedit foras, anno huius, quod persequimur, sæculi secundo & septuagesimo, biennio scilicet ante Henrici Regis obitum.

803. *De ſynonymis tres libros* ad Alphonsum de Fonseca & Azevedo Compostellanum præsulem, alterum ex tribus, qui huic Ecclesiæ præfuerunt, eiusdem nominis & familiæ: qui libri editi sunt absque nota loci aut temporis in folio. Necnon iussu Reginæ catholicæ

804. *El univerſal vocabulario en Latin y Romance*, anno MCDXC. etiam in folio editum Hispali apud Paulum de Colonia & socios, cum hoc titulo: *Univerſale compendium vocabulorum ex lingua Latina eleganter collectorum, cum vulgari expoſitione.* Vastum opus, & quod vix in aliqua parte cedere debeat subsequenti eiusdem propositi magni illius Antonii Nebrissensis, idque ut dicto audiret selectissimæ heroinæ sui sæculi Elisabethæ principi. Vertit quoque è Latino in Hispanum idioma

805. *Los libros de Flavio Joſefo de las guerras de los Judios con los Romanos, y contra Appion Gramatico.* Hispali MCDXCI. in folio (1).

806. *Las vidas de Plutarco.* duobus tomis: quibus adiuncta est *la vida de Carlo Magno, de Donato Acciaiolo.* Hispali prodiere ex officina Pauli de Colonia MDVIII. fol (2). Quod opus D. Roderico Petro Pontio de Leon Gaditano Duci nuncupatum fuit. Quarum vitarum aliquas ex Ioannis de Castro Salinas altera interpretatione recentiore habemus Antuerpiæ anno MDLXII. publicatas

Item ex Italica lingua in vernaculam

807. *El eſpejo de la Cruz.* Nescio è cuius fonte. Quam interpretationem se confeciſſe ait in eius fine rogatum à Ludovico de Medina centurione Hispalensis urbis, Thesaurarioque domus monetariæ rei; sumtibusque Fr. Ioannis Melgarejo cœnobii S. Isidori de Campo, ut vocant, prope Hispalim, ordinis Hieronymianorum præfecti: qui librum Italicum ex Italia primus in Hispaniam invexerat. Prodiit Hispali ex officina Antonii Martinez de la Talla MCDLXXXV. in 4.° In Ecclesiæ cathedralis Toletanæ bibliotheca loculo 17. num. 27. MS. exstat. Habemus quoque eiusdem

808. *Alphonſi Palentini De perfectione triumphi militaris*, minori, ut loquuntur, forma: hoc est, ut credimus, in 4.° qui quidem liber etiam MS. in regia bibliotheca Escorialensi asservatur, D. Alphonso Carrillo Archiep. Toletano dicatus, ab eo autem ipso auctore conversus in sermonem vulgarem, Ferdinandoque Guzmano Militiæ Calatravæ Commendatario, seu Præceptori maiori, nuncupatus. Prodiit in 4.° sine loci mentione. Affixa tamen ad calcem nota prodit scriptum fuisse opus *De la perfeccion del triunfo militar* anno MCDLIX. Hanc & superiorem versionem in bibliotheca vidimus D. Ioannis Lucæ Cortesii (3).

809. Meminit aliorum à se scriptorum operum ipse auctor in fine *Dictionarii*, quorum hæc series, eiusmet verbis explicata: *Bellum luporum cum canibus morali ſub figmento deſcripſi. Vitam beatiſſimi Ildephonſi Archipræſulis Toletani ad evidentem notitiam exempli accuratioris explicui. Sufficienter etiam Canariorum in inſulis Fortunatis habitantium mores atque ſuperſtitiones profectò mirabiles enarravi. De vera ſufficientia ducum atque legatorum, & de obliteratis mutatiſque nominibus provinciarum fluminumque Hiſpaniæ breviter mentionem feci. Quid nihilominus ſentirem de adulatoriis ſalutationibus, laudationumque epithetis, opinione, non ratione uſitatis, explicui* &c (4).

810. Ignoratur sanè mortis Alphonsi tem-

(1) Penes me. Libri quidem *de Bello Iudaico* MCCCCXCI. *Contra Appionem* MCCCCXCII. per Meynardum Hungut, & Lançalaum Polonum.

(2) Exstant etiam penes me & Lexicon, & Plutarchi παράλληλα cum *Caroli M.* vita; necnon cum Ruffi ad Valentinianum Epistola: *De Regia & Conſulari, atque Imperiali dignitate*, per eundem Alfonsum Palentinum è Latino in Hispanum sermonem conversa; non tamen anno ut Nostet ait MDVIII. sed MCCCCXCI. Hispali edita. En postremam II. Tomi clausulam: *Fueron impreſſas* (las Vidas) *por Paulo de Colonia: & Joannes de Nurenberg & Magno & Thomas Alemanes en Sevilla: & ſe acabaron de imprimir à dos dias del mes de Julio. de. MCCCCXCI. años.*

(3) Exstat in Bibliotheca Escurialensi *Lit. s. Plut. III. ſub n.* 14. (T. II. p. 596.) in membranaceo codice elegantissimo multiplicique ornatu vario formâ octava, simul cum *Nicolai Sagundini* Strategico Onosandri. In huius operis fronte Regium Aragoniæ Domûs; in illius, Carrilliæ gentis stemma perita artificis manu depictum visitur.

(4) Exstat in eadem Regia Bibliotheca *Lit. f. Plut. II. n.* 11. (T. I. p. 487.) Alfonsi Lexicon Latino-Hispanicum à lit. O. ad finem Alphabeti; & absoluto iam opere Eiusdem Epistola seu narratio Latino item Hispanica, in qua scriptorum ipsius catalogus, & eorum quæ ulterius scribere meditabatur mentio, non secus atque in exemplis editis: quam propterea cum iisdem conferendam sistere hoc loco placuit. Scripsisse autem dicit:

„*Antiquitates Hiſpanæ gentis, Libris X.*
„*Synonymorum libros X.*

Bel-

tempus ; ex eo tamen quòd Marinæus Siculus, dum adhuc viveret Regina Elisabetha (quæ quidem anno sequentis sæculi quarto obiit) in literas quicquam redigens de Alphonso, uti iam fato functo, *claruisse eum literis*, nisi fallor, dixerit: colligimus rectè, vivâ adhuc clarissimâ Regina cessisse eundem vitâ.

811. Ioannis atque Henrici Regum ætate florere doctrinæ laude cœperat, qui Ferdinandi atque Elisabethæ catholicorum præcipuè nobilitavit ævum, ALPHONSUS DIDACI (sive DIAZ) A MONTALVO, Iuris olim professor clarus, deinde eorum consiliarius, & iudex clarissimus. Maximâ is fuit rerum ex præscripto Iuris agendarum, totiusque practicæ artis peritiâ vir ; atque eo æquitatis studio, ut non ante quam vocatis coram se litigatoribus negotii rationes ac momenta perpendisset, omnemque transigendæ inter eos rei conatum frustra adhibuisset, suscipi ab adversario iudicium, aut (uti vocant) contestari litem, pateretur. Quod ex fide, ut suspicor, eiusdem Montalvi nonnusquam de se id affirmantis, Antonius Quesada iurisconsultus tradit *Iuris quæstionum* tricesimo capite. Horatianam nempe illam viri boni appellationem æmulatus fuit, cui poetæ talis est :

Quo multæ magnæque secantur iudice lites.

812. Explanando atque illustrando hic nostro Iuri maximè incubuit : cuius rei testimonium perhibent Hispanæ ferè omnes Leges, sive Legum compilationes ab eo explicatæ, & glossis seu interpretationibus luculentiores redditæ, ac veluti ornatiores & iustiores demonstratæ. Nimirum post Vincentii Arii antiquiorem operam de quo suo loco diximus,

813. *El fuero Real de España glossado* &c. Credimus hoc opus editum Salmanticæ anno MD. ac Medinæ MDXLIV. in folio, & Salmanticæ iterum apud Ioan. Bap. Terranovam MDLXIX. in folio. Hæc est collectio Hispanicarum Legum omnium (si demas Gothorum constitutiones, quas *Forus* continet *iudicum*) antiquissima, vulgari sermone promulgatarum ab Alphonso Rege Castellæ Legionisque, huius nominis ultimo. Inserta huic commentario Alphonsus voluit opuscula, sive tractatus duos à se olim elucubratos. Prior est *circa perduellionis cuiusdam Daciæ Comitis pœnam*, Ioannis II. Regis iussu scriptus, quem auctor titulo 4. libri 1. *Fori* huius adiunxit. Posterior est *De Iudæis ad Fidem conversis, ad officia publica Ecclesiæque honores admittendis*. Quæ Toleti quæstio per eos dies ventilata fuit, eiusdem Regis præcepto editus, & commentariis Legis secundæ tituli tertii libri 4. insertus. Persuasum enim nobis est Alphonsum sub Rege Ioanne hoc opus compilâsse, regioque consiliario Ferdinando Didaci primùm exhibuisse, diuque postea in multis auctiora commentaria iterum, hoc est sub Catholicis Regibus (quod apparet è prologo his præfixo) edidisse ; nec tamen quicquam ex his mutâsse, quæ olim inibi legebantur : unde factum, ut Ioannis II. Regis mentio, veluti tunc adhuc viventis permaneret. At insumtam hoc in libro operam alia secuta fuit iis, quæ inde ab aliis Regibus promanaverunt sanctionibus, æquè utiliter addita, in commentario illo, qui præfert hanc inscriptionem :

814. *Secunda compilatio Legum & ordinationum Regni Castellæ, quæ à Regibus Hispaniæ in generalibus curiis conditæ & promulgatæ fuerunt, usque ad serenissimum Regem Ferdinandum, & sereniſſimam Reginam Elisabetham laboriosè & utiliter compilatæ, & abbreviatæ, ac de idiomate* (ita vocat vernaculam linguam) *in Latinum translatæ*. Quæ Hispali anno MCDXCVI. prodiit. Nimirum index est alphabeticus verborum Iuris, adiunctâ singulis verbis Regiâ quæ exstabat circa rem, constitutione, unà cum glossis & additionibus ex utroque Iure. Septem-partitum quoque Ius nolens intactum sinere, ante Gregorium Lopezium id publicavit primus, & glossam addidit : quod opus ita inscriptum typi dedere :

815. *Las siete Partidas del sabio Rey Don Alonso el Nono, por las quales son dirimidas las questiones y pleytos que en España ocurren, sabiamente sacadas de las leyes ca-*

, *Bellum luporum cum canibus sive* Λυκοκυνομάχιαν. *Allegoria.*

, *Perfectionem militaris triumphi.*

, *Vitam Beatissimi Ildefonsi Archiepiscopi Toletani.*

, *Mores & ritus idololatricos incolarum Insularum Fortunatarum quas Canarias appellant.*

, *De vera sufficientia Ducum atque Legatorum; & De obliteratis mutatisque nominibus provinciarum fluminumque Hispaniæ.*

, *De adulatoriis salutationibus laudationumque epithetis ex lubidine potius quam ex consilio in epistolari præsertim officio usitatis.*

, *Decades tres de bello Maurico Granatensi. Incertum an eas absolverit.*

Quæ ulterius scribere moliebatur in hoc codice inquirenda ; ea enim in eius recensione ad annum 1763. describere piguit : de quo nunc doleo ; exaratus autem dicitur anno MCCCCLXXXVIII. & completus die XI. Februarii.

nonicas y civiles, con la glossa del insigne doctor Alonso Diaz de Montalvo, e con las adiciones, emiendas, e decisiones, que por los Reyes succesores fueron hechas, nuevamente sobre todos los exemplares hasta agora publicados, corregidas y ordenadas. Ita habet Lugdunensis Galliæ editio anni MDL. in folio regali, ex typographia Mathiæ Bonhomme. Hæc secuta est Complutensem MDXLII. quâ antiquior fuit alia Veneta MDXXVIII. apud Lucam Antonium de Iunta Florentinum, correctione doctoris Francisci de Velasco præcedente : & utramque Hispana præcesserat, princeps forsan, Burgensis anni MDXVIII.

816. *Alphonsum* hic se appellat *Didaci de Montalvo, indignum doctorem, Regum catholicorum* (Ferdinandi Elisabethæque) *suorumque progenitorum antiquiorem, & minimum consiliarium, & Auditorem.* Refertque in grandæva admodum ætate iam constitutum se esse. Unde palam fit non catholicis tantùm Regibus, sed (uti diximus) Henrico & Ioanni eorum decessoribus à consiliis, hoc est, à munere iuris pro iis dicendi fuisse. Publicâsse autem hoc suum opus innuit post Granatensis belli laborem exantlatum (1).

817. Meminit quoque ibi doctoris HIERONYMI CUCALON, & FRANCISCI A VELASCO, quos ait *primam* ex *septem Partitis*, sive, quod idem est, partibus, expurgâsse à mendis, puritatique ac nitori suo restituisse. Cuius quidem Velasci (ut se vocat) Burgasii (pro *Burgensi* fortè) *Compendium* seu *Summarium titulorum & legum* ad calcem totius operis exstat. Unde forsan in novioribus *Partitarum* editionibus titulorum ac legum inscriptiones, sive summaria quæ hodie legimus iis præfixa, mutuavit aliquis. *Partitarum* verò harum auctoritas à quo venerit, Montalvus ipse ostendit in Commentarii fine : *Cuius sacratissimæ Leges* (ait) *à Christianissimis Regibus Ferdinando & Elisabetha iubentur, ut iacent, ad unguem inviolabiliter observari, reservatâ suæ regali Maiestati earum Legum interpretatione.*

818. Editas igitur eo fine tunc temporis fuisse dicas, ut in posterum observarentur ; nec nos contrà dicimus, si adiungamus, non tunc primùm auctoritatem iis *Partitis* datam, quas omni dubio procul Alphonsus huius nominis ultimus anno MCCCLXXXVI. Compluti manens, quadam promulgata sanctione, quamvis usque ad id tempus hac auctoritate carentes, (quod in lege 1. *Tauri* legimus) pro legibus suis haberi voluit.

819. Sed iuris Hispani origines dabit peculiari opusculo huic operi, si per eum non steterit, inserendo, eruditus æque atque amicus noster civisque D. Ioannes Lucas Cortesius, regius criminum vindicandorum olim iudex in curia Matritensi, nunc iam Indicarum rerum consilii senator optimus. At Lugdunensis ea, quam vidimus, editio quædam adiunxit, non è Montalvi penu, *Leges* scilicet appendicis loco quibusdam adiectas titulis, è nova illa collectione *Taurinarum Legum* à Ioanna & Carolo filio post Alphonsi Montalvi obitum promulgatarum.

820. Compilatorem sive formatorem eundem Montalvum fuisse alterius operis, *Ordenamiento real* nuncupati, affirmat in huius Commentario Didacus Perezius ad leg. 2. tit. 28. lib. 2. his verbis : *Virum mihi* (ait) *sanè literatissimum, & veritatis plenum, in suis commentariis Fori & Partitarum, qui etiam fuit compilator istius libri* Ordinamentorum ; *ideoque maxima in æstimatione, veneratione, & pretio sunt eius dicta à quocumque tenenda.* Hæc ille. Has etiam *Ordinamenti* leges, quas in syllogen istam redegerat, & glossis exposuerat, elencho exornavit ; nam & eius exstat cum eodem *Ordinamento*, & ad id *glossis & additionibus*.

821. *Repertorium super easdem leges* Hispali primùm operâ Meynardi Hungut & Stanislai Poloni anno MCDXCVI. in fol. deinde Salmanticæ editum MDXLIX. in folio (2).

CA-

(1) In Bibliotheca Escurialensi *Lit. Z. Plut. II. n.* 3. (T. II. p. 311.) habetur : *El Ordenamiento Real, ó Copilacion de las Leyes que mandaron fazer e acopilar los mui altos y poderosos principes Don Fernando y Doña Isabel nuestros Señores en ocho libros*, quorum præmittitur index. In notis autem nostris Escurialensibus hoc additur : *Codex chartaceus maiore forma, XI. Novembris in urbe Optensi* (Huete) *anno MCCCCLXXXIV. ut in eiusdem fine legitur, scriptus : cui hæc recentiore manu subduntur : En el año de* 1567. *hallô Don Bernardino de Cardenas Alcalae maior de los Hijosdalgo de Castilla y Leon este libro : hallandose preso en los Alcazares de la Ciudad de Segovia en el dicho año.*

(2) ADDENDI CIRCA ANNUM MCCCCXC. *Andreas Limòs* Presbyter Valentinus ad annum MCCCCLXXXVIII. scripsit : *Opus dubiorum indissolubilium* editum eodem anno in 4°. absque Typographi & Loci notatione : teste Taxandro *Catal. Scriptor.* pag. 22. apud Ximenum *Biblioth. Val. T. I. pag.* 55... ITEM *Elisabetha de Villena* (aliàs *Elionora Manuel de Villena*) Valentina, Sanctimonialis virgo in patriæ urbis Parthenio Sanctissimæ Trinitatis Ordinis Minorum Lemosino sermone scripsit : *Vitam Christi* paulo ante annum MCCCCXC. in quo obiisse dicitur : Valentiæ postea editam à Lupo de la Roca Germano MCCCCXCVII. fol. Item: *Librum Concionum* Ximen. *Biblioth. Val. T. I. p.* 56.

Huic

CAPUT XV.

FERDINANDUS MEXIA Nobiliarii *auctor. Fortè idem cum* FERDINANDO ARIA MEXIA. FRANCISCUS DE LEONE *historiographus.* BERNARDUS FENOLLAR *Valentinus.* IOANNES LOPEZ *Segovienſis.* VINCENTIUS DE BURGOS. IULIANUS *Toletanus medicus.* MICHAEL PEREZ *Valentinus.* PETRUS XIMENEZ DE PREXANO, *ſive* PREXAMO. *Munera ab ipſo obita. Eius ſcripta.* HIERONYMUS TORRELLAS *Valentinus.* ALPHONSUS CAMARA *Conchenſis.* VASCUS DE GAMA *Luſitanus.* IOANNES ARIAS DE AVILA *Segovienſis.* HIERONYMUS PAULUS. IULIANUS GUTIERRES *Toletanus, medicus.* F. THOMAS DE TORQUEMADA *Dominicanus. Eius res geſtæ.* IOANNES DE CAPUA. GAUBERTUS FABRICIUS DE VAGAD *Ciſtercienſis. Eius Chronicon quo apud Eruditos loco habetur.* ALPHONSUS ALVARES DE VILLASANDINO *poeta.* ANGELUS ESTANYOL *Barcinonenſis, ordinis Prædicatorum.* FERDINANDUS VASURTO. GEORGIUS MANRIQUIUS, & GOMEZIUS MANRIQUIUS.

Hic illius patruus.

822. HUIUS temporis eſt FERDINANDUS MEXIA, urbis Giennenſis in Bætica decurio, auctor cuiuſdam operis genealogici, quod vocavit *Nobiliario vero*, Hiſpali editum anno MCDXCII. folio, apud Petrum Brum & Ioannem Gentilem. Unde multa de nobilium conditione, ſtatuque, & muneribus, ac nobilitatis originibus, armorumque, & inſignium geſtamine & uſu iuxta mores noſtros hauriri poſſunt. Neſcio tamen an diverſus idèmve ſit FERDINANDUS ARIAS MEXIA, quem è libro eius *De la genealogia de España* laudavit Alexius Vanegas Toletanus in libro ſuo *De la agonia de la muerte*, puncto 6. pag. 320. Ait de genere materno ſuo, lib. 2. cap. 15. Rodericum de Narvaez, celeberrimum illum temporis ſui Antiquariæ urbis præfectum, avi ſui fratrem fuiſſe.

823. Alphonſo de Cardenas magno Magiſtro militaris ordinis S. Iacobi, qui hac florebat ætate, dicatam eiuſdem ordinis hiſtoriam à FRANCISCO DE LEONE, qui ſe vocat Commendatarium, laudatam invenio à D. Ioſepho Pellizerio regio chronographo in *Informatione domus de Sarmiento* fol. 13.

824. Anno MCDXCIII. in 4.° Valentiæ editum vidimus à Iacobo de Vila poematium vulgaris linguæ iſtius regni, auctore BERNARDO FENOLLAR preſbytero, cuius inſcriptio hæc: *Iſtoria de la Paſſiò de*

Huic doctrina & ſanctitate inclytæ feminæ, nataliumque ab utraque ſtirpe ſplendore clariſſimæ, tum *Michael Perez*, & *Bernardus Fenollár* (de quibus Noſter cap. ſequenti) tum *Iacobus* ipſe *Perezius de Valentia* Epiſcopus Chriſtopolitanus paulo ante laudatus, non erubuêre lucubrationes ſuas conſecrare... ITEM *Ioannes Roiz de Corella* Valentinus Eques & Sacræ Theologiæ Magiſter circa annum MCCCCXC. patrio Sermone ſcripſit: *Tractát de la Concepciò de la Sacratiſſima Verge Maria Mare de Déu.* Editum in 4°. ſed abſque Typographi, Loci, atque anni notatione... *Contemplaciò à la Sacratiſſima Verge Maria tenint ſon fill En Ieſus en la falda devallát de la Creu.* Valentiæ MCCCCXCIII. apud Iacobum Vila 4°... Vertit quoque è Latino in patrium ſermonem *Vitam Chriſti* Ludolpho Cartuſiano auctore, quatuor ſpiſſis voluminibus in folio, in quorum prioris fine legitur: *Stampat en la inſigne Ciutat de Valencia: á tretze de Abril: Any de la ſalut noſtra* MCCCCLXXXXVI. In ſecundi: *Lo any Jubileu de la nativitat jocundiſſima de noſtre Senyor Déu Jeſu Chriſt Mill cinchcents.* Tertium abſque anni & Loci nota, ſed Valentiæ ut reliqua. Quartum denique in cuius extremo folio CXXX. pag. 1. legitur: *A lahór è gloria de noſtre Senyor Déu Jeſu Chriſt, è de la Sacratiſſima Verge Maria mare ſua es acabat lo preſent libre: nomenat:* Lo Quart del Cartoxà, *corregit y ſmenát per lo molt reverênt è magnifich meſtre Johan roiç de Corella: caualler è meſtre en ſacra theologia. E fonch empremptat en la molt inſigne è metropolitana ciutat de Valencia per Gorge Coſtillat à XXIIII. dies del mes de maig del any MDXIII.* ſed editum pridem fuerat VI. Novembris MCCCCXCV. fol. Valentiæ; Exſtant quatuor huius verſionis voluminа apud D. Ioannem Antonium Mayanſium Cl. Gregorii germanum fratrem, Canonicum Valentinum, amicum in paucis noſtrum, qui eadem mihi benigne communicavit. In fine autem prioris omnium habetur eximium opuſculum metricum trimetrum ogdoaſtichum patrio item ſermone, hoc titulo: *La vida de la Sacratiſſima Verge Maria mare de Déu Senyora noſtra en cobles de rims ſtrambs.* Incipit:

Ans que de cêls: girant moguês la roda
Y de la mar: aguês formât lo terme
Dêu inſinſt en l' etêrn conſiſtôri
Vos elegî: perque li fôſſeu mare;
Perçous guardâ: nous venguês al encôntre
Lo Sathanâs: posânt en vos lamprempta
Del primer crim &c.

Ximenus XXVI. præterea opuſcula alia eidem adſcribit apud eum videnda *Biblioth. Val T. I. p.* 63. Exſtant Valentiæ in Bibliotheca Mayanſiana... ITEM *Iacobus Gazâll* Eques Valentinus auctor operis metrici patrio ſermone inſcripti: *Lo ſomni de Ioán Ioán*, Valentiæ MCCCCXCVII. editi per Lupum de la Roca Germanum 4°. alteriuſque item metrici, cui titulus: *La brama dels lauradors del Orta de Valencia contra lo Venerable Moſen Bernat Fenollár Prevêre*, ad expungenda è patrio Lemovicenſium ſermone exterarum quæ in eum irrepſerant gentium vocabula, Valentiæ apud Ioannem de Arcos MDLXI. 8°... ITEM *Ioannes Roig* Presbyter Valentinus, cuius in Bibliotheca Eccleſiæ Valentinæ habetur Latinum opus inſcriptum: *De Patre non incarnato* Valentiæ editum MCCCCXCIV. 4°... ITEM *Frater Valerus* è Prædicatorum Inſtituto, quem Quetifus & Fabricius *Aragonum* cognominant; Ximenus autem *Biblioth. Val in eo* Valentinum, & cœnobii Oppidi Sancti Matthæi, eiuſdem Regni, alumnum fuiſſe contendit, circa annum MCCCCXC. *Concionum voluminis* auctor ab iiſdem per-

de noſtre ſenyor Ieſu Chriſt, ab algunes altres piadoſes contemplacions, ſeguint lo Euangeliſte ſant Iohan: parlant per aquell Pere Martinez, & per tots los altres Moſſen Bernat Fenollar. Dicatum opus Eliſabethæ de Villena, monaſterii Sanctæ Trinitatis in Valentina eadem urbe Abbatiſſæ. Servat Matriti D. Hippolytus Samper ſacerdos ordinis S. Mariæ de Monteſa, & rector domûs Hoſpitalis Coronæ Aragoniæ (1).

825. IOANNES LOPEZ Segovienſis, à Salmantinis præceptoribus acceptâ iuris utriuſque diſciplinâ, deinde in huius urbis gymnaſio præceptor & ipſe claruit. Porro Canonicum Decanumque Segovienſem anno MCDLXXVIII. iam creatum, Synodus per eos dies à Ioanne Aria Davila, huius civitatis præſule habita, cui quidem is interfuit, in literas relata prodit. Eum exinde novercali faſtidio tumens patria longè à ſe Romam uſque expulit. Quò vindicandi honoris parum ex decoro apud ſuos tractati cauſâ profectus, variiſque eo etiam loci ærumnis, necnon & caſtri S. Angeli carcere aliquot menſium vexatus: liber tandem Eccleſiæ urbis Senarum, pro Francisco Picolominæo antiſtite, eodemque S. R. E. Cardinali, Pontificeque ſub Pii III. nomine nonnunquam creando, vicarium, turbatiſſimis Italiæ atque huiuſce urbis ſub Caroli VIII. Galliarum Regis Italicam expeditionem temporibus, integrè geſſit.

826. Eius quidem vel hodie ſuperſtites libri auctoris ſui commendationem, *Biblioth. vet. Hiſp.* Tom. II.

perhibetur; necnon Dominicanus alter *Clemens Ferrarius;* itemque alius *Ioannes Marques* Pactenſis in Sicilia Epiſcopus non ita pridem à nobis in *Ioanne Andrea Ex-Mauro* laudatus: de quibus videndus Ximenus *Biblioth. Val.* Balthaſar Sorió, *De vir. illuſt. Prov. Arag. Ord. Præd.* Diagus *Hiſt. Prov. Arag...* ITEM *Narciſſus Vinyôles* itidem Valentinus, qui ſub idem tempus ſcripſiſſe patrio ſermone dicitur: *Obra commendant y lloant les cobles fetes per En Ioan Moreno en favor dels vélls:* editam à Ioanne de Arcos Valentiæ MDLXI. 8°. atque Hiſpanicè: *Traduccion de Latin y Toſcano en Caſtellano del Suplemento de todas las Chronicas del mundo de Fray Felipe, llamado el Bergomenſe.* Valentiæ editam apud Georgium Coſtilla XI. Sept. MDX. Ximen. *Bibliot. Val. pag.* 61. *in eo...* ITEM *Didacus Guillelmi*, (Guillên) Hiſpanus, interpres è Latino in patrium ſermonem Libri *De potentia, & Sapientia Dei* Mercurio Triſmegiſtro attributi, & à Marſilio Ficino è Græco in Latinum converſi. Exſtat verſio in Eſcurialenſi codice *Lit. b. Plut. IV. n.* 29. (T. I. p. 249.) in cuius fine legitur: *Fenece el libro de Mercurio Triſmegiſto trasladado de Griego en Latin por Marſillo facino florentin en el año de Mill & quatrocientos & ſetenta & tres años en el mes de Abril. Et del Latin buelto en el Romance Caſtellano por Diego Guillên familiar* ſolidæque doctrinæ meritum ad poſteros ferunt, Tractatus nempe

De matrimonio & legitimatione.

827. *De libertate Eccleſiaſtica.* Pariſiis editus à Ioanne Petit MDXIII. in 8.° & priùs Senis cum ſequenti

828. *De confœderatione Principum, & Poteſtatum, unà cum quæſtionibus aureis, notatuque digniſſimis.* In cuius tractatus epiſtola nuncupatoria ad eundem Franciſcum Piccolominæum Cardinal. data Senis VI. Cal. Septembr. MCDXCI. *Ioannem Lupi de Segovia, & Protonotarium Sedis Apoſtolicæ* ſe appellat. Prodiit Argentinæ anno MDXI. Pariſiiſque MDXIII. in 8.° necnon

829. *De bello & bellatoribus.* Quorum duo priores inter *Doctorum tractatus* vol. 9. ac reliqui 16. circumferuntur. Eiuſdem alium

830. *De hæreſi* tractatum inſeruit ſuis in Partitarum leges commentariis Alphonſus Montalvus: nempe ad titulum 26. Partitæ 6. Cuius rei admoniti ſumus in commentario ſummi viri Didaci Covarrubiæ ad Reg. *Peccatum.* parte 2. principio, num. 7. *De regulis Iuris* in 6. Erat quidem inter libros Olivarienſis bibliothecæ, priuſquam diſcerperetur inter varios poſt Comitis Olivarum obitum, *Ioannis Lupi decani Segovienſis De hæreſi & hæreticorum reconciliatione, eorumque pertinacium damnatione* tractatus in folio (2). De ulteriore autem Ioannis vita poſt editionem horum de bellicis rebus tractatuum, quæ hac ferè tempeſtate Gallorum Regis Caroli

del Reverendiſſimo Señor Cardenal Urſino en el año de mil & quatrocientos & ochenta & cinco años en el mes de Hebrero: del qual dicho traslado original ſaquê eſte otro traslado Yo Juan de Segura Capellan del Señor Pero Nuñez de Toledo mi Señor, en el año de mil & quatrocientos & noventa è uno, en el mes de Noviembre... ITEM *Iacobus* (Moſſen Jàume) *Ferrêr de Blanes* Catalanus ſub Regibus Catholicis Ferdinando & Eliſabetha ſcripſiſſe dicitur Lemoſino ſermone: *Sentencies Catoliques del Divi Poeta Dánt* anno MDXLV. (alicubi) editas: quode D. Thomas Ant. Sanchez *Syll. Poem. Hiſp. ant. ann. MD. T. I. Proleg. pag. XXVII. ſeq.*

(1) Scripſit præterea patrio ſermone: *Obres ô Trobes les quals tracten de lahórs de la Sacratiſſima Verge Maria*, editas Valentiæ MCCCCLXXIV. 4°. nec non: *Lo Procês de les Olives, è diſputa dels Jóvens, y dels Vélls.* Valentiæ apud Lupum de la Roca Germanum MCCCCXCVII. 4°. aliaque minora apud Ximenum *T. I. Biblioth. Val. pag.* 59. videnda.

(2) Legitur hodie in eius Bibliothecæ librorum catalogo *Lit. I. MS. pag.* 197. hoc titulo: *Ioannis Lupi Decani Segovienſis: De hæreſi & hæreticorum reconciliatione; eorum pertinacium damnatione* cum Directorio Inquiſitorum Fol. III. LL. 10.

huc adventantis, nempe circa annum MCDXCIV. & sequentem in urbe ipsa Senarum facta dicitur, deque exitu vitæ, nihil dum ex libris certum, aut ævi illius aliis vestigiis deprehendimus (1). Virum laudat Didacus Colmenares in *Viris illustribus Segoviensis* suæ *urbis* ad calcem historiæ.

831. Hoc eodem anno sæculi senescentis XCIV. editam novimus Tolosæ Gallorum ab Henrico Meier in folio Hispanam versionem libri famigeratissimi Thomæ Anglici *De natura & proprietate rerum*, cui *De la naturaleza y propriedad de las cosas* inscripsit auctor VINCENTIUS DE BURGOS ordinis.....(2).

832. IULIANUS quidam Toletanus medicus, qui de curia se vocat Regis & Reginæ Hispaniæ, duo edidit his annis opera: alterum *De Regimine potûs in lapidis præservationem*, MCDXCIV. alterum *De computatione dierum criticorum* MCDXCV. Toleti è Ioannis Tellez officina emissa.

833. Legimus per eos dies prodiisse ex urbe Barcinonensi vernaculâ gentis linguâ MICHAELIS PEREZ Valentini *Deiparæ Mariæ Virginis vitam*, anno scilicet MCDXCV. Cuius Castellanam versionem Hispali editam MDXXXI. in folio à Ioanne Cromberger cum hoc titulo vidimus: *Vida y excelencias de nuestra señora, y de sus milagros* (3).

834. PETRUS XIMENEZ DE PREXANO (alii DE PREXAMO enuntiant) natus in oppido quodam huius nominis Calagurritani sacri territorii, eximius vir morum honestate, literis, prudentiaque in Salmanticensi Licæo sub Alphonso Tostato præceptore, simul & ad S. Bartholomæum collega, sacras literas didicit; idemque eas postmodum vespertinis horis S. T. Magister docuit. Ab Scholæ muneribus Ioannis Ariæ Davila Segovienſis Episcopi vicarius generalis, atque inde Toleti Canonicus magistralis (uti vocant eum qui ex providentia Apostolica concionibus ad populum habendis præest), & quidem primus ab institutione fuit; necnon in eadem Ecclesia Decanus, Complutensisque Synodi sub Alphonso Carrillo anno MCDLXXIX. ad examinandos Petri Oxomensis errores habitæ non minima pars. Certè illius in primis meminit bullato suo diplomate circa eam rem expedito Xystus Papa IV. Pacensi postea Ecclesiæ anno LXXXVII. Caurienſisque præpositus anno LXXXIX. diem suum obiit in oppido Sanctæ Crucis eiusdem diœcesis anno MCDXCV.

835. A Lucio Marinæo Siculo inter viros eius sæculi principes hoc elogium meruit: *Hoc loco Petrus Ximenius Episcopus, præstantissimus theologus, & vitâ sanctissimus commemorandus est. Hic enim & doctrina singulari & vitæ integritate maximam quidem meruit laudem. Nam cum in iuventute Salmanticæ literis laboriosissimè diligentissimèque operam dedisset, doctissimus evasit: adeò ut omnium suffragiis theologiæ professionem fuerit assecutus. Quam quidem facultatem plures annos professus, fructum uberrimum cunctis præbuit auditoribus. Postea verò suis meritis Toleti decanus electus est; deinde virtute eius magis perspectâ, & vitæ sanctitate, Pacensis Episcopus institutus. Qua dignitate etsi libenter contentus, non ultrà quærere quicquam statuerat: à Ferdinando tamen & Elisabetha, Christianissimis Hispaniæ Siciliæque principibus accersitus, Caurienſis Episcopatûs onus suscepit. Ubi ætate iam ingravescente atque ur-*

(1) Decessit Romæ MCCCCXCVI. ut liquet ex eius epitaphio ad Sanctam Mariam *del Pópolo* in brachio eius ædis dextro:

MEMORIAE. IOANNIS. LVPI. OLIM
DECANI SEGOBIEN. VTRIVSQ. IVR.
CONSVLTISS. AC APLICI. PROTHO
NOTARII. MORIB. DOCTRINAQ. SIN
GVLAR. QVI. VIX. AN. LV.
B. M. SACR

Et interposito nudo clypeo octogono, in cuius area ilex cum binis ab utroque trunci latere floribus lilii.

AN. SAL. M
CCCC. XCVI.

Ex Ephemeridibus nostris Romanis.

(2) Exstat penes me; & nec in Prologo, neque in operis *Recapitulatione*, quæ habetur in extremo libri folio pag. 1. *Thomæ Anglici* aut Instituti quod professus fuit meminit. Paginâ autem eius folii 2. legitur: *Fenece el libro de las propriedades de las cosas trasladado de latin en romance por el reuerendo padre fray vincente de burgos. Emprimido en la noble cibdad de tholosa por henrique meyer d' alemaña à honor de dios & d' nuestra Señora & al prouecho de muchos rudos & ynorantes. acabóse en el año del Señor de mil & quatrocientos & noventa quatro à diez & ocho del mes de Setiembre.* Subit autem fuisse è Minorum Instituto.

(3) Ximenus *Biblioth. Val. pag.* 52. *col.* 1. non *Vitam*, sed *Viridarium* appellat *Virginis Mariæ* & patrio sermone: *Vergér de la Vèrge* MARIA, quod Valentiæ nostræ anno MCCCCLI. & MCCCCLXIII. editum fuisse ait: in quo manifestissimus error est; cum priore anno vixdum inventa esset ars typographica, posteriore nondum Germaniæ fines egressa, certe non adhuc in Hispaniam invecta fuerit. Vertit præterea è Latino in patrium Sermonem *Thomæ* ut vulgo creditur *Kempis* librum *de Imitatione Christi* sub *Ioannis Gersonis* nomine, hoc titulo: *Explanaciò de Latt en Valenciana lengua del libre de Meſtre Ioan Gersòn Cancellèr de Paris de la Imitaciò de Ieſu Chriſt; è del menyſprêu de aquéſt mòn miſerable.* Ad Elisabetham de Villena Sanctimonialem Valentinam non ita pridem à nobis laudatam: pluraque alia metricè in Cantionariis Hispanis Hispali anno MDXL. & Antuerpiæ MDLXXIII. editis videnda.

gente senecta, non se otio, non voluptatibus, non deliciis, ut plerique, sed componendis libris & clarissimis operibus destinavit.

836. Sequuntur in elogio, eo ordine quo dabimus, elucubrata ab eo monumenta. Opera namque, & volumina Abulensis Episcopi, quæ latiùs & in immensum ferè diffusa erant, in duo volumina redegit,

Floretum scilicet nuncupans, hoc est, summam commentariorum illius in Matthæum, Hispali MCDXCI. duobus tomis in folio. *Composuit præterea* (ait) *opus excellentissimum, quod*

837. *Confutatorium errorum contra claves Ecclesiæ nuper editorum* appellavit, Alphonso eidem Carrillo Archiepiscopo dicatum, hoc est Petri Oxomensis à Synodo Complutensi damnatam doctrinam Toleti MCDLXXXVI. Exstat & MS. in bibliotheca S. Ecclesiæ Toletanæ pluteo 30. num. 10. (1). *Scripsit quoque* (prosequitur) *opus aliud egregium Hispano sermone ad communem omnium utilitatem: quod, quia Christianis lumen præbet immensum, Christianæ vitæ Luciferum vocant.* Prodiit quidem hoc ita vernaculè inscriptum:

838. *Lucero de la vida Christiana.* Ad Elisabetham Reginam, Salmanticæ anno MCDXCV. in folio. Prohibitum tamen *Expugnatorio* nostro ultimo libro quanam ratione fuerit, nobis non adhuc notum. *Edidit præterea* (Marinæus inquit) *& alia quæ ad Christianam religionem Fidemque Catholicam plurimum pertinent.* Quorum quidem non ullam alibi factam mentionem legimus. Prexani certè meminit historicus Henrici IV. Didacus Henrici à Castello in historia sua huius Regis cap. 100. ut conscium eum traducens consignatæ in manus procerum qui ab Henrico desciverant Segoviæ urbis, unà cum Petro Aria Davila rationum regiarum præfecto, & Ioanne Aria Segovienſi Episcopo, eius fratre, cuius noster vicarium tunc temporis agebat. Sed Didacus Henrici totus est in rebus Henrici impotenter tuendis, & contrariis quibuscumque vituperandis.

839. HIERONYMUS TORRELLA, medicus Valentinus, parente editus medico, & mathematico (si laudato filio credimus) egregio..... Neapolis Reginæ..... coniugi, Ferdinandi Regis Hispaniarum catholici sorori medicas operas ex munere habuit mancipatas (2). Scripsit denique ad eundem Ferdinandum Regem catholicum

840. *De imaginibus astrologicis* completum opus, ut ipse loquitur, anno MCDXCVI. editum verò absque anni mentione in 4.° Valentiæ apud Alphonsum de Orta; scilicet de hac quæstione: *An imagines cælestes auro impressæ habere vim morborum expultricem sine ulla superstitione valeant.* Quod tandem in fine operis ex sententia S. Thomæ improbare videtur. De hac re vulgare Gallicæ linguæ opus exstat Iacobi Cafarelli: *Curiositez inouyes*, hoc est, *Curiositates inauditæ.* Quod in Latinum versum cum Notis eruditis in lucem emisit Gregorius quidam Michael Danus Flensburgensis Hamburgi MDCLXXVI. in 8.° duobus tomis.

841. Meminit ibidem alterius operis à se editi hisce verbis: *Saltem sequendo communem opinionem eorum qui tenent cælos moveri ab intelligentiis per intellectum & voluntatem (ut aliquibus doctoribus placuit), aut per potentiam exsecutivam ab intellectu & voluntate distinctam, ut magnæ auctoritatis viri pro diffinito habent: sicut in opusculo nostro de hac materia ad utramque partem edito legere poterit Maiestas tua* &c. Hic ille absque dubio est dominus Torrella insignis astronomus, medicusque regius præstantissimus, ad quem literas dedit hac honoris nota inscriptas Lucius Marinæus Siculus: quæ hodie lib. 17. epistolarum illius leguntur, gratias ut ei haberet, quod Ferdinando ægrotanti sanguinem scissâ venâ minuendum iam sexagenario non censuisset (3).

842. ALPHONSUS CAMARA, patriâ, ut præfefert, ex oppido Viena Conchensis diœcesis, auctor est *Recollectionis, sive Brachyologiæ, vel epitomatis Sacramentorum sanctæ matris Ecclesiæ.* Quod opus à se ante novem annos conscriptum additionibus & Notis marginalibus locupletius in lucem emisit unà cum *De doctrina Christiana* libello, Hispali apud Ioannem Nuremberg MCDXCVI. in 4.°

(1) Exstat editum penes me. In fine capitis CXLII. quod omnium postremum est legitur: *Confutatorium errorum contra claves Ecclesiæ nuper editorum explicit feliciter. Fuit autem confectum Anno Domini M. CCCC. LXXVIII. Per Reuerendum Magistrum Petrum Ximenes de Prexano. tunc canonicum Toletanum. Et fuit impressum Toleti per venerabilem virum Iohannem Vasqui. Anno Domini MCCCC. 86. pridie Kalendas Augusti Præ-*

fato Magistro Petro iam Episcopo Pacensi &c.

(2) *Ioanne* scilicet *Aragoniæ*, Ioannis secundi Navarræ, Siciliæ & Aragoniæ Regis filiæ, Ferdinandi Secundi, qui aliis *primus* audit, uxoris.

(3) Plura alia ab eo scripta Medici ac Physici argumenti narrat ipse in libro: *De Imaginibus*, quæ singulatim enumerat Ximenus *Biblioth. Val. T. I. p. 74. col. 2.*

843. Magnus ille Asiaticæ Indiæ navigationis inventor, Lusitanus Typhis, VASCUS DA GAMA, gentis suæ ornamentum ad omnem hominum memoriam perennaturum, de quo nihil dicere quàm pauca satius est, dedit reversus Emmanueli suo Regi populari Portugalliæ idiomate *Navigationis* suæ *ad Indiam anno MCDXCVII. relationem*, quæ lucem vidit.

844. Eodem anno MCDXCVII. vitâ cessit Romæ IOANNES ARIAS DE AVILA, filius Didaci, frater Petri Arias, sub Henrico Rege rationum regiarum utriusque magistri, Segovienſis urbis suæ Episcopus: quem de rebus Henrici eiusdem IV. Regis cuius partes enixè fuit secutus, quamvis vir honestus & mores Regis aversatus, quo testimonio laudis ornat eum Alphonsus Palentinus in historiæ suæ Latinæ MS. lib. IO. cap. 1. aliquid commentatum fuisse, ad aures delatum fuit industrii, nec facilè aliis creduli, viri Didaci Colmenaris. Attamen ille ait *Segovienſis urbis historiæ* cap. 35. §. 13. neque se unquam vidisse, neque alium à se visam hanc historiam affirmantem audivisse [k] (1).

[k] Hoc loci scriptum erat auctoris manu: *Hic de* HIERONYMO PAULO. Sed tamen huius Scriptoris notitiâ destituimur. Quod annotare visum est, ne ab aliquo supinitatis aut negligentiæ accusetur Bibliothecæ auctor, undecumque circumspectus ac diligens. CARD. DE AGUIR.

845. IULIANUM GUTIERRES, sive à patria, sive cognomine TOLETANUM, Catholici Reges medicum habuere, qui per hæc tempora scripsit *De la cura de la piedra, y dolor de la hijada*, atque edidit Toleti anno MCDXCVIII. typis Petri Hagembach Germani in folio, quam editionem penes nos habemus.

846. FR. THOMAS DE TORQUEMADA, oriundus ex hoc veteris Castellæ oppido, Dominicanorum sodalis in Pinciano cœnobio, animi virtute, literarum cultu, ac vitæ religiosæ sincera professione, ad eam claritudinem & apud omnes existimationem pervenit, ut nulli ex altioribus Ecclesiæ honoribus non par videretur. Catholicis enim Regibus fuit à confessionum sacramentalium munere; iisque auctor præcipuus exstitit purgandi regna sua Hebræorum fæce, atque instituendi anno sæculi octogesimo tertio novum hoc sacrorum Fidei speculatorum vindicumque tribunal, quod ab inquirendi cura sanctam Inquisitionem nos appellamus: cuius ille principem locum tenuit. Atque eo quidem successu, ut obstinatorum iudaizantium & hæreticorum multa millia capitum rogo tradiderit, multoque maiorem pœnitentium & conversorum numerum Ecclesiæ gremio exceperit. Eiusdem consilio post novem annos Iudæis omnibus, qui hucusque inter nos vixerant, quorumque conversatione quamplures ex Christianorum numero quotidie perverti experientiâ fuit compertum: dictum fuit eodem tempore ab Hispaniæ provinciis omnibus Ferdinando atque Elisabethæ subditis exsilium, atque iisdem ditionibus vera & robusta Fidei salus, quâ in posterum vigerent, restituta.

847. Nullo interim horum eximiorum facinorum præmio alio signari voluit, quàm *Inquisitoris Generalis* munere, Priorisque ut vocant, cœnobii Segovienſis urbis appellatione: quo eum appellatum omnes historiæ clamant. Adeò ut neque Magistri pileum inter domesticos, Præsentati nominatione contentus, neque ab sic obnoxiis Regibus Hispalensis Ecclesiæ insulas sibi oblatas ut acceptaret, exorari se passus sit. Huic debet sanctæ Inquisitionis Magistratus, & Inquisitorum ordo *Directorium* pro eorum institutione & muneris exercitio. Obiitque sanctissimè XVI. Cal. Octobris MCDXCVIII. in Abulensi S. Thomæ Aquinatis domo, nutu suo ex damnatorum bonis extructa. Videri poterunt præter domesticos testes Hieronymus Surita lib. 20. *Annalium*, cap. 49. & lib. 1. *Rerum olim Ferdinandi Regis* cap. 6. Garibaius lib. 18. cap. 17.

848. Merx nostra forsan est, quamquam Italicum quicquam appellatio hominis præseferat, liber, quem vidisse se olim asseveravit D. Thomas Tamaius, scilicet, IOANNIS DE CAPUA, *Exemplario contra engaños y peligros del mundo*: interpretationem scilicet Hispanam ex aliqua orientalium linguarum; cùm auctor dicat locutum hunc librum Indicâ, Persicâ, Arabicâ, Hebraicâ, & Latinâ linguis. Ver-

(1) Exstat, nisi ego fallor, in Bibliotheca Collegii Sancti Bartholomæi Salmanticensis cuius hic Ioannes alumnus fuit. In eius certe Bibliothecæ MStorum. Catalogo à Marchione de Alvêntos evulgato *Hist. Coll. S. Barth. Salm. Part. III. pag.* 324. habetur hic titulus: *Historia de Henrique IV... Tiene 89. hojas*; pergitque: *Notas que se hallan en esta Chronica ó Hisloria de Henrique IV. annotada en el Indice por obra de Don Juan Arias Davila Obispo de Segovia::: Nota primera: Esta Historia no tiene Autor, aunque algunos dicen que la escribió Don Juan Arias Davila Obispo de Segovia::: Otra nota: Otros atribuyen esta Historia al Chronista Alonso de Palencia: sea quien fuere el Autor esta Historia es un Epitome ó Abreviadura de como se escribió por su Autor. Otra Nota: No tiene mucho fundamento el decir que esta Historia sea desumpta de la que hizo su Autor &c.* Hæc manu antiquâ in Codicis τῷ περιφύλῳ. Æstimet ea Lector.

(2) Hic notissimus ille est Hieronymus Paulus Barcinonensis Scriptor opusculorum: *De fluminibus & montibus Hispaniæ*; ac: *Descriptionis urbis Barcinonensis*: quæ in Hispaniæ Illustratæ *Tom. II. à pag.* 834. atque alibi sæpius edita sunt.

Versionem verò hanc Hispanicam se confecisse ait in obsequium Matthæi Cardinalis S. Mariæ in Porticu. Burgis prodiit operâ M. Frederici MCDXCVIII. in folio. Nos autem nullum invenire potuimus Cardinalem, cui Matthæo nomen, S. Mariæ in Porticu, inter plures quos Xystus IV. Innocentius VIII. Alexander VI. horum annorum Pontifices, creavêre (1).

849. GAUBERTUS FABRICIUS DE VAGAD, Cistercienſis monachus Aragoniæ regni, & monasterii sanctæ Fidei Cæsaraugustanæ urbis primùm, deinde S. Ioannis Pinnatensis, postquam in sæculari conditione vitæ (ut credimus) archivexilliferum egisset Ioannis Aragonensis, Ferdinandi Regis fratris & antistitis Cæsaraugustani, idem factus historicus regius, onus sibi sensit impositum elucubrandi res Aragoniæ Regum gestas: quod quidem excussis tabulariis publicis urbis Barcinonensis, monasteriorumque S. Victoriani, ac de Populeto, & plusquam duodecim (ut alicubi ait) chronicis, id opus perduxit circa huius sæculi finem. Exstat enim *La sclarecida coronica de los muy altos y muy poderosos principes y Reyes Christianissimos de los siempre constantes y fidelissimos reynos de Sobrarves, de Aragon, de Valencia y otros*, Castellæ idiomate formata, atque edita Cæsaraugustæ operâ Pauli Hurûs Constantiensis MCDXCIX. in folio. Fortè eadem est, quam sub nomine *Chronicâ antigua de Aragon* Valentiæ prodiisse anno MDXXIV. in folio in catalogo librorum Fresnæi Tricheti habemus.

850. Dubius autem sum, an Latina prodierit ab auctore; nam versam eam è Latino in vulgarem Gundisalvi à S. Maria operâ nonnusquam legimus. Huius historiæ neque in *Annalibus* vulgaris linguæ, neque in Latinis *Indicibus rerum ab Aragoniæ Regibus gestarum* factam à Surita mentionem vix credimus, raroque à Hieronymo Blanca.

851. Ceterùm varia est Aragonensium aliorum Scriptorum de ea opinio. Vincentius Blascus Lanuza lib. 5. cap. 42. historiæ suæ huius regni, libris eum destitutum, aliisque rerum gestarum monumentis, frequenter inquit hallucinari: plurium Regum mentionem omittere, aliorum nomina mutare, verbisque ventosis ac superfluis supra modum effundi. Convenit Martinus Carrillo abbas Monte-Aragonensis in quadam ad Ioannem Brizium epistola [l]. Eandem historiam, si laudes immodicas & non necessarias detrahas, in exiguum opusculum redigendam Ioannes Vasæus in Chronici sui quarto capite censuit. Asperrimè in eandem invectus est Ioannes de Molina, vernaculus interpres Latinæ Aragoniæ Regum Marinæi Siculi historiæ, Valentiæ, hac ex versione, anno MDXXIX. apud Ioannem Iofrê publicatæ: odio hanc & oblivione damnatam iacêre aiens forsanque aliquantò magis hac eius reprobationis memoriâ, quàm ex se ipsa posteris agnoscendam. Superfluitatem hânc, & iniucundas, nec necessarias digressiones, nullus non agnoscit, reprehenditque.

[l] Principio *Historiæ sancti Ioannis de la Peña.*

852. Attamen fidem à Lanuza ei denegatam asserunt eidem alii; diligentiamque ab eo adhibitam, Ioannes Murillus nempe in *Historia imaginis Sanctæ Mariæ del Pilar*, & Hieronymus à S. Iosepho Carmelita excalceatus in *Genio historiæ*: qui ait multæ auctoritatis hanc esse historiam propter antiquitatem eius & originales notitias, quibus fuit usus, quampluraque pulcerrimè scripta in eadem reperiri. Nec dicas Suritam ad hanc Fabricii historiam respicere in Indicibus ad annum DCCLVIII. quum veterem Aragonensium auctorem nullius artificii & diligentiæ, multa de regni origine scripsisse refert. Hunc enim ante ducentos annos facta Regum composuisse ait; intra autem eandem centuriam Surita & Gaubertus huic ornandæ Spartæ incubuêre.

853. Ad hoc exeuntis sæculi tempus refero ALPHONSI ALVARI DE VILLASANDINO poetæ *Cantionarium* (*Cancionero* vulgus vocat), quo ad rem genealogicam illustrandam sese inter alios usum non ineptos versificatores, Gundisalvus ait Argote à Molina in *Bæticæ Nobilitatis* commentariis (2). An-

(1) Hoc vulgatissimum est opus quod: *Specimen Sapientiæ Indorum*: aliis Gallicè, *Les fables de Pilpai*: Græcis: *Stephanites*, & *Ichnilates*: Hebræis: *Kêlel vaDémn*, atque hinc Hispanis *Kalila y Dina*: quasi *Coronatum* & *Inquisitum*, sive *Iudicatum* dixeris; atque ab argumento: *El exemplario*, pluries editum. De eo nos superius *Lib.* scilicet *III. cap. II. n.* 42. (T. I. pag. 246. col. 1. Not.) Si autem noster est qui id è Latino in Hispanum sermonem transtulit, oportet ut eidem tribuamus Epistolas, quæ sub eiusdem nomine habentur in Bibliotheca Regis Galliarum *Part. IV. pag.* 259. *col.* 1. *cod.* 6384. *n.* 3. quo loco: *Apostolicæ Sedis Notarius* audit; & *n.* 5. atque item *pag.* 471. *col.* 2. *cod.* 8567. *n.* 1.

(2) Hic idem Cantionarius ille Escurialensis codex est, supra à nobis descriptus, quemque Noster Capite huius libri sexto n. 335. *Ioanni Alfonso Baenæ* tribuit, dubius tamen auctorne an compilator tantum fuerit. Et quidem *Baena in eo Compilatorem* sese vocat; *magnaque ex parte auctorem eiusdem* sese vocat; *Alfonsus* tamen *Alvari de Villasandino* longe maiorem præ illo, præque omnibus quorum poematia in eo exstant, symbolam eidem conficiendo contulit. D. Io-

854. ANGELUS ESTANYOL Barcinonenſis, ex ſodalibus prædicatoribus, ſacræ theologiæ Magiſter, doctorque Pariſienſis, quem catalogiſtæ huius ordinis Scriptorum prætermittere ſolent, ſcripſit *Opera logicalia ſecundum Viam D. Thomæ*, Barcinone edita MDIV. in 4.°

855. FERDINANDUS DE VASURTO, veroſimiliter Aragonenſis, circa finem huius ſæculi ſcripſit carmine vulgaris linguæ *Vitam S. Euroſiæ*, duce uſus libro quodam huius argumenti proſaico (qui iam non exſtat) Portionarii cuiuſdam Iaccenſis Eccleſiæ: cuius rei auctor eſt Vincentius Blaſcus Lanuza *Hiſtoriarum Aragonenſium* parte 1. lib 3. cap. 21. & Fr. Martinus de Cruce in hiſtoria vulgari eiuſdem ſanctæ virginis paſſim hoc opus laudat. Prodiit Cæſaraugustæ anno MDXXXIX. apud Georgium Cocci, quo tempore adhuc vivebat auctor natus atque etiam florens, hoc quod percurrimus ſæculo. Nam & Granatenſi bello interfuit circa annum MCDXCII. Cuius & dialogus exſtat Hiſpanus inter equitem quendam venatorem ac ſenem piſcatorem, D. Petro Martino à Luna primo Comiti de Morata nuncupatus: in quo multa Hiſpaniæ, atque in primis Aragoniæ regni, hiſtorica complectitur. Cuius rei certior factus ſum ab amico noſtro Didaco Ioſepho Dormêr Aragoniæ chronographo.

856. Dabimus hìc par quoddam heroum, quorum innatus generis ſplendor vix adæquavit meritum literarum, ac totius virtutis, ſtudio & exercitatione quæſitum. Manriquia domus utrumque produxit, Gomezium & Georgium, de quibus ſeorſum agendum eſt. GEORGIUS MANRIQUIUS eques ordinis S. Iacobi & Commendatarius, Roderici Manriquii eiuſdem ordinis præfecti, ſeu proprio verbo Magiſtri, Comitis *de Paredes de Nava* ex Beatrice Mendozia filius (quem ſpeciali elogio Ferdinandus Pulgar, uti fortiſſimum militem, biſque Marinæus Siculus, & alii, celebravere) Petri Manriquii regni Legionenſis Adelantati, ut vocant, nepos, viri tempore ſuo, hoc eſt Ioannis II. Regis, in paucis clari, qui & ipſe Ferdinandi Perezii à Guzman elogium promeruit.

857. Exſtat, uti nuper diximus, lib. 5. Marinæi Siculi *De rebus ſive laudibus Hiſpaniæ* ſemel atque iterum Roderico Manriquio redditum non perfunctorium laudis obſequium, in quorum primo elogio: *Moriens autem* (ait) *Georgium quendam reliquit filium, virum ingenio ſatis illuſtrem. Quippe qui multa ſcripſit eloquio Hiſpano, atque genere carminis, quæ vatibus & moralibus philoſophis digna cenſeri debent. Eum enim poetam ac philoſophum natura formavit ac peperit.* Cuius deinde filium Alphonſum, literis, cùm hæc ſcriberet, Salmanticæ vacantem, paternæ virtutis imitatorem celebrat.

858. In his omnibus, quæ tempus edax ferè perdidit, veluti principatum obtinuit ſemper elegantiſſimum, & omnibus numeris abſolutum, illius licèt ætatis rudioris, carmen, quo parentis ſui obitum deplorans, mundi vanitatem & rerum inconſtantiam veluti penicillo deſcripſit. Carminis principium:

Recuerde el alma dormida
Avive el ſeſo, y diſpierte,
Contemplando
Como ſe paſſa la vida,
Como ſe viene la muerte
Tan callando (1).

Huic gloſſam, metricam quoque eam, ſubiunxit Franciſcus de Guzman in bibliothecæ altera parte à nobis dicendus; dedicavitque opus Antuerpiæ excuſum cum aliis anno MDXCIV. ſereniſſimæ Eleonoræ, cùm viveret Francorum Reginæ.

859. Frater fuit Alphonſi Manriquii Hiſpalenſis antiſtitis, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, natus forſan in *Paredes* oppido dioeceſis Palentinæ: quod ſe nonnunquam audiviſſe Ægidius Gundiſalvi Davila alicubi refert. De anno, quo vitâ functus fuit, certiores fieri cupimus.

860. Alter fuit GOMEZIUS MANRIQUIUS Petri Manriquii filius Legionenſis Adelantati proximè laudati, Roderici ordinis S. Iacobi Magiſtri germanus frater, Georgii, de quo nuper ſumus locuti, patruus. Hunc non alio magis idoneo quàm Lucii eiuſdem Marinæi Siculi, huius temporis æqualis, teſtimonio commendatum poſteris tradere poſſumus. Hic enim dum de Petro genitore eius, atque Iacobo ſeu Didaco fratre, primogenito Trivinienſi Comite, verba feciſſet: *Gomezius inſuper* (ait lib. 5. *De laudibus Hiſpaniæ*) *me minus de ſe tacere permittit. Fuit enim in adminiſtranda republica ceteriſque negotiis prudentiſſimus. Ideoque Toleti ſibi reſpublica commiſſa eſt. Plu-*

Ioſeph Rodriguezius de Caſtro *Biblioth. Hiſp. Script. Rabb. ſæc. XV. à pag.* 265. omnium *Alfonſi Alvari* poematiûm indicem confecit, in eius Cantionarii recenſione.

(1) Exſtat in Bibliotheca Eſcurialenſi. *Digramm. &, Plut. III. ſub n.* 21. (T. II. p. 238.) cum Anonymi gloſſis atque expoſitione uberrima. Item in pſeudepigrapho Ioannis Yxarenſis codice ſæpius à nobis laudato. Editus quoque ac plus vice ſimplici, primumque ut puto Hiſpali apud Menardum Ungut & Stanislaum Polonum MCCCCXCIV.

Plurimum namque conſilio claruit. In bello quoque gerendo fortiſſimus fuit, atque in literis eruditus. Quare licèt Hiſpano ſermone, multos tamen libros, tum carmine, tum ſoluta oratione elegantiſſimè compoſitos reliquit. Nam cum eloquentia ſingulari quandam quoque vim poeticam illi natura conceſſerat. Erat præterea iuſtitiæ maximus cultor, atque veritatis ſummus amator, utpote qui non cùm hoc, tùm illud (ut plerique ſolent) ſed ſemper idem dicebat. Suos autem & familiares & domeſticos non minus à ſe erudiri, & mores optimos atque urbanitatem edoceri, quàm ſibi ſervire cupiebat. Ideoque domus eius cunctis Hiſpaniæ principibus ad bene beateque vivendum ſemper exemplo fuit; quapropter ab omnibus mirum in modum colebatur.

861. Ex his Marinæi prætermittere quicquam piaculum eſſet. Præſtat enim exemplaria hæc fructuoſæ ac veræ nobilitatis, quæ, dicente poeta, *unica virtus eſt*, frequenter ob oculos poni; cùm iam non ii ſimus, neque quod verè nobiles, ſed quod ventoſos & nullius pretii ac frugis redit, conſequi maioris partis cura & votum habeatur. Huius Gomezii eſt pro aliis quæ deſiderantur, ſolatio & ſpecimini ſemper futurum, *Epicedium* metricum (1); quod in obitum magni Sanctæ-Iulianæ Marchionis Enneci Lupi à Mendoza olim compoſuit, de quo in huius mentione egimus.

862. Certè Thomas Tamaius meminit libri cuiuſdam *Regimiento de principes* dicti, ac verſibus ſcripti, Gomezii Manriquii nomen præſeferentis (2), ac typis rudi adhuc typographiæ arte editi, quem hactenus non vidimus.

863. In quodam miſcellaneo codice Hiſpalenſis metropolitanæ Eccleſiæ, quæ fuit Ferdinandi de Colon, Chriſtophori Magni filii: ſervatur epiſtola quædam Gomezii huius ad Didacum Arias Davila regiarum rationum præfectum, *ſobre que no le habia querido librar los maravedis que tenia en los libros del Rey* (3). Atqui utriuſque horum literis & virtute bellica & ci-

(1) In prælaudato Ioannis Yxarenſis codice paulo ſub medium habetur nuncupatoria huius *Epicedii* epiſtola hoc titulo: *Carta que embió Gomez Manrrique al Obiſpo de Calahorra ſobre la muerte del Marques* ſoluta oratione. Incipit: *Sy deſpues de la muerte del muy virtuoſo ſeñor padre vueſtro, mi Senor & mi tio digno de eterna memoria &c.* edita in Additionibus ad *Viros illuſtres* Ferdinandi del Pulgar Matriti MDCCLXXV. 4°. pag. 223.

(2) In eodem Ioanni Yxarenſi non iure tributo codice, circa medium habetur hæc rubrica: *Gomez Manrrique al Señor Rey*, ſcilicet ad Henricum IV. Querelæ *de neglectis ſolutiſque ab Eodem Impe-*

¶ Invocacion
, De los mares mas perfecto
, En los grandes el maior &c.

¶ Introduccion
, O tu buen Señor a quien
, El preſente va tratado &c.

¶ Principia la fabla
, O tu en amor hermano
, naſcido para morir
, pues lo non puedes fuyr:
, el tiempo de tu beuir
, non lo deſpiendas en vanos
, que vicios bienes honores
, que procuras,
, páſanſe como freſcuras
, de las flores.

Et ſic deinceps per XLVII. enneadas. Præterea habetur in eodem Ioannis Yxarenſis codice à folio CXXVII. p. 2. ad CLIII. *Supplementum ad tractatum Ioannis Menæ De vitiis & virtutibus* CLVIII. ogdoadibus dimetris conſtans, cuius ſupra *Lib. X. c. VIII. n* 424. *in Not.* meminimus. Rubrica hæc eſt: *Aqui feneſce lo que el noble Poeta Iohan de Mena fizo por falleſcimiento ſuyo. E proſigue el muy noble cauallero gomez manrrique. è face un breve prohemio.* Meminit huius ſupplementi Frater Hieronymus Olivarius Alcantarenſis Eques in prologo ad aliud eiuſdem operis ſupplementum à ſe confectum, quod exſtat in editione Antuerpienſi operum Ioannis Menæ apud Ioannem Steelſium MDLII. 8°. pag. 742. Minutiora alia Gomezii Manrici vidêſis in Cantionariis Hiſpalenſi MDXL. & Antuerpienſi MDLXXIII.

rii habenis, & regno ἀκεφάλῳ dimetris ogdoaſtichis. Inc.

, Quando Roma conquiſtaba
, Quinto Fabio la regia,
, E Cipion guerreaba,
, Tito Livio deſcreuia &c.

Fueritne autem hoc poemation quod à Thoma Tamaio inſcribitur: *Regimiento de Principes?*

(3) Exſtat in eodem pſeudepigrapho codice paulo ſub medium. Eſt autem poema eximium & philoſopho Chriſtiano dignum abſque palpo & blanditiis, nimirum ut maturè ſibi conſulat, tandemque ſapiat ac noviſſima provideat. Dimetris imparibus enneaſtichis. Inc.

ADDENDI AB ANNO MCCCCXC. ET DEINCEPS AD ANNUM CIRCITER MD.

Ioannes Eſcrivá Eques Valentinus ab anno ut videtur MCCCCXC. ſcripſit patrio ſermone metricum opus, inſcriptum: *Contemplació á Jeſus Crucificat per Moſſen Joan Eſcrivá Meſtre Racional, è per Moſſen Fenollár*, editum Valentiæ apud Iacobum de Vila MCCCCXCV. 4°. atque item: *La Ovidiana doloroſa*: *Lo johí de Paris*, & alia MS. videnda apud Ximenum *Bibl. Val. in eo T. I. p.* 65... ITEM *Ioannes Martî* Valentinus Monachus Car-

civili clarorum eiuſdem nobiliſſimæ domûs virorum, cùm, quandonam obierint, ignoremus, aliquando, hoc eſt ad huius ſæculi finem, celebrari memoria debuit.

CA-

Cartuſianus Cœnobii de Porta-Cœli, anno MDIII. defunctus, reliquit in Schedis: *Promtuario de exemplos eſpirituales del Santiſſimo Sacramento, y de la Virgen MARIA nueſtra Señora... Sumario de las Indulgencias concedidas a los Monges Cartujos, y eſpecialmente á los del Convento de Porta-Celi... La Vida de Santa Catarina de Sena.* Ximenus *Bibl. Val. in eo pag.* 69... ITEM *Gaſpar Torrella* Hieronymi Scriptoris frater, Valentinus, Alexandri VI. Medicus, Epiſcopus Sanctæ Iuſtæ in inſula Sardiniæ ſcripſit: *Dialogum pro regimine ſanitatis* &c. Romæ apud Ioannem Beſtikem MDVI. 4°.. *Iudicium generale de portentis prodigiis & oſtentis ac Solis & Lunæ defectibus, ac de Cometis*, Romæ apud eundem Beſtikem & Ioannem Gozadinum MDVII... *De morbo Gallico, pudendagra &c.* Papiæ MDXXI. fol. *De magica Medicina... Conſilium de ægritudine contagioſa & peſtifera.* Ximenus *Bibl. Val. in eo T. I. p.* 75... ITEM *Chriſtophorus Columbius*, Geſnero teſte in eo, ſcripſit: *De inſulis in mari Indico nuper inventis quæ Alexander de Coſco ex Hiſpanica in Latinam tranſtulit, anno MCCCCXCIII. excuſa...* ITEM *Franciſcus Alegre*, neſcio quis, certe Barcinonenſis, patrio ſermone ſcripſit: *Lo libre de les transformacions del Poeta Ovidi* quindecim libris, in quibus Ovidii litera, totidemque quibus fabularum in iiſdem contentatum allegoriæ, quidque veri ſingulis ſubſit continetur. *A la Illuſtriſſima Senyora Dona Ioanna d' Aragò, filla del molt alt è potentiſſim Senyor Don Ferrando Segón, noſtre Rey è Senyor.* Exſtat penes me. In eius fine legitur: *Acaben los quinze libres de Transformacions del Poeta Ovidi: è los quinze libres de allegories è morals expoſicions ſobre ells: eſtampats en Barcelona per Pere Miguel. Benaventuradament en Eſtanya è en los regnes d' Aragò regnant los Invictiſſimsè preclariſſims Don Ferrando è Dona Iſabel* any MCCCCLXXXXIIII. à XXIV. de *Abril.* Fol. continet chartas 267... ITEM *Andreas Muñoz* Hiſpanus Monachus Camaldulenſis ſæculo XV. exeunte ſcripſit: *Eremi Camaldulenſis in Etruria deſcriptionem Ad Coſmam Florentiæ Ducem.* Exſtat in Bibliothecæ Taurinenſis *Codice MXXXVIII. pag.* 306. *col.* 2. & memini recuſam in *Annalibus Camaldulenſibus* Venetiis, ut puto, nuper editis... ITEM *Franciſcus Lopez de Villalobos* Licentiatus Salmanticenſis in Medicina ſcripſit metricum opus inſcriptum: *Sumario de la Medicina en romance trobado: hecho à contemplacion del muy magnifico è iluſtre Señor Marques de Aſtorga*, decadibus trimetris. Inc.

Con mucha inſtancia el Marques mi Señor,
Aquel tan iluſtre y real cavallero
Se mueſtra haber gana de aqueſta labor
A donde ſe coja lo mas de la flor
De la medicina en eſtilo ligero. &c.

atque item: *Sobre las contagioſas y malditas bubas: eſtoria y medecina*, eodem metri genere. Inc.

Quando los Principes muy poderoſos
muy quiſtos muy juſtos y amados d' aquel
que quiſo que fueſſen aſſi vitorioſos
tan ſabios tan fuertes e tan glorioſos
los reys don fernando e dona yſabel &c

In fine: *Feneſce el Sumario de la medecina hecho por el Licenciado Franciſco Lopez de Villalobos enmendado y corregido por el miſmo. Imprimido en la Cibdad de Salamanca à ſus expenſas de Antonio de Barreda Librero año del naſcimiento de nueſtro Salvador de mill CCCC. XC. & VIII.* Fol. Penes me... ITEM *Iannotus Valero* ex oppido Sarriôn in Aragonia, ſed Valentini Regni limitaneo inter Turolium & Segobricam, ſcripſit Lemovicenſi ſermone opuſculum: *De arte tinctoria fili & pannorum lini lanæ & ſerici.* Exſtat penes D. Ioannem Antonium Mayanſium, Gregorii fratrem Canonicum Valentinum MS. in cuius fine legitur: *Aqueſt libre fón aquabat en lo tint de ſent merî à XXIII. dies del mes de genêr, any MCCCCLXXXXVII. eſcriguêl Iuanôt Vallero de Sarion de aragon.* Vidi... ITEM *Ioannes Daza* Decanus Giennenſis, & Frater *Michael Fenales* Maioricenſis, Ordinis Minorum, quorum in Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit. u. Plut. II. n.* 14. (T. II. p. 483.) exſtat: *Exemplum* ſive *Acta Viſitationis nonnullorum* ſacrarum Deo virginum *Monaſteriorum in Diœceſibus Tarraconenſi, Barcinonenſi, Gerundenſi, Elnenſi, Urgellitano, Vicenſi ac Dertuſenſi* per eos confectæ ab anno MCCCCXCIII. ad MCCCCXCV... ITEM *Anonymus Hiſpanus* Interpres è Latino in patrium ſermonem *Lilii Medicinæ Bernardi Gordoni*; ac: *De decem ingeniis*; ac *De Prognoſticis*, atque affinis argumenti aliis; cuius verſio edita fuit Hiſpali apud Meynardum Hungût & Stanislaum Polonum MCCCCXCV. XVIII. Aprilis, Fol. Penes me... ITEM *Iacobus Ianuarius* (Ianêr) Catalanus Monachus Ciſtercienſis circa annum MCCCCXC. edidit: *Ingreſſum rerum intelligibilium Raymundi Lulli*, teſte Noſtro ſuprà Lib. IX. cap. III. n. 180. qùi tamen eum inter Scriptores non recenſet in eius capitis Summario, neque in Indicibus... ITEM *Lupus de la Roca Alamány* Typographus Valentinus (niſi *Alamány* non gentem ſed patriam Germaniam denotet) ſcripſit ediditque Valentiæ Lemoſino ſermone: *La Vida de Sant Honorât* MCCCCXCV, 4°... ITEM *Petrus Gonzalez de Mendoza* S. R. E. Cardinalis tit. S. Crucis in Hieruſalem Archiepiſcopus Toletanus, circa annum MCCCCXC. ſcripſit: *Conſtitutiones & Statuta Collegii Sanctæ Crucis* in Urbe Valliſoletana noviter ab Ipſo erecti, in quarum prologo non mediocriter in humanioribus ſtudiis ſeſe verſatum prodit. Editæ fuerunt Valliſoleti apud Antonium Vazquez à Sparça MDC. XLI. *Franciſcus* autem *Medina & Mendoza* Guadalfajarenſis in MS. Codice Eſcurialenſi *Lit. X. Plut. II. n.* 8. (T. II. p. 412.) in quo de rebus Petri Gonzalezii Mendozæ cap. III. hæc habet: *Hizoſe* (el Cardenal) *muy habil de Iſtoria; y Yo hè tenido en mi poder algunos libros de mano, traducidos por El, dirigidos al Marques ſu Padre porque los leyeſſe en Caſtellano, porque no era Latino; y eran un Ovidio, y unas Eneidas de Virgilio de una letra antigua; y para el lenguage de aquel tiempo eſtaban en un buen romance caſtellano y caſto; y con ir harto aſido á la letra y ſentido del verſo en la proſa Caſtellana, tenia buena elegancia clara, donde ſe mueſtra ſu entendimiento. Decia el Prologo que eran trabajados en las vacaciones. Fue en Salamanca donde eſtudiò ſu curſo de Canones &c.* Atque horum occaſione meminit is Franciſcus Auctorum quorum operâ uſus fuit ad conſcribendam Cardinalis Mendozæ hiſtoriam, nimirum *Roderici Campuzani* Commendatarii de Eſtremêra, *En un Memorial qué hizo: Baccalaurei Didaci de Medina* Cardinalis Conſiliarii, *En otro Memorial que hizo de ſu crianza*

CAPUT XVI.

GUILIELMUS DE MONSERRAT *Catalanus.* GUILIELMUS GORRÎS *Aragonenſis.* GUNDISALVUS DE FRIAS *Hieronymianus monachus.* GOMEZIUS *quidam Franciſcanus.* IOANNES ALVAREZ GATO *Matritenſis poeta.* IOANNES ALPHONSUS DE BENAVENTE. *Eius opera.* HIERONYMUS *quidam Ciſtercienſis monachus.* IOANNES IVANDUS DE BARDAXÎ *Aragonenſis.* TRISTANUS DE SILVA *Civitatenſis.* FERDINANDUS DE RIBERA *poeta & hiſtoricus.* ALPHONSUS DE FLORES *Salmanticenſis.* DIDACUS HENRIQUEZ DEL CASTILLO *Segovienſis.* IOANNES CONSOBRINUS *Luſitanus.* PETRUS NUÑEZ DE OSMA. ALPHONSUS DE SOTO *Civitatenſis.* BONIFACIUS *quidam Luſitanus.* PETRUS CASTROVOL *forſan Hiſpanus.* IOANNES HISPALENSIS *Auguſtinianus.* DIDACUS BERNALDEZ *parochus in diœceſi Hiſpalenſi.* ANONYMUS *quidam auctor hiſtoriæ D. Roderici Ponze de Leon.* MARTINUS PERTUSA *iuriſconſultus.* ANTONIUS GARSIAS DE VILLALPANDO *Toletanæ Eccleſiæ canonicus.* PETRUS TERRASA *Carmelitanus.* PETRUS TOMICH *Catalanus. Eius in hiſtoria errores, ſeu potiùs deliramenta.* ANONYMUS, DE PALMA *cognominatus.* ALPHONSUS DE FUENTIDUEÑA *Franciſcanus.* BERNARDUS SENOLLAR *Catalanus poeta.* PETRUS DE LA PANDA.

864. Duo Guilielmi capite iſto agmen ducent. Alter GUILIELMUS DE MONSERRAT Cataloniæ ac Tarraconenſis, ſive urbis ſive tractus, civis: de quo videndus Ludovicus Pons Icart in *Antiqui-Biblioth. vet. Hiſp.* Tom. II.

za y eſtudio: *Auctoris* (Franciſci) *Parentis, En un. Memorial que fizo de ſus Padres Abuelos y generacion*; ac demum: *Ferdinandi de Beatia, En ſu Chronica Granadina*: quode nos paulo inferius. Nullius autem horum videtur Noſter meminiſſe. Præterea Salazarius Mendoza in Petri Cardinalis Chronico Toleti 1625. edito *Lib. I. cap.* 16. *pag.* 65. *Salluſtii hiſtoriam;* & cap. 17. pag. 66. & 67. *Homeri Ulyſſeam* Hiſpanicè a Latino ſermone ab Eo converſam fuiſſe ait; necnon tractatum edidiſſe genealogicum ſatiſque uberem Familiæ de Haro... Demum in Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit. f. Plut. II. n.* 19. (T. I. pag. 492.) habetur Eiuſdem, dum Præſul eſſet Calagurritanus: *La habla que hizo à algunos Grandes de Caſtilla cuyo pareſcer era, que deſcompuſieſſen al Rey Don Enrique IV. el Cetro Real; y puſieſſen en èl à Don Alonſo ſu hermano que era de once años:::* ut mittamus quæ de Valerii Maximi verſione Eiuſdem Hiſpanica diximus ſuprà, *cap. V. huius libri n.* 269. in Notis.... ITEM Ferdinandus de Beatia cuius in Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit. y. Plut. III. ſub n.* 6. (T. II. p. 377.) exſtat Hiſtorica narratio, hoc titulo: *Las coſas que paſſaron entre los Reyes de Granada deſde el tiempo del Rey Don Juan de Caſtilla ſegundo de eſte nombre haſta que los Catolicos Reyes ganaron el Reino de Granada, eſcrito y copilado por Hernando de Baeza, el qual ſe hallò preſente à mucha parte de lo que cuenta; y lo demas ſupo de los moros de aquel Reino y ſus Chronicas...* ITEM *Lucena* (hunc titulum præfefert Regiæ Bibliothecæ Matritenſis liber, abſque Typographi, Loci, atque anni nota, ſed certe ad annum MD. editus) *hijo del mui Sapientiſſimo Doctor, y Reverendo Protonotario Apoſtolico Don Juan Remirez de Lucena* (Scriptoris operis *De vita beata*, de quo ſuperius egimus) *Embajador y del Conſejo de los Reyes nueſtros Señores, en ſervicio de la linda Dama ſu amiga eſtudiando en el preclariſſimo Studio de la Ciudad de Salamanca*: Repeticion, de amores; e arte de axedrez: con CL. Juegos de partido... ITEM *Petrus Pictor* (Pintôr) Valentinus Alexandri VI. Pont. Max. Medicus, ſcripſit tractatum Latinè inſcriptum: *Aggregator ſententiarum Doctorum omnium de præſervatione & curatione peſtilentiæ*, Romæ editum apud Eucharium Silvêr MCCCCXC. Fol. necnon Hiſpanicè vertit *Poematia quædam Italica Hieronymi Fenaroli & Mentovati: De Leandro & Ero*: apud Ferdinandum de Herrera Hiſpalenſem *comment.* ad Garſiam Laſſum *Soneto XXIX.* Verum hæc verſio patriſne an filii ſit (nam filium habuit cognominem, ut ex eius epitaphio in Ephemeridibus noſtris Romanis conſtat) incertum eſt.

ſubmittit. Citatur ſæpiùs hic liber à Philippo Probo in *Additionibus ad gloſſam ſuper hanc pragmaticam*; & à Ludovico Gomezio in Regulas Cancellariæ ſub nomenclatura Guilielmi Hiſpani. Prodiit hac noſtra ætate primùm, nî fallimur, in *Hiſtoriæ pragmaticæ* prædictæ & *concordatorum* altera parte, Pariſiis editæ anno MDCLXVI. Scripſit idem

866. *De ſucceſſione Regum Franciæ* tractatum, qui legitur volum. 13. *Tractatuum doctorum.*

867. GUILIELMUS alter GORRÎS Aragonenſis (quem Lucas Wadingus Franciſcanis ſuis annumerat, hac una coniectura ductus, quòd Scoto illuſtrando inſudaverit): ſcripſit in uſum pauperum & peregrinantium librum, qui ſic inſcriptus exſtat:

868. *Scotus pauperum, in quo Doctorum, & Scoti opiniones in quatuor libris Sententiarum contentæ dilucidantur, Toloſæ* (additur) *editum per eximium artium & ſacræ theologiæ profeſſorem Guilielmum Gorris Aragonenſem, ad pauperum utilitatem feliciter incipit: Quamquam componendi codices* &c. Vidimus in 4.° editum Toloſæ abſque temporis ulla nota in bibliotheca Barberina Romæ, ubi & vidit Alba, qui in *Militia conceptionis* opus laudat. Dirigitur ad illuſtriſſimum D.D. Alphonſum de Aragonia Cæſarauguſtanum antiſtitem digniſſimum, cui (ut adiungit auctor) *ſubditus Guilielmus Gorris poſt devotiſſima pedum oſcula ſe humillimè commendat.* Quæ ſubditi appellatio magis indicat ſæcularem quàm regularem clericum Guilielmum fuiſſe. Scripſiſſe autem eum ante MD. annum ex eo liquet, quòd prophetiæ cuiuſdam meminerit indicentis Mahometanæ impietati huius anni exitum.

869. Non diverſi temporis eſt GUNDISALVUS DE FRIAS Hieronymianus monachus domûs del Parral, natus in oppido *Arroyuelo* dioœceſis Burgenſis. Qui cum olim in Salmantino gymnaſio philoſophiam, theologiamque, atque artes rhetoricam & mathematicas per quindecim annos avidiſſime didiciſſet, & ſcholaſticam docuiſſet theologiam: concionum habendarum operi magno fructu addictus in Granatenſis nuper à Mauris receptæ urbis cœnobio, coram eius antiſtite Ferdinando Talabricenſi eximiam laudem reportavit. Plura de eo Ioſephus Seguntinus lib. 4. *Hiſtoriæ ordinis S. Hieronymi* cap. 42. Qui reliquiſſe eum refert in cœnobio *del Parral* manu propria, & minutis characteribus exarata ſedecim aut ſeptemdecim volumina. Pars eorum tranſcripta aliunde iuxta neceſſitatem eorum temporum, quibus editiones ſic erant raræ, qualia ſunt S. Thomæ *Summa*, *Boetii De conſolatione*, & aliorum opera, pars propriæ inventionis, ſcilicet

870. *Philoſophiam, ethicam, politicam, & œconomicam.*

871. *Sermonum* duo volumina, alterum *pro Dominicis & feriis per annum*, alterum *De Sanctis.*

872. *Super cantica Salomonis* volumen grande ad preces Ioannis Lopez, Eliſabethæ Reginæ à ſecretis.

873. *Epiſtolarum* grande aliud volumen.

874. *Hiſtoriam fundationis monaſterii Sancti Hieronymi Granatenſis.* Et alia, quæ deperdita inter manus incurioſorum iuvenum fuiſſe lamentatur idem auctor lib. 11. cap. 21.

875. Accumulamus iamiam abſoluturi huius ſæculi deſcriptionem Scriptores quoſdam, quorum tempora licèt in incerto ſint quodammodò; ex bonis tamen coniecturis vix alio, quàm quod percurrimus, florere potuerunt. GOMEZIUS quidam Franciſcanus celebratur ſic à Poſſevino, unde Wadingus profecit, nihil de domeſtico adiungens: *Gomezius Hiſpanus ordinis Minorum, ſcripſit De uniuſcuiuſque ſcientiæ, ac præſertim de naturalis philoſophiæ, ſubiecto. Incipit: Verum ſecundum philoſophos.* Hæc Poſſevinus. Franciſcus Gonzaga: *De cuiuſcumque ſcientiæ ſubiecto.* Librum non vidimus; exiſtimamus tamen eundem cum Gomezio Luſitano eſſe, cui inſcriptum exſtat inter alia Hermici Caiadi, de quo poeta Luſitano in altera parte Bibliothecæ nos agimus, hoc epigramma:

876. Ad Gomezium Luſitanum Theologum.

Communi grator patriæ, quæ te quoque alumnum
Inter delicias gaudet habere ſuas.
Gramina dum terræ fuerint, dum ſidera cælo,
Per te tolletur noſter ad Aſtra Tagus.
Tu rerum cauſas nôſti, tu myſtica ſacra,
Quæque ſub obſcura nube latere ſolent.
Occuluit natura nihil tibi. Tu potes ipſos
Sublimi haud dubiè ſcandere mente polos.
Quid ſanctos referam mores, vitamque probatam?
Quid linguæ referam plectra Latina tuæ?
Nil mortale ſapis. Divinas cuncta Gomezi:
Et citra cineres diceris eſſe Deus.

877. IOANNES ALVAREZ GATO Matritenſis, temporibus Ioannis II. Henrici IV. & Ferdinandi Regum æqualis, poeta fuit pro huius ævi captu celebris, & Eliſabethæ Reginæ Catholicæ œconomus: quod munus eius authentico inſtrumento comprobari Ægidius Gundiſalvi Davila in *Magnalium Matritenſium* opere pag. 198. ait. Sepultumque in Eccleſia S. Salvatoris paroeciali iacêre, cuius ſepulturæ inſcriptionem ibidem adducit. Carmina eius, tam ſacra quàm profana, in oppido *Chinchon* penes Garſiam Diaz Gato, eiuſdem ut videtur familiæ, exſtare, idem refert Avila (1).

878. IOANNES ALPHONSUS DE BENAVENTE ex quo nobiliſſimo veteris Caſtellæ oppido fuit oriundus, laudandus à nobis hoc loco venit, non aliis quàm Luci Marinæi Siculi verbis, qui inter alios viros Hiſpaniæ claros eius meminit lib. 7. *De Hiſpaniæ laudibus*: *Atqui Ioannes Alphonſus Beneventanus, doctor egregius, laudem quidem inter viros literis excellentes meruit non mediocrem: qui quantò doctrina & ingenio claruerit, ſua quidem opera, quæ multa & egregiè ſcripta reliquit, facilè declarant. Tempore enim quo Salmanticæ Ius profitebatur Pontificium, plura compoſuit, atque in primis pulcerrimam concionem, quam die Sancti Lucæ publicè in Salmantino literarum gymnaſio de ſcientiarum laudibus habuit. Item compoſuit de arte ſtudendi legendique. Item De memoria & pronuntiatione. Item ſcripſit* XX. *repetitiones. Item in Decretalibus ac Decreto multas interpretationes. Atque cùm etiam neque theologiam neque philoſophiam ignoraverit, in Evangelia, atque Ariſtotelis ethicam atque rhetoricam plura edidit, alioſque tractatus permultos. Denique huius ſcripta atque editiones ſexaginta numerum excedunt. Fuit præterea Salmanticæ plures annos canonici Iuris præſtantiſſimus profeſſor, & qui plurimum auditoribus profuit.* Subiungitque Ioannis Alphonſi patris mentionem, eius filii Alphonſi. *Ceterùm huic filius Alphonſus* (inquit) *Beneventanus doctor* (*ita communiter audiebat*: Doctor de Benavente) *in profeſſione ſucceſſit: qui noſtra tempeſtate magna & doctrina & auctoritate Ius idem Pontificium pleniſſimè docet.* Hæc Marinæus, qui eiuſdem operis lib. 2. memorans profeſſores Salmantini gymnaſii temporis quo id ſcribebat: *Pro Biblioth. vet. Hiſp.* Tom. II.

(1) Exſtant varia eius poematia, magna parte Erotica, in Cantionario Hiſpalenſi MDXL. à fol. LXXIX.

(2) In Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit. e. Plut. I. ſub n.* 5. (T. I. pag. 410. ſeq.): *Index caſuum in quibus parti denegatur audientia, & illa non vocata proceditur*: ampliatus per *Ioannem de Nieva* Alfonſi Auditorem.. Alfonſi *Repetitio ſuper cap. Sufficit De pœnitentia, Diſt. I.* recitata Salmanticæ anno Domini MCCCCXLIV.. *Repetitio De ieiunio, recitata MCCCCXLVI... Summa & expoſitio Canonum pœnitentialium in Decreto, Decretalibus, Sexto Decretalium & Clementinis... De poteſtate & arbitrio Confeſſarii, cum inſtructione pro iis qui confeſſiones excipiunt.* In fine Codicis: *Iſtam repetitionem fecit I. A. de Benavento Decretorum Doctor unam de Cathedris in Studio Salmantino Regens, die Iovis, XXIII. Octobris anno Domini MCCCC. LV. & compilavit & complevit Canones Pœnitentiales, & Actus Confeſſoris anno ſequenti LVI. in Loco de Texáres prope Salamanticam, cum Salamanticæ vigeret mortalitas à feſto Sanctæ Mariæ de Auguſto uſque ad medietatem Octobris, quam ſcripſit Alfonſus de Sancta Maria anno Domini MCCCCLVIII.*

fitetur (ait) *& Ius Pontificium Alphonſus etiam Beneventanus doctor inſignis, qui Ioanni patri ſuo, viro doctiſſimo ac præſtantiſſimo, de quo ſcripturi ſumus cùm de viris literis excellentibus loquemur* (alludit ad teſtimonium id quod exhibuimus) *ſucceſſit.*

879. Si autem credimus eidem filio Alphonſo de patre referenti, ut par eſt in viro tam alias claro quemque facere, omnes ferè diſciplinas Ioannes Alphonſus & liberales artes fuit proſecutus, nec minùs quàm ſexaginta, & ultrà, annis in academia iſta, non iuris tantùm Pontificii, Decretalium nempe ac Decreti; verùm & rhetoricæ & philoſophiæ profeſſor fuit. Ita Alphonſus in ad opus parentis præfatione, quod in ſchedis relictum poſt eius obitum ipſe edidit, ſcilicet:

880. *Tractatum De pœnitentiis & actibus pœnitentium, & confeſſorum, cum forma abſolutionum, & canonibus pœnitentiariis.* Salmanticæ apud Ioannem Gyſſer de Silgenſtad anno MDII. in 4.° atque iterum Burgis MDXVI. in 4.° Editio Salmanticenſis exſtat Hiſpali in bibliotheca maioris Eccleſiæ. Cui operi ſubiungimus ea, quorum Marinæus recordatur, forſan typis nondum commiſſorum,

881. *Orationem De ſcientiarum laudibus, in gymnaſio Salmantino die S. Lucæ habitam*, quo inchoantur ſtudia.

882. *De arte ſtudendi legendique.*

883. *De memoria & pronuntiatione.*

884. *Repetitiones diverſorum canonum* XX. Et *interpretationes* item plurimas

885. *In Ariſtotelis ethicam & rhetoricam.*

886. *In Evangelia.* Et alios multos tractatus, ultra ſexaginta (2).

887. HIERONYMUS quidam Ciſtercienſis monachus monaſterii S. Mariæ *de Benifazà* (*in Valentino regno*) laudatur, eo quòd ſcripſerit vulgari ſermone *Hiſtoriam Ioannis II. Aragoniæ Regis*; atque item *Arborem* genealogico more expanſam *ſucceſſionis Regum Aragoniæ.* Vincentius Bla-

ſcus lib. 5. cap. 37. *Hiſtoriarum Aragonenſium* auctor eſt.

888. IOANNES IVANDUS DE BARDAXÎ Aragoniæ civis ſcripſiſſe dicitur in Foros huius regni, quomodo leges appellant gentis: quem auctorem *doctiſſimi & prudentiſſimi iuriſconſulti* appellatione ornatum laudat Cenedus in quæſtione 45. *Dominum* vocant *de Balleſter & Selva*; ad eumque pertinet, ut audio, commentarius ita inſcriptus: *Suma de los fueros y obſervaciones del reyno de Aragon, y practica, referidas por Miſſer Miguel en ſu Reportorio.* Cæſarauguſtæ apud Ioannem Altaraque MDLXXXVII. (1)

889. TRISTANUS DE SILVA Civitatenſis eques nobiliſſimus, inter eos accenſeri ſolet, qui de rebus catholicorum Regum geſtis aliquid in literas retulere. Marinæi Siculi verba hæc teſtimonio ſunt principio XX. libri: *Meminerunt etiam belli Granatenſis protonotarius Petrus Martyr, Gonſalus Ayora Cordubenſis, regius hiſtoriographus, Alphonſus Palentinus, & Triſtanus Silvius.* Id quod confirmat Stephanus Garibaius lib. 18. *Compendii hiſtoriarum Hiſpaniæ* cap. 1.

890. Eiuſdem ordinis eſt FERDINANDUS DE RIBERA, civis urbis Bæticæ provinciæ *Baza* dictæ: quem idem Stephanus Garibaius cap. 1. lib. 18. ſui *Compendii* ſcripſiſſe ait vulgari carmine eleganti, nec minori fide, *Catholicorum* eorumdem *Regum res*; niſi quòd in manus deveniens liber D. Henrici, Regis Ferdinandi avunculi ac domûs Magiſtri: effugere (id quod fama fert) neutiquam potuit, quin ab eo quod erat in multis diverſus exierit; atque eo quidem vultu, quem appinxit ei laudatus Henricus, quem malè habebat, ea non pro deſiderio atque ambitu ſuo ab hiſtorico poeta referri.

891. Adiungimus eiuſdem Garibaii fide his duobus Ferdinandi & magnæ Coniugis hiſtoricis ALPHONSUM DE FLORES Salmanticenſem. Nam & hic partem aliquam habuit in de horum rebus admonenda poſteritate: *De his* præcipuè, *quæ in bello Luſitano iuxta urbes Taurum Zamoramque contigêre.*

892. Coniicimus in hoc & alia capita, quibus abſolvendus eſt liber ultimi huius ſæculi nomenclator, eos omnes, quos quidem eo vixiſſe, non tamen quo eius anno vitâ functi ſunt compertum habemus. DIDACUS HENRIQUEZ DEL CASTILLO unus ex his eſt, cuius diem obitûs cives etiam eius Segovienſes ignorant. In hac etenim urbe natum, ex Caſtellorum familia, quæ iam extincta fuit, Didacus Colmenares in hiſtoria eiuſdem urbis, ubi celebrat viros eius illuſtres, diſertè ait. Archicapellanus fuit, & à conſiliis Henrico Caſtellæ Regi IV. & intimè carus, magnique habitus: utpote qui eius partibus intemerata fide quoquo tempore addictus, legationem non unam eius nomine obivit. Neque contemnendum huius magnæ de eo exiſtimationis indicium Henricus dedit, cùm venienti ad ſe Roderico Borgiæ Cardinali, qui Alexander VI. Pontifex aliquando fuit, Xyſti Papæ IV. nomine cum viro aliquo à Rege deſtinando de rebus magni ponderis acturo: unum inter tot alios Caſtellum delegit, cui fidiſſimo erga ſe, & negotiis quibuſcumque tractandis idoneo, id munus committeret: quod idem refert hiſtoriographus hiſtoriæ laudatæ cap. 159.

893. Huic eidem partes traditæ ſunt conſcribendorum Regis ſui temporiſque geſtorum, quam difficillimam turbatiſſimis rebus domeſticis, & inter factiones diviſo imperio, aliòque atque aliò tractis partium odio aut amore, iudiciis hominum, provinciam non ſine laude, etiam eorum qui ex adverſo erant, & victricis demum cauſæ defenſorem geſſiſſe viſus fuit. Alphonſus enim Palentinus Eliſabethæ Reginæ ſecutus partes, eiuſdem temporis, earumdemque rerum deſcriptionem, plaudente narratis exitu feliciùs peregit. Nec tamen in Caſtello deſideres, quoties honeſtas expetit, veri dicendi amorem. Regi enim exprobrat non obſcuris verbis immoderatam erga Ioannem Paciecum, quamvis aliàs virum multis virtutibus commendabilem, animi alienationem: quam & malis artibus ac veneficiis procuratam ab eo fuiſſe, claris admodum indiciis in ſuſpicionem hominum veniſſe ait. Eliſabetham Reginam eo quo decebat verborum obſequio proſecutus ubique fuit; nec diſſimulat Ioannæ cauſam quampluribus haud legitimorum argumentis natalium premi; laudatque Dei optimi maximi providentiam in diſponenda per tot caſuum diſcrimina Eliſabethæ ſucceſſione.

894. Excuſat certè is in hiſtoriæ proœmio, ſi quid minùs compertum in enarrandis Henrici rebus proſperis ſibi exciderit. Dum enim ea gererentur, Segoviæ is captus, & in poteſtate magnatum Regi adverſantium, non ſine magno vitæ periculo fuit; omniumque ad hoc tempus à

(1) Meminit eius Franckenavius *Sacr. Themid. Hiſp. arcan. ſect. VIII. n. XXIII.* pagg. Edit. Matrit. 1780. 147. & 170.

à ſe hiſtoriæ corpori commiſſorum iacturam fecit. Quod nos hìc ſubiiciemus, verbis uſi laudati Alphonſi Palentini lib. 10. hiſtoriæ ſuæ eiuſdem temporis & argumenti MS. cap. 1. dum captam ab Alphonſo Rege Segoviam urbem, in qua degebat Caſtellus, refert. *Poſtquam Segoviam & ſuburbia omnia poſſedêre Alphonſini duo equites, quorum alter Toletani* (Archiepiſcopi), *alter verò Magiſtri S. Iacobi, percepêre quodam in hoſpitio mulierculæ repoſitas fuiſſe ſarcinulas cuiuſdam hiſtoriographi Henriciani, & iumenta duo. Prorumpunt confeſtim, & eductis iumentis arcas duas portatiles referant. Sed ubi vident libellos tantùm in iis eſſe, monumenta recondita deferunt ad Archiepiſcopum. Qui primus aperit libellos monumentorum, & reperit Henrici Annales contineri innumeris mendaciis plenos. Haud multò pòſt ducitur hiſtoriographus ille, cui nomen Didacus del Caſtillo. Tunc Toletanus coram optimatibus aperit noviſſimam narrationem Ulmetenſis prælii, quod ad dies quadraginta dehinc acciderat, præſentibus commune atque recens. Perlegit in codice manifeſtas inconditaſque nugas. Silet auctor, neque interrogantibus rectè reſpondit. Iubet Rex Alphonſus plecti: obſtitit in fine Eccleſiaſticum nomen. Mihi codicilli traduntur obſervandi, ut modus inveſtigaretur publicationi nugarum. Sed ut omnia præcipitabantur, præcibus nonnullorum procerum, & mendax auctor evaſit, & libellos Toletano reſtitui.* Hucuſque Palentinus.

895. Nec mirum partes ſecutum Henrici Caſtellum, venalem aut obnoxium calamum ad hiſtoriam adduxiſſe. Vero autem ſimile videtur, eo mortuo prævalenteque adverſaria parte, ad incudem ſcripta revocâſſe; multaque in ea, quam hodie habemus adhuc ineditam eius hiſtoriam, in meliùs commutâſſe. Quæ incipit: *Quanto los principes ſeñalados* &c. & CLXVIII. capitibus continetur: de qua videndus Colmenares laudatus, & Garibaius lib. 17. cap. 3. Exempla eius quædam ſunt in bibliotheca Villumbroſana Matritenſi, & paſſim alibi (1).

896. IOANNIS CONSOBRINI (vulgò SOBRINHO) Luſitani tempus mortis incompertum eſt; vixiſſe autem exeunte hoc ſæculo, Ioanni Trithemio haud credentes, qui extinctum diu antè, anno ſæculi LXXV. ſcriptum reliquit, Luſitani aſſerunt. Civis enim eorum fuit Ulyſipone natus, ordini Carmelitarum aggregatus. Neque dicunt, quo fato Luſitanus homo in Angliam venerit adoleſcens, ibique in Oxonienſi academia literis operam dederit. His adiungunt, in Italico Bononiæ urbis gymnaſio theologum doctorem creatum, atque in patria concionatorem regium, Portugalliæ provincialem præfectum, necnon & Alphonſum V. & genitorem eius Eduardum docuiſſe literas. Cuius rei non impoſſibilis, eodem ſcilicet præceptore uſum utrumque, fidem affirmantibus, non derogamus. Concionibus operam habendis magna cum laude dediſſe fertur, ac poſt edita quædam in publicum opera veneno ſublatum dolo Iudæorum fuiſſe.

897. Scripſit tractatum utiliſſimum *De iuſtitia commutativa, arte campſoria, ac alearum ludo.* Prodiit ex officina Pariſienſi Guidonis, aliàs Gedionis, mercatoris in campo Gaithardi anno MCDXCVI. in 8.° Georgius quidem Cardoſus in *Hagiologio Luſitano*, qui Conſobrini meminit, die XI. Ianuarii, editum opus anno MCDLXXXVI. in 4.° referens deceptus fortè fuit.

898. *Super Ariſtotelem* lucubrationes quaſdam eius, & *Sermones varios* laudat Ioannes Trithemius. Hos autem ſermones prodiiſſe etiam foras audio.

899. Franciſci necnon Mayronis *Conſlatile*, ſive huius appellationis opus Logicum, cuius Wadingus in Mayrone meminit, redegit in compendium. Item *De conceptione Deiparæ Virginis*; ac vernaculè ad

(1) Exſtat in Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit. m. Plut. I. n. 23.* (T. III. p. 180.) Item *Lit. y Plut. III. n. 3* (T. I. p. 372.) Et *Lit. x. Plut. II. n. 6.* (pag. 411.); atque eâdem Litera & Pluteo n. 15. (pag. 423.) in cuius codicis extremo folio habetur ogdoaſtichum ſequens:

Al Lector
Aqui no ſe cuentan muy grandes hazañas
Ni hechos famoſos, ni altos primores;
Mas muchas cautelas de grandes Señores,
Y muchos inſultos en nueſtras Heſpañas:
Aqui veras juntas en muchas cabañas,
Aqui ſervidores, aqui desleales,
Quitando tyaras y cetros reales
Por artes, aviſos y formas y mañas;

Et continuò:

Fue un Rey lleno de afan
De mil congojas cercado.
Fuera bienaventurado
Si lo dejára Don Juan
Pacheco ſu gran privado.

Didaci del Caſtillo, si is eſt de quo Noſter hoc loco agit, exſtant poematia quædam erotica in Cantionariis noſtris. In pſeudepigrapho autem Ioannis Yxarenſis codice ſæpius à nobis laudato paulò ſub medium habetur poema egregium LXII. ogdoadibus trimetris conſtans hoc titulo: *Deſcripcion del tiempo en que la viſion de lo ſiguiente ſe comiença ſobre la muerte del Rey Don Alfonſo.* Inc.

, Avia recogido ſus crines doradas
, Apolo faziendo lugar à Diana &c.

ad Eduardum Regem discipulum : *O regimento de ouvir con perfeiçaon ò ſonto ſacrificio da Miſſa.* Hoc est, *Inſtructionem ad perfectè audiendum ſacrum* (1).

900. PETRI NUÑEZ DE OSMA nomen præsefert liber quidam MS. in quo hæc habentur : *Los libros de los Macabeos traducidos en Romance à inſtancias de Lope de Acuña.*

901. *Suma de virtuoſo deſeo.*

902. *Un ſumario de los Reyes de Leon y Caſtilla, deſde Don Pelayo haſta los Reyes Catolicos.* Exstat in bibliotheca Comitis olim de Villaumbrosa, Castellæ magni Consilii præsidis.

903. Fini huius sæculi adiudicamus ALPHONSUM DE SOTO Civitatensem, cuius fama in aperto loco posita est, non item res in patria gestæ. Saltem vixisse Romæ iuris praxi deditum per viginti duos annos, atque in eadem Romana Academia, & alibi id ipsum ius docuisse novimus, eius hæc verba legentes : *Nam viginti tribus annis volvi & revolvi ius canonicum & civile : quorum* XXII *practicavi in curia, & legi hic quinque, & in partibus tribus, tamen nunquam reperi* &c. *in gloſſemate ad Regulam de triennali*, de quo opere iam dicemus. Floruit hic maximè sub Innocentio VIII. qui anno huius sæculi XCII. in vivis esse desiit. Cuius temporis est monumentum quod nobis doctrinæ suæ reliquit, scilicet

904. *Gloſſam perpetuam ad Regulas Cancellariæ Innocentii VIII. Papæ.* Hæ sunt leges, quibus unusquisque Pontifex statim ab electione sua beneficialia negotia omnia expediri debere statuit : quæ nimirum eædem ferè omnium sunt, nec nisi rarò mutantur. Hanc glossam edidit, sed non primus, Ioannes à Chokier Leodiensis Ecclesiæ canonicus, cum suis ad easdem Regulas Cancellariæ nomine Pauli V. promulgatas commentariis anno MDCXXI. Coloniæ in 4.° sed absque nota loci temporisve typis editam olim novimus cum hac epigraphe : *Alphonſi à Soto Civitatenſis, & Salmantini Theſaurarii opuſculum, ſeu commentarius in Regulas Cancellariæ Innocentii VIII.* in 4°. Cuius quidem Alphonsi veterem operam veluti utilem & doctam ii laudant, qui post eum etiam ante Chokier prædictum eidem incubuerunt operi, seu aliàs *De beneficiali re* commentati sunt.

905. Meminit quidem eius glossæ Quintilianus Mandosius, qui Regulis Iulii III. commentarium librum appossuit, in ipso illius principio : uti & Hieronymus Gonzalez in procemio ad legem 8. At & alibi Mandosius dixit Alphonsum terminos quosdam præclaris etiam Doctoribus ignotos declarâsse, pluresque nodos insolubiles solvendi viam ostendisse : quod Chokier ipse testatur in præfatione ad lectorem suorum commentariorum : ubi etiam notat ex Garsiæ testimonio in tractatu *De beneficiis* hanc glossam maximi factam semper in Auditorum, ut vocant, Rotæ dicasterio. Id Garsia habet par. 5. *De beneficiis* cap. 1. §. 5. n. 275. Sed & Æneas de Falconibus in tractatu *Reſervationum* secunda quæst. principali, num. 2. *Alphonſus à Soto* (inquit) *qui commentavit Regulas Cancellariæ tempore Innocentii VIII. de quo nonnulli curiales truffantur ; ſed iudicio meo non eſt contemnendus* &c. Approbantur planè eius dicta in pluribus *Sacræ Rotæ deciſionibus*, quarum aliquas collegit *ſingularium ex Rotæ deciſionibus* parte 3. Theodosius Rubeus Privernas. Scripsisse autem eum alia nonnulla opera, ex hac ipsa glossa, quam unam habemus, liquet, nimirum :

906. *Tractatum Iubilæi Xyſto IV. dicatum.* Meminit ipse ad procemium *Regularum.*

907. *Tractatum Camerariatûs.*

908. *Tractatum de futuro Concilio ad eundem Xyſtum.*

909. Alium item directum *Dom. Epiſcopo* (ut credimus) *Tiraſonenſi* : quorum omnium in eiusdem glossæ ad procemium fine recordatur.

910. Diximus lib. 9. c. 7. de Gundisalvo Gundisalvi de Bustamante Segoviensi Episcopo cuiusdam operis auctore *Peregrina* appellati, hunc ab alio distinguentes alterius pari nuncupatione donati libri auctore. Is est BONIFACIUS Lusitanus, Petri Garsiæ Ulysiponensis filius : qui notum sese posteris voluit Ioannæ Reginæ Castellæ & Legionis (quâ Henrici IV. uxorem fuisse significatam credimus, quæ Lusitana fuit) auditoris titulo.

911. Composuit & hic *Peregrinam* alteram, à compilatore dictam *Bonifacianam*, quæ incipit à verbo : *Abbas, clericus*, & glossa ipsa : *Sacratiſſimæ aſſiſtant mihi præſidia Trinitatis.* Sequiturque pro facienda dictorum à nobis fide : *Ita certè mihi videtur Bonifacio filio quondam Petri Garſiæ Ulixbonenſis civitatis in regno Portugalliæ, & ſereniſs. dom. Ioannæ Reginæ Caſtellæ & Legionis auditori.* Est quidem veluti Iuris index, & sententiarum, seu conclusionum eius ab auctore glossatarum, satis vasto volu-

(1) Mirum huius Scriptoris non meminisse Anonymum Bibliothecæ Carmelitiæ Aurelianis 1752. edi-

tæ auctorem. Eum saltem in *Ioanne Conſobrino*, & *Sobrino* frustra quæsivi.

lumine : quod excusum vidimus operâ & impensis (ut ait) Lazari de Gazanis sociorumque, per Meinardum Ungut Alemanum, & Stanislaum Polonum socios, anno Incarnationis salutiferæ MCDXCVIII. die XX. Decembris.

912. PETRUS CASTROVOL Hispanus videtur, dum aliunde haud noster appareat, si quidem Pampilone anno MCDXCVI. edidit *Commentarium in Ariſtotelis Œconomica* : quem asservari in Ecclesiæ Toletanæ bibliotheca pluteo seu scalâ 37. num. 15. ex eius indice novimus (1).

913. Floruit quidem sub huiusce finem sæculi, immo & sequens attigisse dicitur, nono eius fato functus, IOANNES HISPALENSIS (hoc est, DE SEVILLA propriè cognominatus), Augustinianorum sodalis, quibus aggregatus fuit Salmanticæ anno huius sæculi octogesimo secundo, multis clarus virtutibus, & sanctitatis famâ ; siquidem Gundisalvo Ferdinandi à Corduba magno, ut cognominari adeptus fuit, Duci, nuncupavit à se scriptam *Vitam ſancti viri Ioannis de Sahagun* eiusdem ordinis, propediem cælitum catalogo, cùm Sanctitati placuerit Innocentii XI. solemniter [m] adscribendi : quam penes se manuscriptam velut sanctissimi viri pignus, in magno pretio haberi à Salmantinis sodalibus auctor est Thomas de Herrera in historia huius cœnobii.

[m] Iam inter divos relatus est ab Alexandro VIII. Pont. Max. an. huius sæculi decimi septimi nonagesimo, simul cum aliis quatuor virtutum heroibus. ut alibi notavimus. CARDIN. DE AGUIRRE.

914. Celebratur non iniquâ famâ huius temporis historicus, qui ea quæ vidit aut saltem eo vivo contigerunt, scripsit, DIDACUS BERNALDEZ parochus in oppido *Los Palacios*, diœcesis Hispalensis, in eo opere quod *Coronica de los Reyes Catolicos* inscripsit, nescio quo bonorum auctorum fato hactenus ineditum ; sed à Roderico Caro in *Chorographia Conventûs iuridici Hiſpalenſis* non semel laudatum, aliisque. Cuius Chronici duo exempla Hispali possident D. Didacus Ortiz de Zuñiga, Annalium urbis Hispalensis accuratissimus & doctus conditor, iam cùm hæc exaramus ad meliorem vitam translatus ; & Felix Escudero, eiusdem urbis civis. Quare autem hæc historia in *Elencho librorum* MSS. *Comitis Villumbroſani* baccalaureum *Medina* præ se auctorem ferat, certiores fieri cupimus.

(1) Exstat huius editionis mentio apud Maittairium *Ann. Typogr. T. I. part. I. pag.* 337. Petri (inquit) *de Caſtrovôl Ord. Minor. Comment. ſuper Œconomic. & Politic. Ariſt. per Guillelmum de Brocario Pampelunæ* 1496.

(2) In Catalogo Bibliothecæ Domini Ioachimi Ibannezii Garsiæ Præcentoris olim Turolensis, inter editos legitur : *Pertuſa ſuper Foros & Obſervantias Regni Aragoniæ*, absque Typographi tamen, Locive, aut anni nota. De eo Franckenavius *Sacr. Them. Hiſp. ſect. VIII. num. II.* pag. *Edit. Matriti.* 1780. 145.

915. ANONYMUS scripsit *Hiſtoria de Don Rodrigo Ponce de Leon Marques de Cadiz, llamada Teſoro de buenos* : quam inter libros MSS. eiusdem bibliothecæ Villumbrosanæ Matriti exstare novimus ; eiusque ignotum hunc auctorem hoc loco laudamus, quòd Rodericus Marchio sub anno huius sæculi nonagesimo secundo in vivis esse desierit.

916. Ad huiusmet sæculi finem consignare iuvat memoriam MARTINI cuiusdam PERTUSA, qui proximè ad ætatem Alphonsi Regis V. Aragoniæ vixisse, at non quo devixerit anno, dicitur. De hoc nîl debeo aliud quàm verbis Hieronymi Blancæ virum laudare : *Ita enim rem geſtam exponit* (ille ait in *Aragonenſium rerum commentariis*, & *Martino Didaci Auxio Iuſtitia* pag. 822.) *Martinus Pertuſa iuris & literarum peritiſſimus, huic ætati adiunctus proximè, quem conſtat tum civem gravem, tum in magnorum patronorum numero habitum fuiſſe illis temporibus ; nam & Zalmetina fuit, & multa de Legibus noſtris ſcripſit, quæ exſtant apud nonnullos non edita, ex quibus colligitur ingenii acumine floruiſſe nimium. Is ergo, dum Forum* Yatsia, *De officio Iuſtitiæ Aragonum editum in comitiis Alcagnitii, Iuſtitia hoc aſſidente, anno Chriſti MCDXXXVI. habitis interpretatur* &c. Apponit statim auctoris verba (2).

917. Ipso sæculari anno millesimo quingentesimo Petrus Hagembach Germanus ex officina sua emisit in lucem doctoris ANTONII GARSIÆ DE VILLALPANDO, Toletanæ Ecclesiæ canonici, qui ad familiam pertinebat summi viri D. Francisci Ximenii Toletani antistitis & S. R. E. Cardinalis, eiusque vices generales in visitanda diœcesi obtinebat : *Inſtructionem vitæ Chriſtianæ* vernaculâ llnguâ Toleti in 4.°

918. Huius quoque sæculi pars fuit PETRUS TERRASA Carmelitanus : cuius *Oratio Romæ habita coram Xyſto IV. Pont. Max. De divina providentia, quartâ Dominicâ Quadrageſimæ anni* MCDLXXXIII. impressa fuit Romæ eodem anno in 4.° (3).

919. Sub eiusdem finem, Catholicis regnantibus Ferdinando & Elisabetha Castellæ & Aragoniæ Regibus, PETRUS TOMICH Catalanus historiam scripsit *Aragoniæ*

(3) Anonymus Bibliothecæ Carmelitanæ Aurelianensis 1752. auctor *T. II. pag.* 606. *col.* 1. nonnulla præterea eidem tribuit ; sed quæ lucem hactenus non viderunt.

niæ Regum, *Barcinonenſiumque eorundem Comitum*, uſque ad Ioannis laudati Ferdinandi parentis obitum, ſive annum ſæculi nonum ſupra ſeptuageſimum; & quidem gentis vernaculo ſermone, quæ edita eſt. Familiaris hic Bernardi Garceraní Pinoſii Vicecomitis *de Illa & de Canôt*, quod ipſe affirmat auctor, librum dirigens Dalmatio de Mur Cæſarauguſtano antiſtiti; quem dicti Bernardi Vicecomitis fratrem appellat. Attamen cùm in eadem præfatione operis ſcribere ſe Tomichus hæc referat Bagæ anno MCDXLVIII. nec poſt annum MCDLVI. Dalmatius Cæſarauguſtanus vixerit: neceſſe eſt, ut vel alterius auctoris ſint capita duo poſtrema, quibus Alphonſi V. & Ioannis eius geniti regna breviſſimè, neque pro dignitate, pertractantur; vel ipſe auctor annum ſupergreſſus ſeptuageſimum nonum ſæculi, quo Ioannis ultimi horum Regum mors contigit, hæc de novo completæ iam olim ac nuncupatæ hiſtoriæ adiunxerit.

920. Cui quidem Hiſtorico ſatius fuiſſet abſtinere manum ab ultima antiquitate, reſque idoneorum teſtium dictis notiores, utpote recentiores, perſequi; quàm in origines urbium nominumque Cataloniæ ſuæ, coniecturâ tantùm duce, eaque veteribus memoriis parum ſubactâ, inquirere. Profectò non ei opprobrari poſſet, quòd Ilerdam, ſive (quomodo corrupti hodie vocant) *Leida*, quaſi caput legum à Iulio Cæſare: Toletum à duobus equitibus *Tol* & *Letum*: Segoviam à duobus aliis *Segorbin* & *Cobia* nominatis, dictam affirmet. Quòd item Pelagium Regem *Peregrinum*, nec alio vocet nomine, Ermeneſendam eius filiam, Alphonſi Catholici uxorem *Faucilliam*, prolemque eo ex matrimonio natam Alphonſum, qui verè Froilanus fuit, appellet: *Filomenam* Carolo Magno Francorum Regi à ſecretis, hiſtoricum, nulli uſquam notum adducat: de quatuor primis Francorum Regibus, *Moroyno*, *Clodoveo*, *Clomo*, & altero *Moroyno* (quomodo eos appellat) colore nigris, ac duobus aliis *Clodoveo II.* & *Childerico* ſubnigris: quòd eiuſdem forſan pſeudo-hiſtorici fide primum ex his Regibus Chriſtianiſmo initiatum, non *Clodoveum* ſed *Childericum* vocet. Quod ultimam huius primæ Francorum propaginis ſtirpem, *Bercam* nomine, *Arvolti* filiam, à Carolo Martello ductam uxorem, omneſque huius primæ genealogiæ Reges cruce ſignatos, in ſcapulis natos fuiſſe prodat. Quòd expeditionem referat Caroli Regis Magni in Cataloniam anno DCCXC. unà cum Romano Pontifice, qui hoc anno Hadrianus erat, factam: multiplicatorum coram iis ab eremitis quibuſdam in valle quadam Pyrenæorum montium duorum panum, ut olim à Domino noſtro in deſerto, adeò ut millia hominum duo ſatiarentur, miraculo celebrem. Multos ex iſtis errores reprehendit Michael Carbonellus, qui operâ Hieronymi Pauli adiutus viri clariſſimi, *Chronicon Hiſpaniæ*, vulgaris item Cataloniæ Principatûs linguæ maiori diligentia formatum nobis dedit.

921. ANONYMUS, de PALMA cognominatus, tituloque baccalaurei ornatus, direxit ad Catholicos Reges librum, *Reſtauracion divinal* dictum. Huius hominis & operis meminit Ferdinandus Mexia in *Nobiliario* ſuo lib. 3. cap. 6.

922. Eodem floruit tempore inter Franciſcanos ſodales FR. ALPHONSUS DE FUENTIDUEÑA, ab huius nominis loco, qui Tago adiacet in Toletano regno, ſortè dictus: ſcripſit opus *Titulo virginal de nueſtra Señora*, vernaculo ſermone, quod editum fuit in folio anno MCDXCIX. auſpiciis, ut dicitur, nobiliſſimæ ac devotiſſimæ dominæ Dom. Briandæ Manriquiæ, magnificentiſſimi domini Dom. Ludovici de Beaumonte coniugis. Exſtat in bibliotheca Colonæa Hiſpalenſis Eccleſiæ. Auctorem hunc non ſuo loco dedimus in altera, ſeu poſteriore parte huius bibliothecæ, ſed in titulo libri malè poſitum fuit pro *Virginal*, *original*; atque item annus editionis falsò dicitur fuiſſe anno MDXCIX. cùm fuerit MCDXCIX.

923. Catalanus poeta BERNARDUS SENOLLAR edidit *en coplas Catalanas* librum pium, *Contemplationem Chriſti* inſcriptum Valentinis typis Iacobi de Villa MCDXCIII. in 4.° (1).

(1) Idem eſt cum *Bernardo Fenollár* de quo, deque hoc eiuſdem opere dictum non ita pridem.

ADDENDI SUB EXTREMUM SÆCULI XV.

Antonius Ximen Segobricenſis Valentinus, cuius iam meminit Noſter *Biblioth. nov. T. I. pag.* 130. anno MD. edidit: *Poema de Tormis* (qui Salmanticam allnit) *inundatione.* 4°. ſed abſque Typographi & Loci nota... ITEM *Gomezius Garcia* toletanus Presbyter, cuius item meminit Noſter *Bibl. nov. T. I. p.* 414. anno MD. Hiſpanicè edidit opus inſcriptum: *Carro de dos vidas, activa y contemplativa. A la generoſa muy noble y muy devota Señora Doña Leonor de Silva Monja profeſa en el monaſterio de la Madre de Dios de la miſma Ciudad*: cuius mentionem inculcare hoc loco placuit, ut adiiciamus, in eius operis exemplo quod nobis obtigit ſub finem legi: *Por mandamiento del Reverendiſſimo Señor Don Diego furtado de mendoça Patriarcha de Alexandria & Arçobiſpo de Sevilla fue viſta è aprobada eſta obra por los Reverendos Señores el Doctor Don Fernando de la Torre Arcediano de Reyna y Proviſor: E Maeſtre Rodrigo de Santa Ella Canonigos en la ſanta Igleſia de la meſma Ciudad de Sevilla...* ITEM *Ferdinandus Vazquez de Arce* Prior Eccleſiæ Oxomenſis & Regius Capellanus: *Los Autos originales de la Viſita que de mandato de los Señores Reyes Catholicos mediante facultad del Papa Alexandro VI. hizo del Real Monaſterio de las Huelgas de Burgos del Orden de San Bernardo; y del Hoſpital del Rey anejo à dicho Real Monaſterio, deſde el Martes primer dia de Abril del año MD. aſta fines de Julio del miſmo año...* ITEM *Martinus Caro del Rincon* Pagador (quemadmodum ipſe ſe indigitat) *del Artilleria de Su Mageſtad*, auctorque, circa finem huius ſæculi, aut ineunte XVI. metrici operis inſcripti: *El Satreyano: el qual trata de los valeroſos hechos en armas, y dulces y agradables amores de Pironiſo Principe de Satreya y de otros Caualleros y Damas de ſu tiempo. Dirigido al Iluſtriſſimo Señor Don Juan Manrique de Lara Señor de la Villa de San Leonarde y ſu tierra &c.* Eſt autem volumen ingens ac ſtupendi laboris opus, DLII. non minus paginis maioris formæ conſtans, quarum ſingulæ X. trimetras ogdoadas exhibent; prorſus ut coniunctim omnes quinquies mille & quingentarum numerum exſuperent; continetque moralem allegoriam *De turpi atque honeſto amore*, deque infelici illius, atque fortunato huius exitu, innumeris pæne hiſtoriolis ſeu confictis narratiunculis, ex earum genere quas in erraticæ militiæ libris paſſim legimus, ſupra quam dici poteſt artificioſe contextam, atque in cantus XLIX. diſcretam: quibus ſubditur perbrevis & proſaica peculiarium in iiſdem contentarum allegoriarum expoſitio. Exſtat in Bibliotheca Regia Matritenſi... ITEM *Gundiſalvus Garſias de Sancta Maria* civis Cæſarauguſtanus, (cuius iam meminit Noſter *Bibl. Nov.*) anno MD. correxit, atque Alfonſi de Aragonia Adminiſtratoris perpetui Archiepiſcopatûs Cæſarauguſtani nomine, edidit Conſtitutiones tam Provinciales quam Synodales eiuſdem Archiepiſcopatûs, immo potius earum collectionem ab anno MCCCXXVIII. quarum Auctores recenſet Alfonſus in earum prologo, Ad Abbates, Priores, Archidiaconos, Archipresbyteros, Capitula, Collegia, Conventûs &c. per Diœceſim præfatam conſtitutos. *Invenimus namque* (inquit) *veteribus in codicibus: primum Archiepiſcopum noſtrum preceſſorem* PETRUM *nomine primas edidiſſe provinciales conſtitutiones Ceſaraug. Anno á nativitate Domini Milleſimo. CCC. XXVIII.* Eundem *etiam ſecundas provinciales feciſſe anno Domini M. CCCXXXXII. Ac etiam primas* ſinodales: *anno Domini MCCCXXVIII. Et ſecundas ſinodales: anno Domini MCCC. XXXVIII. Subſequenter* DOMINUS LUPUS *archipreſul: ſucccedens eidem: condidit primas ſinodales conſtitutiones: anno Domini M.CCCLII. Secundas vero ſinodales, anno Domini MCCCLVII. Tertias vero ſinodales: anno Domini M.CCCLXI. Quartas denique ſinodales fecit: anno Domini M.CCCLXXVII. Subſequenter vero:* DOMINUS GARSIAS *archipreſul primas ſinodales: anno Domini M.CCCLXXXXIII. Iterum & idem alias provinciales: anno Domini M.CCC. LXXXXV.* DOMINUS FRANCISCUS *pariter archipreſul: ſinodales quaſdam firmavit: anno Domini M. CCCC. XVII. Et reverendus Dominus* FRATER SANCTI STEPHANI: *in celio monte* DE FUXO *vulgariter nuncupatus: presbiter cardinalis: à latere apoſtolice Sedis legatus: qui in concilio dertuſenſi vocatis provincia tarraconenſi & ceſaraug. quaſdam fecit conſtitutiones. V. menſis nouembris: anno Domini M. CCCCXXIX.* ET DOMINUS DALMATIUS *quatuor tantum fecit conſtitutiones verbis romantialibus. Ac demum* DOMINUS IOANNES DE ARAGONIA: *quaſdam fecit die. XIIII. madii: in uilla de albalat noſtre menſe: Anno Domini M.CCCC.LXII. Qui poſt eaſdem iterum: & de nouo firmavit cum aliquibus additionibus: correctionibus: & emendationibus: ut in fine uniuſcuiuſque apparet: anno Domini M. CCCC. LXXV.* NOS *uero* ALFONSUS *prefatus:* immediatus *eiuſdem ſucceſſor: fecimus primas ſinodales: ceſarauguſte XI. decembris. Anno Domini M.CCCC.LXXIX. Secundas uero ſinodales: Ceſarauguſte Anno Domini M.CCCCLXXXVII. Tertias etiam: anno Domini M CCCC.LXXXXV. Et quia valde laborioſum videbatur &c.* Reliqua huc non pertinent. In libri fine fol. LXXXVIII. pag. 1. legitur è minio: *Finiunt Conſtitutiones Synodales archiepiſcopatus Ceſarauguſtani: emendate & correcte per egregium doctorem dominum* GONDISSALVUM GARSIAM DE SANCTA MARIA: *ciuem Ceſarauguſtan. illuſtriſſimi ac reverendiſſimi domini Alfonſi de Aragonia: eiuſdem Archiepiſcopatus adminiſtratoris perpetui aduocatum. Impreſſe in inſigne ciuitate Ceſarauguſtana: per diſcretos & peritos viros ac fideles ſocios Georgium coci: Leonardum butz: & Lupum appentegger: Germanice nationis. Que fuerunt finite: ultima die menſis Aprilis: Anno ſalutis Milleſimo quingenteſimo:* QUORUM occaſione de Conſtitutionibus Metropolitanæ Eccleſiæ noſtræ Valentinæ non otioſum fuerit hoc loco repetere quæ ſupra, *lib. VIII. in fine capitis 2. pag.* 47. diximus, nimirum *Andream Albalatum Epiſcopum Valentinum* ab anno MCCLV: ad MCCLVIII. nonnullas in Synodis Valentinis Conſtitutiones edidiſſe, quæ habentur apud Card. Aguirre *T. III. Concilior. Hiſp. vet. edit. Rom. à pag.* 506: Iis autem adiungi poſſunt quas eius in Sede Valentina ſucceſſor *Arnaldus de Peralta* ab anno MCCLXI. ad MCCLXXII. vulgavit, apud eundem Aguirrium loco citato *pag.* 516. reliquæ ad ſæculum XVI. ac proinde ad nos non pertinent.

924. PETRUS DE LA PANDA inſcriptus legitur cuidam volumini antiqui characteris, ſed qui huius quidem temporis eſt, *Biblioth. vet. Hiſp.* Tom. II.

NOTATORIS MONITUM; AC DE POETIS; DEQVE SCRIPTORIBUS HEBRÆO-HISPANIS SÆCULI XV.

Scriptores quos ad ſæculi ſequentis ſive XVI. initia reiecit Noſter quamvis ſub extremum præcedentis ſeu XV. lucubrationes ſuas vel aliquam earum partem conſcripſerint ediderintque: nimirum *Rodericum Borgiam*, ſive Alexandrum VI. Pont. Max. *Bernardinum Carvajalium* S. R. E. Cardinalem; Ferdinandum de Talavera Hieronymianum Archiepiſcopum Granatenſem: *Martinum Garſiam* Epiſcopum Barcinonenſem: *Rodericum Sancta-Ellam*: *Antonium Nebriſſenſem*: *Laurentium Galindez Carvajalium*: *Garſiam Laſum de la Vega*: *Ioannem Boſcanum*: *Ferdinandum Pulgarium*: *Rodericum de Vivar*: *Ioannem Montesdocam*: *Martinum Martinez Dampieſium*, ac ſi qui ſunt eiuſdem cen-

tria opuſcula continenti: quod aſſervatur MS. in bibliotheca Hiſpalenſis Eccleſiæ, quæ Ferdinandi Columbi, ſeu Coloni,

fuit. Primi opuſculi titulus : *Las quatro virtudes ò doctrinas, que compuſo Seneca.* Secundi: *Letra fecha por Moſſen Pedro de la Panda al muy iluſtre Conde D. Rodrigo Manrique* (Comes fuit de Paredes, magnanimus, & ex heroibus ſæculi huius). Sequi-

cenſûs alios, conſulto omiſimus; ne ſcilicet falcem in alienam meſſem immiſiſſe dicamur; POETARVM autem, atque Hebraici nominis Scriptorum, quos hoc ſæculo Hiſpania noſtra protulit, ſeriem ut hoc loco adiiciamus: res ipſa atque ſcripturæ ordo hortari videntur; quoniam idem à nobis in iis quæ proximè præceſſerunt ſæculis præſtitum fuit. Et quidem quod ad Poetas ſpectat, aureum hoc eorum in Hiſpania ſæculum merito appellaveris; cum vix inter viros ea ætate primarios reperire ſit, qui non aliquando genio ac Muſis induſerit, è quibus non pauci ſummum arduumque Heliconis faſtigium evaſêre. Quoniam autem ſingulos enumerare longum ac difficile eſt, præter *Marchionem Sant-Iulianenſem, Ferdinandum Perezium Guzmanum, Manricos Georgium & Gomeſium, Lupum de Stunica, Didacum Lupezii de Faro* : præter *Auſiam Marchum, Ioannem Menam, Ioannem de Ixar de Aragonia, Didacum de San Pedro, Ioannem Rodriguezium del Padron, Alfonſum de la Torre, Ludovicum Scobarium, Alfonſum Alvari de Villaſandino, Ioannem Alvarum Gatum, Lupum de la Roca, Iacobum Roigium, Michaelem Perezium, Bernardum Fenollarium, Ioannem Ruizium Corellam, Ioannem Scrivanum, Iacobum Gazullium* alioſque, quorum iam ſupra meminimus, multique nominis Anonymos qui paſſim in Bibliothecis noſtris occurrunt: placuit ex Hiſpaniæ Cantionariis, ac præſertim ex Hiſpalenſi MDXL. edito apud Ioannem Cronberger, fol. celebriores ſeligere; & quoniam is liber rarus admodum apud nos eſt, eorum nomina ſeræ poſteritati denuo conſecrare. Occurrunt quidem paſſim in eo clariſſimorum Hiſpaniæ Procerum, primique ſubſellii Equitum, atque Ingenuorum non poematia modo, ſed iuſta interdum tam ſacri quam profani argumenti opera metrica, in quibus nec doctrinæ copiam, nec ſententiarum gravitatem, nec ſermonis elegantiam, neque demum veterum Comicorum & Poetarum ſales ac facetias deſideres, *Marchionis* ſcilicet *de Aſtorga, Vicecomitis de Altamira, Comitis de Oliva, Ducis Albani, Ducum de Medina Sidonia, de Alburquerque : Marchionum de Villena, de Villafranca : Comitum de Paredes, de Ribadeo, de Benavente, de Caſtro, de Feria, de Coruña, de Ribagorza : Villaquirani Epiſcopi Ouetenſis, Magni Caſtellæ Thalaſſiarchi, Ioannis Manuel* (1), *Ludovici de Vivero, Antonii & Eneci de Velaſco, Alfonſi de Silva, Roderici Manrici, Ioannis de Meneſes, Caroli de Guevara, Alfonſi Carrilli, Petri & Ferdinandi Acuñæ, Stephani Guzmanni, Ludovici de Torres, Adelantati de Murcia, Commendatarii Ludueñæ, Alfonſi & Ioannis Cardonæ, Franciſci Carrozii, Ludovici Caſtellvinii, Franciſci Fenolleti, Roderici Dávalos, Roderici Oſſorio, Moſſen Ioannis Tallante, Creſpini Valldauræ, Ioannis Fernandez de Heredia, Sancii de Roxas*, aliorumque eiuſdem censûs plurium, præter minorum quos vocant gentium, neque tamen ideo minoris pretii Poetas in memorato atque in veteri *Baenæ*, aut *Villaſandini* MS. Cantionario Hiſpanico videndos: prorſus ut toto eo ſæculo Muſarum chorus, cumque iis decentes Gratiæ, quantumque fuit unquam uſpiamve hominum venuſtiorum, in Hiſpaniam noſtram immigraſſe, aut in Hiſpanico ſolo proveniſſe videatur.

(1) In his unus Item & alter ſæculi XVI. initia indeptus fuerit: quod ego ut eos noſtro ſeu XV. adſcriberem, parum moratus fui.

SUPEREST ut Hebraici nominis Scriptores qui eodem XV. ſæculo floruerunt eo ordine recenſeamus quo eoſdem collegit atque in Bibliothecam ſuam Hiſpano-Rabbinicam intulit D. Ioſephus Rodriguezius de Caſtro Regiæ Bibliothecæ Matritenſis Subcuſtos, ſæpius à nobis laudatus, nimirum MOSSEN ÇURGIANO Henrici (IV. ut exiſtimo) Caſtellæ Regis Chirurgum, cuius in Ioannis Alfonſi Baenæ Cantionario exſtat *Poemation in eiuſdem Regis natalitium*; necnon RABBINOS COMPLUTENSES, auctores *Metrici reſponſi ad Petrum Ferrûs*, qui conqueſtus de eis fuerat, quòd placide dormientem matutinis in Synagoga canticis ac precibus maturius quàm ſolitus erat excitâſſent. Exſtat in eodem Cantionario & Bibliothecæ Hiſpano-Rabbinicæ *pag.* 310. Item : R. IOSEPH BEN R. SCHEM TOB, qui perhibetur auctor operis inſcripti: *Sapientia excelſa*; necnon alterius cui titulus: *Gloria Dei*, in eiuſdem Bibliothecæ *pag.* 346. Item : ISAACVM ABARBANELLVM Ulyſiponenſem auctorem *Commentarii* in Deuteronomium: *Sacrificii Paſchalis* : Librorum : *Opera Dei : Præco ſalutis : Hereditas Patrum* : *Corona ſenum* : *Principium Fidei* : *Reſponſiones* : quæ omnia typis edita fuere; necnon : *Congregationis Prophetarum* : *Viſionis Omnipotentis* : *Dierum ſæculi* : *Iuſtitiæ ſæculorum* : *Cælorum novorum.* Pag. 346. col. 2.. R. DAVID BEN SELOMOH BEN R. DAVID BEN IACHIA Ulyſiponenſem, cuius eſt : *Lingua Eruditorum* CPoli. edita MDVI. &: *Laus Davidis*, Pag. 353. R. GALAB Catalanum Medicum *Antidotarii* Lugduni MDVIII. editi auctorem, Pag. 355... R. IEHVDAM BEN IOSEPH MASEHGOSAH, Cæſarauguſtanum, cuius ſunt opera inſcripta : *Planctus*, &: *Animalia rapacia*, quorum eſus Iudæis interdictus erat, Pag. 355... R. ISAACUM ABOHAB Caſtellanum, incertum cuius Loci, qui circumfertur trium tractatuum auctor, nimirum : *Candelabri lucis*; atque inſcriptorum : *Arca teſtamenti*, &: *Menſa propoſitionis*; necnon : *Fluvii Phyſonis*, atque : *Expoſitionis Commentarii R. Moſſis Bar Nahmanis Super Pentateuchum*, quam affectam reliquit. Pag. 356.. R. ABRAHAMVM VIVAS BEN SEM TOB Aragonenſem, auctorem tractatuum inſcriptorum : *Via regia veritatis ſeu Fidei* : *Liber Fidei* : *Sermonum*, hoc themate : *Hic nobis ſolatio erit*; necnon : *Arboris Vitæ : Libri Demonſtrationis*, &: *Collectionum Medicarum*, Pag. 357.. R. IACOBVM BEN VIVAS item Aragonenſem, qui ſcripſit : *Commentarium Expoſitionis Talmudis*, Pag. 257...R. SALOMONEM BEN VIRGA, incertum cuiatem, *Tabularum Aſtronomicarum*, auctorem; & libri inſcripti : *Virga*, ſive *Sceptrum Iudæ*, Pag. 357. R... DAVIDEM VIDAL BEN SELOMOH Toleti incolam, & fortaſſis civem, cui tribuuntur tractatus inſcripti : *Corona legis*, &: *Aureum Davidis Poema*, Pag. 359... R. IESVHAM BEN IOSEPH HALLEVI itidem incolatu, Toletanum, incertum an & patriâ, qui perhibetur auctor operis inſcripti : *Viæ ſæculi*, Pag. 359... R. ISAACVM HARAMAH BEN IOSEPH Zamorenſem auctorem tractatuum : *Vinculum*, ſive *Ligamen Iſaaci ; Expoſitionis quinque voluminum* ; alteriuſque inſcripti : *Viſio dura*, Pag. 360.... R. ISAACVM KARO Toletanum, cuius eſt liber : *Generationum Iſaaci*, Pag. 361.. R. IACOBVM BEN CHABIB BEN R. SELOMOH incertum cuiatem, auctorem operis inſcripti : *Oculus Iacobi*, alias : *Oculus Iſraelis*, Pag. 362.. R. ABRAHAMVM BEN SAMVEL ZACVTH Salmanticenſem, & in urbe Cæſarauguſtana Aſtronomiæ Profeſſorem, cuius exſtat liber inſcriptus : *Famimiliarum* ; item *Prognoſticorum*, quem *Almanakum perpetuum* vulgus appellat, atque aliorum, Pag. 363.. R. ISAACVM ALCHADAHEPH, incertum cuiatem, auctorem operum : *Semita præparata : Opus artificis* : *Lingua aurea*, Pag. 366.... R. MOSSEM BEN CHABIB BEN SEM TOB Ulyſiponenſem, qui ſcripſit tractatus inſcriptos : *Viæ placidæ* : *Caſtra Dei : Medicina Linguæ*, ſcilicet *Hebraicæ : Flos lilii*; necnon : Commentaria Bibliæ hoc titulo è Pſalmo XXVIII. v. 4: *Vox Domini in fortitudine*: in Vulgatis noſtris : *Vox Domini in virtute* ; atque in R. Iedahiæ Ben Abraham Happennini tractatum inſcriptum : *Examen mundi*, Pag. 166... R. IOSEPH CHIVAN Ulyſiponenſem, auctorem *Sermonum Patrum*, ſeu Commentarium libri Talmudici inſcripti : *Capitula Patrum*, Pag. 367.. R. CHASDAI KRESCAS Cæſarauguſtanum, cui tribuitur opus hoc titulo : *Pondera, ſeu bilanx iuſtitiæ*, id eſt, *fidelis*, Pag. 367.. R. ABRAHAMVM SABAH Ulyſiponenſem auctorem : *Faſciculi myrrhæ*, alias *Faſciculi argentei* ſive *Commentarii in Canticum Canticorum*, Pag. 368.. R. IOSEPHVM EZOBI Perpinianenſem, cui adſcribuntur libri : *Supplementorum*; & *Scutella argentea*, Pag. 368... R. IOSEPHVM GEKATILIAH, alias CASTELLANVM, Hebræis vulgo HARIG, compendii causâ, qui perhibetur auctor librorum, ſive tractatuum : *Hortus nucis* : *Liber gloriæ* : *Tabula*, doctrinæ ſcilicet Cabaliſticæ : *Currus Ezequielis* : *Commentarius in feſtum Paſchatis* : *Porta lucis* : *Porta cælorum* : *Porta punctuationis* Hebraicæ : *Myſterium* ſive *Arcanum pomi* ; ac demum : *Cedri Libani*, Pag. 369... R. ABRAHAMVM BAR R. ISAACI BAR R. IEHVDÆ incertum cuiatem, auctorem operum inſcriptorum : *Habitatio pacis*, &: *Ceremoniale Iudæorum*, Pag. 369.... R. IOSEPHVM BEN DON DAVID BEN IOSEPH IACHIA Ulyſiponenſem, auctorem *Commentarii in omnes Bibliorum Sacrorum libros* ; nec non tractatuum inſcriptorum : *Via vitæ : Lux præcepti*, id eſt præceptorum Moſaïcæ legis : *Lex lucis*, &: *Lux populorum*, Pag. 370... R. IEHVDAM BEN R. ISAACI ABARBANEL Ulyſiponenſem, qui vulgo *Leo Hebræus* audit, perhibeturque auctor *Dialogorum Eroticorum* qui ſub *Leonis Hebræi* nomine toties, ac vario ſermone editi fuêre, Pag. 371.... R. IEHVDAM BEN SAMVEL ABARBANEL auctorem libri inſcripti : *Ad palatum omnium*, in quo de *emtione & venditione* eiuſque contractûs formulis, Pag. 373... R. SEM TOB BEN IOSEPH BEN PALQVIRA, incertum cuiatem, cui adſcribuntur opera: *Regimen corporis & animæ : Epiſtola diſputationis : Scientiæ* ſive *doctrinæ Philoſophorum : Liber interrogantis : Liber graduum : Balſamum odoriferum*, ac demum : *Initium Sapientiæ*, Pag. 373.. R. IACOBUM BERAB incertum cuiatem, auctorem libri *Interrogationum & reſponſionum*, Pag. 374.... COMINETVM SEPHARDI ſive HISPANVM qui ad annum MDXX ad caſtra Chriſtianorum tranſiiſſe dicitur, nonnihilque ſcripſiſſe pro expoſitione Pſalmi CXXXVI. Pag. 374.... R. IACOBVM BEN IEHVDA BEN KASTEL Bæticum ex oppido *Alcalà la Real*, qui Brunonis cuiuſdam librum *De Chirurgia* è Latino in patrium ſive Hebraicum ſermonem tranſtuliſſe dicitur Pag. 375... Ac demum R. IACOBVM MANTENV Hiſpanum, ſed qua patriâ incertum, quem primum omnium Maimonidis opus inſcriptum : *Directorium dubitantium* ex Hebraico in Latinum ſermonem tranſcripſiſſe ferunt; atque item eiuſdem Auctoris *Præfationem in librum inſcriptum* : *Tractatus*, ſeu : *Scripta Patrum* ; aliaque plura ex Arabico Avicennæ; atque è Porphyrii Iſagoge, Averroe, Ariſtotele, Platone...

HIS AVTEM adiungi debet AZARIAS BONPOSC BONFILL Catalanus Barcinonenſis, qui ſub initium ſæculi XV. è Latino in Hebraicum ſermonem tranſtulit : *Boethii opus de conſolatione Philoſophiæ*, adiecto ubere commentario; necnon : *Æſopi fabulæ* in eundem ſermonem ex Arabico; ac demum è Græco : *Pathologiæ & Hygienes*, Galeni, ut exiſtimo, aut Hippocratis libros. Exſtat M. S. penes me, in eiuſdem ſæculi XV. ineuntis codice.

LICEAT nunc ſub operis extremum, qui dudum animo meo heret ſcrupulum æquis Lectoribus exponere, inde enatum quòd in Hebræis ſæculi XV. Scriptoribus nullum domo aut origine Valentinum legerim; & maximè quòd celebri Hieronymi de Sancta Fide cum Hebræis diſputationi Dertoſæ ad annum MCCCCXIII. coram Benedicto XIII. (*Luna*) habitæ, in quam primarios eius gentis doctores magnoque numero ex Aragoniæ & Catalaniæ partibus convenîſſe conſtat, nullus itidem è Valentinis noſtris interfuerit; cum in eorum vicinia atque in ipſo Valentino regno res ageretur, ut in eius diſputationis Actis atque in Salomonis Ben Virgæ commentariis legitur (1). Et quidem poſterioris huius eventus cauſam pronum erat ad ſalutares aſſiduaſque Beati Vincentii Ferrarii, qui tunc in vivis Valentiæque noſtræ præſens aderat (2), ad Hebræorum populum conciones referre; prioris autem illius, vel poſtquam rationes mecum ſubduxi omnes, nullam inveni hactenus quæ meum utcumque ſedaret animum; & præſertim cum nec apud Hebræorum Bibliographos Plantavitium, Bartoloccium, Wolffium, & qui à ſæculo XI. ac deinceps ad annum Chriſti ſeſquimilleſimum non minus patrias eius gentis Scriptorum urbes quam lucubrationes accuratè notavit, Cl. Ioſephum Rodriguezium de Caſtro; ac neque apud Ben Virgam, Baſnagium alioſque Iudæorum hiſtoricos in ullum itidem aliquem inciderim qui domo aut origine Valentinus dicatur, aut ad Valentiam noſtram generis auctores referat. Caſu, inquis, factum. *Sed nunquam perfectè* (aiebat Cicero De divinat. I. 13.) *veritatem caſus imitatur. Quatuor tali iacti caſu Venereum efficiunt; num etiam centum Venereos ſi quadringentos talos ieceris caſu futuros putas? Adſperſa temere pigmenta in tabula oris lineamenta effingere poſſiunt; num etiam Veneris Coæ pulcritudinem effingi poſſe adſperſione fortuita putas?* Libentius igitur à viris doctis & præcipue ab Hebræorum bibliographis didicerim, ſi quid huic rei expediendæ afferant quod probabilius aut ſaltem ſub aliqua veri ſpecie dici ac ſuſtineri poſſit.

(1) D. Iosephus Rodriguezius de Caſtro *Bibliotb. Hisp. Rabb.* T. I. *pag.* 205. *col.* 1. Georgii Gentii tractum ex Salomonis Ben Virgæ Latina Hiſtoriæ Iudaicæ verſione: *Ex urbe ALCOJA Iosephus filius Adreti, Meir Galigon*, Hiſpanice sic reddidit: *De la* (Ciudad) *de* ALCOY *Joſeph* &c. cum pro ALCOJA, ALCOLEA reddere debuiſset. Hieronymus Surita Annal. Lib. XII. cap. 45. de hac eadem Hieron. de Sancta Fide diſputatione: *Extando* (inquit) *el Papa Benedicto con su Corte en aquella Ciudad de Tortosa, muchos de los mas enseñados Judios de las Ciudades de Calatayud, Daroca, Fraga y Barbastro se convirtieron y se bautizaron ::: y todas las Aljamas de Alcañiz, Caspe y Maella se convirtieron á la Fe* en general:: *y tras estos se convirtieron la Aljama de Lerida, y los Judios de la Villa de Tamarit y* Alcolea &c.

(2) Diagus Hist. de la Prov. de Arag. *lib. II. cap. 56. fol.* 176. *p. 2. col. 2. En memorias antiguas he hallado* (inquit) *que quando llegó el Santo* (Vicente Ferrer) *á Valencia el año de mil y quatrocientos y doce, vistió de paño buriel la Ciudad á muchos pobres que le seguian.*

quitur epiſtolam libellus Leonardi Aretini ..... ab eodem Panda ex Latino in vernaculum ſermonem verſus ac : *De la orden de la Cavalleria* vocatus. Tertii : *De la condicion de la nobleza*, N. de Angelo Mediolanenſis, translati quoque, ut exiſtimo, ab ipſomet Petro Panda, & Santillanæ magno Marchioni dedicati.

FINIVNT CERTAE AETATIS SCRIPTORES A PRIMO AD XV. SALVTIS SAECVLVM.

BIBLIOTHECA HISPANA

SCRIPTORUM INCERTI TEMPORIS.

A

ÆGIDIUS, Ordinis Minorum, Scriptor inter huius familiæ alios à Wadingo laudatur sub Hispani nomine, *Sermonum de Sanctis*, qui incipiunt: *Philosophia est divinarum rerum speculatio* (1).

ÆMILIUS, adnominatus Hispanus, mulomedicus, sive medicus equorum, quem alii Africanum fuisse volunt, teste Lindano *De scriptis medicis: De mulo-medicina* capita aliquot scripsit, quæ cum aliis huius veterinariæ artis Scriptoribus Græcè edita exstant Basileæ apud Ioannem Valderum MDXXXVII. in 4.° Latinaque ex interpretatione Ioannis Ruellii Parisiis apud Simonem Colinæum MDXXX. in folio. Gesnerus quoque meminit.

AIMERICUS DE GAUSA Ballivus (*Bayle* vocant) generalis Cataloniæ, scripsisse dicitur: *Relacion de los sucessos de Cataluña*. Meminit huius operis D. Iosephus Pellizerius in *Memoriali Comitis de Villazor, & domûs, sive familiæ de Alagon* fol. 64.

ALPHONSUS DE MADRID, Benedictinus monachus S. Salvatoris de Oña, reliquit scriptam *Historiam regii huius monasterii*, quæ membranaceo codice, Notisque antiquioribus exarata, in eiusdem bibliotheca asservatur, & magno in pretio habetur; eò quòd auctor huiusce domus abbas, valdeque doctus fuisse dicatur. Rem narrat D. Petrus de la Escalera Guevara in opere suo *Del origen de los Monteros de Espinosa* cap. 1. & 8. post Antonium de Yepes in *Historiæ Benedictinæ* cent. 6. cap. 3. num. 43.

ALPHONSUS DE PERALTA, nescio quis, auctor cuiusdam libri, *Artificium prudentiæ*, dicti, fertur.

(1) Fuerit forsan Ioannes Ægidius Zamorensis Minorita, de quo Noster *Lib. IX. c. 1. à n. 7. T.II. p.* 108. nosque in Not. *p.* 111. *col.* 1. atque item Ferdinandus Perezius Gusmanus in metrico nondum evulgato opere: *Claros Varones de España*, in Roderico Toletano:

Su estilo (*inquit*) han remedado
Don Lucas è *Fray Juan Gil*,
Non tan dulce ni sotil,
aunque asaz bien han fablado.

Floruit sub initium sæculi XIV.

ANGELUS PACENSIS quidam, quem Lusitani ab urbe sua Pace, nunc *Beja* oriundum dixerint, incerti, verè tamen antiqui temporis Scriptor, Lusitanis tantùm notus, & ab eorum chronographo Bernardo Britto Cistercienst monacho in bibliotheca monasterii S. Mariæ de Alcobazia repertus: cuius rei fidem faciunt Hieronymus de Souto, Auditor seu iudex territorii huius monasterii, & Fr. Franciscus de S. Clara Generalis Reformator Congregationis Portugalliæ atque eiusdem monasterii abbas, *Monarchiæ* laudati Britti *Lusitanæ* præambulis adiunctam.

Opera huius Angeli sic laudant hi testes: *Estaon mais as obras de Angelo Pacense, onde à vidas de muytos Santos Portugueses, & junto com ellas alguns Concilios antigos feitos por Aldeberto, & muitas memorias de cousas Portuguesas.* id est: *Sunt ibi & opera Angeli Pacensis, in quibus plures Vitæ Sanctorum Lusitanorum, ac simul cum iis Concilia quædam antiqua per Aldebertum facta, multaque alia rerum Lusitanarum monumenta.* Ex quibus omnibus in eodem codice contentis *Vitæ* dumtaxat illæ *Sanctorum* ad Angelum pertinuisse videntur, in quibus est *S. Mancii* Christi discipuli martyrisque Eborensis, quam idem Brittus referens lib. 5. *Monarchiæ* cap. 6. Angeli huius meminit: *Sanctorum Verissimi & sociorum martyrum*, ut lib.....cap.....*S. Petri Archiepiscopi Bracarensis* lib. 2. cap. 6.

Hæc autem eius opera translata fuisse ab eodem ex Alcobazia in Escorialense regium monasterium & bibliothecam, Lusitani aiunt noviores. Attamen Alcobazienses istæ à Britto nobis obiectæ antiqui temporis merces, in quibus Laimundus est, Petrus Allardius, ma-

magister Menegaldus, rerum Lusitanarum Scriptores Latinitatis non contemnendæ (ut præferunt initia & fines eorum in suprà laudatis testificationibus expressa), non parum suspectæ sunt; cùm nec Alcobaziæ, nec in Laurentina Regia reperiantur bibliotheca, nec aliquis ferè alius post Brittum viderit, aut his auctoribus usus sit. De quibus nos latiùs suprà de Laimundo agentes. Quare dum nondum cum his antiquitatis, quæ iactantur, notis comparuerit Angelus, ceterique iudicium de iis faciendum ampliabimus (1).

ANONYMUS quidam scripsit *De initiis Aragoniæ regni* monumentum aliquod, cui Hieronymus Blancas, nominis atque ævi ignarus, testimonium perhibet in *Commentariis Aragonensium rerum, & primo interregno Regum*, quos appellat, *Suprarbiensium*, his verbis: *Quomodo huiusmodi inscriptionem, quam vetustus quidam Scriptor in tumulo Ioannis primi Anachoretæ inventam refert, instauratam ac renovatam coniicio. Ergo Ioannes primus &c.* Et post hanc inscriptionem: *Istius verò Scriptoris nomen non comperi.* Vide infrà in *Macario*.

ANONYMUS, cognomento ALMENAR, Valentini regni civis, nobili genere natus, Toparcha locorum *Roccafort* & *Godella*, laudatur à Gaspare Escolano lib. 5. *Historiæ Valentinæ* cap. 23. eo quòd opera duo, alterum *De re astrologica*, alterum *De morbo Gallico*, scripta reliquerit (2).

ANONYMUS Hispanus, seu Arabo-Hispanus, scripsisse videtur *Glossarium Arabo-Hispanum*, quod esse in bibliotheca Leidensi inter libros à Iosepho Scaligero eidem legatos, eius ostendit catalogus, anno MDCLXXIV. typis editus Lugduno-Batavis, qui ita habet pag. 280. *Hispanum glossarium optimum, ante sexcentos plus minus annos scriptum Latino-Arabicè: Latina charactere Longobardico difficillimo: Arabica charactere Africano elegantissimo descripta, partim in membranis, partim in charta. In fine quinque paginæ sunt mutilæ.* Atque hic liber profecto haberi debet instar thesauri, si legibilis est; antiquæ enim, & vagientis adhuc, èque Latina in vernaculam rudem & inconditam, non sine Arabicæ quadam mistura transformari coeptæ nostratis linguæ principia, quæ vix alibi reperire est, si non fallit diligentissimè scriptus index, continet.

ANONYMUS Castellæ vernaculâ scripsit *De rebus Portugalliæ*, quode Stephanum Garibaium lib. 34. cap. 1. audire proprio idiomate loquentem præstat: *Entre las obras que en lengua Castellana hè visto de los Reyes de Portugal, la mejor es una que sin nombre de autor anda de mano: la qual aunque no contiene tan copiosa relacion, quanto merecia la historia de semejantes Principes: tiene buen discurso en la succession de los Reyes, y muchos notables puntos, de quien entiendo prevalerme mas que de ningun otro autor en lo que me pudiere aprovechar para el progresso desta Cronica.*

ANONYMUS Lusitanus Scriptor cuiusdam *Historiæ* antiquæ nondum typis editæ, ac ipsius testimonio auctoris ex illis quas legimus, & Castellæ antistites scripserunt (quibus Toletani ac Tudensis, necnon & antiquiorum Isidori, Sebastiani, Sampiri, Pelagiique historias significare videtur) desumtæ, quam vidit Prudentius Sandovalius, laudatque in *Historia Alphonsi Regis Castellæ* lib. 7. fol. 152.

ANONYMUS Gerundensis Ecclesiæ canonicus *Vitam S. Oldegarii Barcinonensis priùs Episcopi, deinde Tarraconensis Archiepiscopi Latinè edidit*: quæ quidem exstat in *Legendario* antiquo MS. archivi eiusdem Barcinonensis Ecclesiæ capituli: cuius cum nostris Diago, Rebullosa, & aliis, VI. Martii pag. 482. Bollandus & Henschenius in magno opere de *Actis Sanctorum*, & Antonius Ioannes Garzia de Caralps in historia eiusdem Sancti par. 2. cap. 11. & 12. meminere.

ANONYMUS Lusitanus hacce lingua scripsit vitam Nonnii Alvari Pererii Portugalliæ Comestabilis, cuius hic est Lusitanus titulus: *Chronico do Condestable de Portugal D. Nun-Alvarez Pereira principiador da casa de Braganza, sem mudar da antiguidade de suas palabras, nem stilo.* Ulyssipone MDXXVI. & iterum ibid. MDCXXIII. apud Ant. Alvarez in fol. Hoc *Chronicon* Latinè vertisse Ioannem Ferdinandum, quem Theodosius Brigantiæ Dux unico filio Ioanni præceptorem dedit, ex aliorum fide Ioan-

(1) Dictum à nobis de Angelo Pacensi suprà *Lib. VI. c. 4. n. 77. T. I. p.* 454. in Not. in *Laimundo de Ortega*.

(2) Is est *D. Ioannes Almenár* Valentinus, de quo Bibliographi nostrates Rodriguezius & Ximenus. Floruit autem circa medium sæculi XVI. ac proinde ad Bibliothecam Hispaniæ novam referendus.

Ioannes Vaſæus refert *Chronici Hiſpaniæ* cap. 4.

ANONYMUS incertæ ætatis ſcripſit Vitam Roderici Didaci Bivarii, cognomento Cidi, fortiſſimi herois, qui ſub Ferdinando I. & filiorum eius Caſtellæ ac Legionis Regibus floruit. Exſtat ea ſic nuncupata: *Hiſtoria del famoſo cavallero Cid Rui-Diaz, con ſu genealogia*, Burgis MDXCIII. Hiſpali MDCXI. Quæ MS. ſervatur in monaſterio S. Petri de Cardeña, ubi Rodericus ipſe iacet. Neſcio autem quo argumento rei nitatur opinio hunc librum Mauro cuidam *Aben Alfange* dicto adſcribens, ex cuius Arabico idiomate in Hiſpanum fuerit inde verſus. Informem eam, & chronologiæ luce orbam, veriſque millia fabularum miſcentem, exiſtimat Prudentius Sandovalius (ut & alii) in *Hiſtoria Alphonſi VI.* folio 31 (1).

ANONYMUS ſcripſit Roderici Gothorum in Hiſpania ultimi Regis hiſtoriam: *Chronica del Rey D. Rodrigo, con la deſtruccion de Eſpaña, y como los Moros la ganaron* nuncupatam in editione Complutenſi MDLXXXVII. in folio, ſed dudum Hiſpali anno MDXXVII. in fol. prodierat. Differt hæc ab altera eiuſdem argumenti *Hiſtoria de la perdida de Eſpaña*, quam diu poſt ſuperioris publicationem ex Arabico Latinam Michael de Luna interpres regius edidit: de qua nos in Arabico-Hiſpana bibliotheca, ſub nomine *Abu Hacim Taric Aben Tariquii* locuti ſumus. Atque item diverſa eſt ab ea, quam fabuloſæ ac Saracenæ taxat nominibus Ferdinandus Perezius Guzmanus, cuius quidem auctor fuiſſe Petrus quidam del Corral dicitur (2). Hac tamen ſæpe uſos Alvarum Gomezium & Hieronymum Suritam in Latinis *rerum Aragonenſium Indicibus* obſervatum ab Hieronymo Romano ab Higuera legimus in manuſcripta etiam nunc *Toletanæ urbis & regni hiſtoria* lib. 14. cap. 1. qui ſubiungit, plura ibi exaggerata valdè reperiri, qualis eſt pœnitentiæ eiuſdem Regis, nonnullaque nomina conficta; ſed alia eſſe multùm his conformia, quæ Sebaſtianus, Iſidorus Pacenſis, Rodericus Toletanus, Lucas Tudenſis, & Raſis Maurus breviter ſcripſerunt. Hæc ille.

ANONYMUS Catalanâ linguâ ſcripſit *Hiſtoriam Regum Aragoniæ & Comitum Barcinonis* à tempore conditæ Hiſpanæ Reipublicæ uſque ad Alphonſi IV. regnum. Vidit quidem, atque eâ uſum ſe eſſe ait, Ioannes Franciſcus Andreas Uſtarrozius Aragoniæ chronographus, in *Coronationum* huius regni Regum libro; adiungens fuiſſe olim in archivo regio Barcinonenſi, habereque plures Michaelis Carbonelli notas, atque eius, & Antonii de Viladamòr Cataloniæ hiſtoricorum ſignis munitam eſſe; atque inſuper ait Comitem de Guimerâ in huius ſui oppidi archivo ſe reperiſſe dicere, voluminiſque compacti, & characterum formam antiquitatem pluſquam ducentorum quinquaginta annorum præ ſe ferre videri. Hæc Uſtarrozius.

ANONYMUS ſcripſit, incertum quo tempore, *Annales*, quos à monaſterio Cataloniæ, in quo exſtant, *de Ripôll* vulgus appellat, magni quidem habitos ad huius provinciæ & Aragoniæ regni antiquitatum cognitionem (3).

ANONYMUS canonicus regularis S. Iſidori Legionenſis vertit Hiſpanè, quam olim Latinè ediderat Lucas Epiſcopus Tudenſis, *La hiſtoria de la vida, milagros, y tranſlaciones de S. Iſidoro Arzobiſpo de Sevilla, que eſcribiò D. Lucas de Tuy por mandado de la Reyna D. Berenguela, muger del Rey D. Alonſo, de quien fue coroniſta; y la traduxo un canonigo reglar de S. Iſidoro de Leon; y la vida del Doctor Martino ſu canonigo y compañero.* Sic enim inſcripta eſt editio Salmanticenſis anni MDXXV. in 4.° cuius curam habuit baccalaureus Ioannes de Robles.

ANONYMUS, clericus regularis S. Auguſtini, edidit *La vida, generacion, y excelencias de la glorioſa S. Ana y S. Ioachim.* Salmanticæ MDXXVIII. in 4.°

ANONYMUS quidam ſcripſit librum ita inſcriptum: *Arbor Archiepiſcopalis, ad Archiepiſcopum Toletanum*, qui ſervatur in bibliotheca Toletanæ Eccleſiæ pluteo 30. num. 9. Hiſpano ſermone, ut ſuſpicor, quamvis ſub inſcriptione Latina. Prologus enim Hiſpanus eſt, unde verba hæc pro faciendo ſpecimine operis, deſumſimus: *Eſte quaderno, Señor, os moſtrarà quatro coſas. Lo primero, quê ſoys, y*

(1) Dictum de hac Romanenſi fabula potius quam Roderici Bivarii hiſtoria Aben-Alfangio adſcripta, ſuprà, *Lib. VII. c. 1. n. 9.* in *Not. T. II. p. 4.*

(2) Dictum item de fabuloſo *Petri Corralii* Chronico ſuprà *Lib. X. c. 8. n. 440.* in Ferdinando Perezio de Guſman, *Not.*

(3) Apud Petrum de Marca, *Marc. Hiſp. append. CCCCIV.* pag. 1296. habetur: *Anonymi, Brevis Monaſterii Rivipullenſis hiſtoria*, Vid. notata noſtra *Lib. VII. c. 1. n. 15.*

y quê es el oficio que teneys, & en quê ſilla eſtays aſſentado, & quantos grados tiene vueſtro eſtado. Lo ſegundo, cômo haveys de regir y governar el pueblo encomendado. Lo tercero, quê es la cuenta que haveys de dar. Lo quarto, quê es el fruto que vongereys de buena cuenta ò mala. Incertum omnino eſt cuiusnam auctoris, & ad quem Archiepiſcopum directus ſit. Attamen in exemplo meo catalogi huius bibliothecæ, quem magni habeo, ad oram unà cum iam laudata operis diviſione notatum legitur, alteram ab eodem auctore, *Arborem exemplificalem* dictam, quæ deeſt ab iſta bibliotheca, ſcriptam fuiſſe.

ANONYMUS quidam ſcripſit Chronicon Comitis Caſtellæ Ferdinandi Gundiſalvi, (*Hiſtoria del Conde Fernan Gonzalez*) ſermone vernaculo, quod Compluti editum fuit MDLXXXIV. in folio (1). Diverſa eſt à de eiusdem rebus geſtis hiſtoria, quam elucubrâſſe dicitur Gundiſalvus de Arredondo & Alvarado Benedictinus monachus, quæ inedita etiamnum exſtat, & per varia MSS. exempla doctis quibuſdam hominibus iam communicata fuit: de qua nos in Bibliothecæ altera parte mentionem ſub auctoris nomine habuimus. Huius antiquioris & priùs dictæ hiſtoriæ haud meminit niſi fallimur, eiuſdem Comitis res enarrans Prudentius Sandovalius; quomodo & alterius à Gundiſalvo ſcriptæ.

ANONYMUS ſcripſit *Hiſtoriam Hiſpanicarum rerum*, quam vidit, & antiquiſſimam vocat Prudentius Sandovalius in proximè dicta *Vita Ferdinandi Gundiſalvi Comitis Caſtellæ*, quam editioni Epiſcoporum veterum Hiſpaniæ hiſtoricorum ſubiecit pag. 289. atque inde habitum vernaculi ſatis antiqui carminis fragmentum producit.

ANONYMUS Scriptor, ſive Navarrenſium ſive Aragonenſium rerum, MS. fuit in bibliotheca egregii viri Martini ab Aſpilcueta Doctoris Navarri quo libro utitur in *Hiſtoria* Gallica *Benearnenſi* Petrus Marca Pariſienſis præſul lib. 4. cap. 6.

ANONYMUS Armenteriæ in Gallæcia monachus Ciſtercienſis conſcripſit olim *Vitam* admirabilem *B. Eronis*, eiuſdem loci abbatis: quæ inter alia continet hiſtoriam illi ſimilem quæ vulgò narratur, de monacho Affligemienſi, qui per annos CC. ad cantum cuiuſdam aviculæ in exſtaſi permanſit. Vitam hanc in antiquo codice repertam publicavit Reverendiſſimus Malachias de Aſſo (ſic legendum) parentibus nobilibus in Aragonia natus, tunc quidem Armenteriæ abbas, poſtmodum verò anno MDXCV. Iaccenſis in Aragonia creatus Epiſcopus, ubi mira ſanctitatis opinione floruit uſque ad annum Domini MDCVI. quo obiit XXVIII. Aug. de quo vide *Menologium Ciſtercienſe* Chryſoſtomi Henriquez eodem anno: qui etiam compendioſam inſeruit Eronis Vitam *Faſciculo* ſuo lib. 2. diſt. 26. cap. 6. Hæc Carolus Viſchius in *Bibliotheca Ciſtercienſi.*

ANONYMUS Catalanus forſan ſcripſit *Genealogia de los Condes de Barcelona*, cuius autographum ſervari aiunt in monaſterio Rivipulli Benedictinorum eiuſdem Principatus Cataloniæ. Exemplum eius habet D. Raphael de Viloſa, Senator olim regius Conſilii Aragoniæ Matriti; atque aliud fuit penes Iacobum Ramon Vila curioſiſſimum hiſtoriæ virum, qui hoc cum aliis libris monaſterio S. Hieronymi de la Murta prope Barcinonem reliquit.

ANONYMUS quidam vertit Biblia è Latino vulgato in Valentinum, hoc eſt, regni Valentiæ vernaculum ſermonem: cuius operæ interfuiſſe dicitur S. Vincentius Ferrerius, ſi fidem habemus Cypriano de Valera in præfatione ad interpretationem Hiſpanam, quam ipſe fecit ex Hebræo; quæque Amſterodami prodiit an. MDCII. ubi ait hanc Valentinam verſionem ante centum & ampliùs annos in folio regali typis commiſſam fuiſſe (2).

ANONYMUS, ſeu ANONYMI, Hiſpano-Hebræi in Italia iam poſt expulſionem degentes, verſionem quandam ſacrorum librorum ex Hebraico ſermone in Caſtellanum fecere: cuius hic eſt conſpectus: *Biblia en lengua Eſpañola traducida palabra por palabra de la verdad Hebraica, por muy excelentes letrados, viſta y examinada por el oficio de la Inquiſicion, con privilegio del iluſtriſſimo ſeñor Duque de Ferrara.* Hucuſque tu-

(1) In Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit.* u. *Plut. II. n.* 8. (T. II. p. 478.): *Anonymi, Chronica del Conde Fernan Gonzalez* &c.

(2) Dictum ſuprà, nimirum *Lib. X. c. 3. n. 114. in Not.* Valentinam ſeu Lemoſinam Sacrorum utriuſque Fœderis librorum verſionem Boniſacii Ferrerii totius Cartuſiæ Prioris Generalis, Sancti Vincentii germani fratris eſſe; atque Valentiæ noſtræ MCCCCLXXVIII. editam. Abſoluta autem fuerat ineunte ſæculo XV. certè ante annum MCCCCXVIII. qui Boniſacio emortualis fuit.

tulus libri ; nuncupatio autem talis : *Al iluſtriſſimo y excelentiſſimo ſeñor D. Hercole da Eſte el II. quarto Duque de Ferrara.* Cui ſubſcribunt : *Criados de V. E. Geronymo de Vargas, y Duarte Pinel.* Ad finem operis hæc leguntur : *A gloria y honor de nueſtro Señor ſe acabò la preſente Biblia en lengua Eſpañola, traducida de la verdadera origen Hebraica por muy excelentes letrados, con induſtria y diligencia de Duarte Pinel Portugues, eſtampada en Ferrara à coſta y deſpenſa de Geronymo de Vargas Eſpañol, en 1. de Marzo de MDLIII. en folio* (1).

Hæc autem Ferrarienſis interpretatio, ſeu potiùs editio, recocta fuit Amſtelodami, non iam Chriſtianorum operâ, ut contigiſſe illi credimus, ſed Hebræorum, ut conſtat ex notato ibi mundi anno, ut Hebræi ſolent : *A honra y gloria de Dios fue reformada à quinze de Sebath* MMMMMCCCXC. Editio autem facta fuit in domo Gillis Iooſt Amſtelodami anno MMMMMCDXVI. Hanc verò interpretationem hìc poſuimus inter opera Anonymorum qui ante annum MD. vixere ; ſtilus enim ſapit maiorem adhuc duorum ſæculorum antiquitatem ; eaque utiliſſima eſt iis, quibus huiuſmodi verſionibus uti licet, ad exquirendos literales Bibliorum ſenſus, & conferendum cum antiqua illa præſentem Hiſpaniæ noſtræ linguam, atque eius vocabula.

ANONYMUS ſcripſit *Hiſtoriam Hiſpanicarum rerum ab Ranimiro I. uſque ad Ferdinandum III. Caſtellæ Regem :* quæ fuit in bibliotheca D. Ioannis Ferdinandi à Velaſco Caſtellæ Comeſtabilis, eruditi viri, Medinæ de Pomar oppidi ſuæ ditionis ab eo reperta inter libros ibi à magno illo deceſſore eius Petro Comite de Haro, qui ſub Ioanne II. Rege vixit, relictos. Scriptamque exſtare hanc hiſtoriam in membranis, antiquatâ iam hodie ſermonis Caſtellani formâ, quæ ante trecentos annos vulgaris forſan fuerat, Petrus Mantuanus, dicti Ioannis Ferdinandi à Velaſco Caſtellæ Comeſtabilis domeſticus, vir apprimè hiſtoriarum noſtrarum peritus, in *Advertentiis* (ut vocat) ſive *Animadverſionibus ad Ioannis Marianæ hiſtoriam* annotatum reliquit pag. 142. & 152. Ad hanc fortè reſpexit Ioannes de Pineda Ieſuita, docens exſtare eam penes Marchionem de Tariſa (altero ſcilicet exemplo) in *Memoriali pro Rege Ferdinando III. Sancto.* Ne tamen hoc ſileam, titulum ineſſe ei monet : *De las antiguedades de Eſpaña*, pertingereque uſque ad nuper laudatum S. Regem.

ANONYMUS alius ſcripſit aliam *Hiſtoriam Regum Caſtellæ*, ſive auctor eius fuerit Martinus Fernandez Bonifaz notarius, quam vidit inter libros eiuſdem Comitis de Haro Petrus idem Mantuanus iam laudatus ubi proximè pag. 142. & 152. teſtimonium inde adducens pro primogenitura Berengariæ Reginæ, Ferdinandi III. Sancti genitricis. Libri titulus: *Libro eſcrito por Martin Fernandez Bonifaz notario para el Conde de Haro D. Pedro de Velaſco. Acabòſe de eſcribir à 16. dias de Febrero año de* MCCCCXXXII.

ANONYMUS ſcripſit Chronicon hoc titulo: *Relacion de la deſcendencia de los inclitos Reyes de Navarra*, tempore nimirum Ioannis Labretani & Catharinæ Fuxiæ: quod

(1) Exſtat eadem prorſus Ferrarienſis Hiſpana Sacrorum Bibliorum Veteris Teſtamenti MDLIII. verſio, completa, ut in eiuſdem fine legitur : *En primero de Marzo de* 1553. & nuncupata : *Al Iluſtriſſimo y excelentiſſimo Señor el Señor Don Hercole da Eſte el ſegundo : quarto Duque de Ferrara por Jeronimo de Vargas y Duarte Pinèl.* In aliis autem eiuſdem editionis Ferrarienſis 1553. exemplis : *A la Señora Doña Gracia Naci : por Iom Tob Athias y Abraham Uſque en* 14. *de Adar de* 5313. (qui idem omnino dies & annus eſt, primus ſcilicet Martii, nativitatis Chriſti 1553.).. Edita poſtea fuit Amſtelodami *A veinte de Yar* (ut in eiuſdem fine legitur) 5371. qui à Chriſto nato annus eſt MDCXI; ſub finem autem prologi ad Lectorem : *Vale en Noſtradám, Tantos de marco*, 5371. *año.* Folio.. Rurſum, abſque Loci, atque anni notatione, ſed Amſtelodami, ut videtur, & circa annum Chriſti MDCXX. Folio... Item Amſtelodami apud *Gillis Iooſt en el Nieuwe-ſtraet*, 5606. manifeſto ſcilicet errore, pro 5406. id eſt, Chriſti anno MDCXLVI. Folio..... Item Amſtelodami, *corregida* (ut in fronte legitur) *en caſa de Joſeph Athias* 5421. Chriſti MDCLXI. Octavo.... Item Amſtelodami apud Davidem Fernandez, *corregida por Dr. R. Iſhac de Ab. Diaz*, 5486. Chriſti MDCCXXVI. Octavo maiori : quas omnes, neque uno tantum, ſed duplici triplicique interdum exemplo mihi comparavi, præter noviſſimam Hebræo-Hiſpanam Amſtelodamenſem, Folio ; & alteram itidem Amſtelodamenſem curante *N. Caceres* 8.° quam mihi furto ſublatam fuiſſe vehementer doleo.

Vix dum hæc ſcribere deſieram, cum Cl. Doctiſſimique Viri Olai Gerhardi Tychſen Orientalis Literaturæ in Academia Fridericiana Butzovienſi Profeſſoris Publici &c. nomine ac benigno munere oblatus mihi fuit recens chartaceus Pentateuchi Hebræo-Hiſpani codex, formâ folii ; in quo non minus Hebraicus textus, quam Hiſpanica eiuſdem verſio Latinis literis exprimuntur ; hæc tamen non ultra Geneſeos caput XLV. procedit ; eademque omnino eſt cum Ferrarienſi 1553. & recentioribus Amſtelodamenſibus, ut periculo facto didici.

quod Arnaldus Oihenartus *Notitiæ Waſconiæ* lib. 2. cap. 3. pag. 96. laudat.

ANONYMUS auctor eſt cuiuſdam alius *Chronici Navarræ Regum, quos prætermiſit Rodericus Toletanus*, forſan Theobaldi Regis. Vidit idem Oihenartus, meminitque lib. 2. cap. 11. pag. 235. & 236. qui laudatum ſe legiſſe ait à Didaco Ramirezio Avalos de la Piſcina in *Hiſtoria* ſua *Navarrenſis regni* ; atque idem ſibi cum eo videri, quod Theobaldi Regis nomine (patris, aut filii, ſimiliter appellatorum) iuſſuve conſcriptum, Garibaius laudat lib. 21. cap. 1. quantumvis nunquam ſibi viſum, atque item auctor cuiuſdam *Recopilationis rerum Ipuſcoæ provinciæ* vulgaris linguæ Caſtellanæ.

ANONYMI eſt aliud ab hoc diverſum Chronicon, ſeu *Series Navarræ Regum*, ab Enecone Ariſta ad Sancium uſque Garſiæ filium, Sancii maioris nepotem, contenta in codice MS. Legerenſis mónaſterii, quo Regulæ S. Benedicti continentur, quo uſum ſe ait idem Oihenartus eodem cap. pag. 235 (1).

ANONYMUS Benedictinus monachus in monaſterio *S. Dominici de Silos* hiſtoriam ſcripſit *De Regibus Aſturiarum & Legionis à Pelagio uſque ad Alphonſum VI.* Eſt inter libros MSS. excellentiſſimæ Comitiſſæ de Villaumbroſa, qui fuerunt D. Petri de Guzman eius coniugis, magni Caſtellæ ſenatus Præſidis. Sed de hoc auctore & opere, quod *Chronicon Exilienſe* audit, alibi diximus (2).

ANONYMUS vertit ex Latino in Hiſpanum ſermonem *La Cronica de los quatro Imperios, compueſta en Latin por Martino Polono.* Exſtat MS. inter libros eiuſdem excellentiſſimæ Comitiſſæ.

ANONYMUS *Toletanus, Philoſophus* nuncupatus, ſubminiſtravit ei, qui *Chimicorum librorum theatrum compilavit*, nonnullum huius argumenti ſcriptum, quod ab eius ipſius initio : *Deſiderabile deſiderium* appellatum, ſeu *Roſarium philoſophorum, compilatum à Toletano Philoſopho*, in huius ſyſtematis tertio volumine nunc legitur.

ANONYMUS, neſcio quis, Hiſpanum dedit opus : *Arbol de las batallas* appella- *Biblioth. vet. Hiſp.* Tom. II.

(1) Dictum de hoc Chronico ſive *Serie Navarræ Regum* eiuſque ætate ſupra, *Lib. X. c.* 10. *n.* 499. in Carolo Principe Vianæ.

(2) Editum à Cl. Henrico Florezio *Hiſp. ſacr. T. XVII. à pag.* 270. qui ad ſæculi XII. initia pertinere putat, ibid. *pag.* 265. *n.* 4.

(3) Dictum itidem à nobis *Lib. X. c.* 13. *n.* 273. tum, ex Gallico, ut putamus, Honorati Bonnet Cabillonenſis Prioris : qui liber exſtat Gallicus, ſuitque in bibliotheca Caroli de Montchal Archiepiſcopi Toloſani, Labbeo teſte in *Nova bibliotheca manuſcripta* inter libros dicti Antiſtitis codice 60. in quo notatur ſcriptum fuiſſe ab auctore tempore ſchiſmatis inter Clementem VII. & Urbanum VI. dicatumque Carolo Regi VI. Francorum. Sed de hoc opere diximus in *Didaco de Valera* (3).

ANONYMUS ſcripſit *Chronicon monaſterii S. Victoriani* in Aragoniæ regno, quo uſus fuit ad conſcribendam Hiſpaniæ hiſtoriam adhuc ineditam Laurentius de Padilla, ut ipſe in veſtibulo eius docet.

ANONYMUS, eiuſdem Padillæ teſtimonio monachus forſan Benedictinus, ſcripſit *Chronicon monaſterii S. Salvatoris de Oña* nuncupati in Caſtella veteri (4).

ANONYMUS alius, eiuſdem etiam Padillæ teſtimonio ſcripſit *Chronicon monaſterii de la Oliva ordinis Ciſtercienſis* in regno Navarræ, ubi plura de huius regni Regibus.

ANONYMUS ſcripſit quandam *Hiſpanarum rerum hiſtoriam*, quæ fuit penes Marchionem Veleziorum (D. Petrum forſan heroem illuſtrem à Conſilio Statûs Philippo II. Regi) aiente eodem Padilla, qui eâ ſe uſum ait.

ANONYMUS ſcripſit ab hac diverſam *Hiſpanicarum rerum hiſtoriam*, quæ olim fuit Ferdinandi Didaci à Toleto Referendarii Ioannis Regis Caſtellæ II. uti refert ibidem Laurentius Padilla.

ANONYMUS cognominatus OCHOA DE SALAZAR ſcripſit adhuc aliam *De Hiſpaniæ rebus* hiſtoriam, quam etiam ſe vidiſſe & in uſu habuiſſe, monuit lectores ſuos Padilla laudatus.

ANONYMUS auctor eſt cuiuſdam hiſtoriæ antiquæ MS. *De rebus noſtris*, quam aſſervari in Toletana Eccleſia reliquit ſcriptum in libro *De deſcenſione Deiparæ virginis ad eandem Eccleſiam*, Franciſcus Portocarrero cap. 32.

ANONYMUS auctor *Annalium* quorumdam, quos *Toletanos* vocant, magnæ eſt auctoritatis, utpote æqualis ferè rerum, quas literis commiſit : dignus omnino publica luce cum aliis huiuſmodi adhuc

atque in *Addendis à ſæculi XV. initiis ad annum MCCCCXX.* exſtare in Eſcurialenſi codice *Lit.* h. *Plut. II. n.* 19. eius operis verſionem alteram Hiſpanicam Antonii cuiuſdam Çoritæ.

(4) Fuerit forſan *Alfonſus de Madrid*, de quo Noſter paulo antè inter Scriptores incerti temporis ?

latentibus, quos præire in officinis typographorum aliis nauci operibus æquum esset. Meminit cum laude Alphonsus Fernandez in *Annalibus Placentiæ urbis* lib. 1. cap. 9.

ANONYMUS alius scripsit *Annales* quosdam *Latinos*, magnæ etiam auctoritatis, ante quadringentos annos scriptos in codice quodam Ecclesiæ Compostellanæ. Exinde adducta quædam verba ad eram MXXXIII. spectantia, cum hoc operis elogio videri possunt in Ambrosii Moralis *Historiæ Hispanæ* libro 10. cap. 24. in fine.

ANONYMUS Darocensis Ecclesiæ canonicus in Aragoniæ regno, post veterem alium Cataloniæ civem, qui propriâ gentis linguâ hoc tractavit argumentum, iterum descripsit ipse ac celebravit commentario Hispanico mysterium quod vocant *De los Corporales de Daroca*: cuius mysterii relationem Martinus Viciana in *Historia Valentina*, Petrus Antonius Beuter in *Historia Hispaniæ*, Petrus Medina *De las grandezas de España*, & alii magno numero fecere (1).

ANONYMUS quidam Castellæ vernaculo sermone scripsit *Regum Portugalliæ historiam*, quâ usus fuit Stephanus Garibaius, eamque laudat lib. 32. *Compendii historialis* cap. 1.

ANONYMUS quidam vertit in Hispanicum ex Latino sermone *El Valerio Maximo, de los exemplos memorables*. quem MS. servat excellentissimus Marchio Mondexarensis in amplissima sua bibliotheca cum hac nota: *Este libro de Valerio Maximo escriviò Diego de Lombraña, criado de Alfonso Gonzalez de Leon, contador del Rey, por mandado del dicho Alfonso Gonzalez, en la muy noble ciudad de Sevilla, año del Señor de MCDXXXIV. años* (2).

ANONYMUS incertus vertit in sermonem vernaculum *Lucani Pharsaliam* soluta oratione, quæ interpretatio servatur MS. apud eundem Marchionem Mondexarensem antiquis characteribus.

ANONYMUS scripsit *Historia de España*, quæ à Pelagii rebus usque ad expugnationem Antiquariensis urbis per Ferdinandum Castellæ infantem, Aragoniæ deinde Regem, sub Ioanne II. res nostræ gentis prosequitur. Incipit: *Empieza en el libro de la historia* &c. Exstat Matriti apud eundem Marchionem Mondexarensem.

ANONYMUS scripsit Annalisticum quoddam opus de Aragoniæ rebus, quod *Annal antiguo de Aragon* magnus Surita vocat, laudans in marginalibus Notis ad codicem, quo usus fuit, MS. historiæ Catalanè scriptæ à Iacobo I. Aragoniæ Rege, quem hodie possidet Marchio S. Clementis Cæsaraugustæ.

ANONYMUS, ut credo, Hispanus, scripsit olim Latinè *Dialogum Ecclesiæ & Synagogæ, sane pro Ecclesia contra Sygnagogam*: qui incipit: *Acuite sagittas* (3) &c. Hunc in publicum dedit, cùm fortè fortuna in eum nudo auctoris inscriptum nomine incidisset, Gundisalvus Garsias à S. Maria Cæsaraugustanus (4) civis & advocatus magni nominis sub Ferdinando Rege Catholico, nuncupatum D. Didaco à Mendoza Hispalensi Archiepiscopo, ut in eius elogio in Bibliothecæ altera parte, quæ priùs edita fuit, dicimus. Locum autem editionis ignoramus, quòd inde absit; forma certè in 4.° est. Continetque redargutionem absurditatum Hebraici libri *Talmud* dicti, & fundamenta probationesque Fidei Christianæ ex sacris libris ab Ecclesia productis, audiente & contradicente Synagoga, quas inter dialogum liber continet. Hispanum suspicari me dixi, eò quòd nullum ex SS. Patribus, nisi Isidorum Hispalensem semel atque iterum laudet. Sed audi sis de eo verba Gundisalvi Garsiæ: *Siquidem olim incidi in quoddam opus scriptum haud quidem longum, sed re ipsa magnum & admirabile, sine scriptione ac nomine auctoris. Quæsivi diu ac diligentissimè, à quo editum fuit; nusquam reperi, nec ab aliquo lectum, nec eiusdem exempli alterum codicem.* Possidet exemplum hoc, quod vidimus, Matriti D. Ioan. Lucas Cortesius,

(1) Fueritne *Ximenus* seu *Ximenezius* Presbyter *Darocensis*, quem circa annum MCCL. vernaculè scripsisse opus *De restauratione Hispaniæ* suprà retulimus in Notis ad *Lib. VIII. in fin. c. IV.* è schedis Cl. Pauli Ignatii Dalmâses & Ros?

(2) De hac *Valerii Maximi*, & Lucani quæ proxime sequitur Hispanica versione in Regiæ Bibliothecæ Matritensis codice, dictum à nobis suprà *Lib. X. c. 5. n.* 269.

(3) Fuerit fortassis huius Dialogi auctor *Cyprianus Benetus*, sive *Benedictus* ex Ordine Prædicatorum, de quo mox. Certe inter eius scripta à Dominicanis Quetifo & Echardo recensita *T. II. Script. Ord. Præd. pag.* 49. *col.* 2. legitur: *Aculeus contra Iudæos.* Prodiit Romæ, unà cum eiusdem tractatu: *De non mutando Paschate*, anno 1515. in 4.° exstareque ibidem dicitur in Barberina.

(4) Hic ille est *Gundisalvus Garsias de Sancta Maria*, quem anno sæculari MD. *Constitutionum Synodalium Archiepiscopatûs Cesaraugustani collectionem* edidisse diximus, Cæsaraugustæ apud Georgium Coci & Socios 8.°

sius, noster in primis amicus, millies per totum hoc opus, nunquam tamen satis, à nobis laudatus.

ANONYMUM auctorem cuiusdam historiæ, sive, ut vocat, *Chronici*, & quidem antiqui *de Val de Ilzarte*, (loci nomen in quo asservantur) laudat Iosephus Moretus Iesuita in *Congressibus apologeticis pro veritate investigationum regni Navarræ*, congressione 4. pag. 122.

ARNOLDUS, sive ARNALDUS, de MORARIA Catalanus, eorum censui adscribi solet, qui in *Consuetudines*, seu leges huius provinciæ commentati olim sunt (1).

ARNOLDUS DE PODIO, vulgò DE PUIG, si Catalanus est, ordinis S. Dominici. Huius nomini adscriptam *Artem prædicandi* ad Hugonem Dertusanum Episcopum directam fuisse in bibliotheca summi viri D. Antonii Augustini Tarraconensis præsulis in membranis annorum CL. legimus in huius bibliothecæ catalogo (2).

AYBERTUS, abbas Cistercienſis ordinis in Hispania, scripsisse dicitur opus quoddam *De eiusdem ordinis viris sanctitate illustribus*, maximè Hispanis, si fides habenda est Chrysostomo Henriquez in *Menologio Cistercienſi* ad dies XIII. Septembris, XI. Octobris, & I. Novembris, referente Carolo Vischio in *Bibliotheca Cistercienſi.*

B

BERENGARIUS natione Catalanus (ait *Bibliothecæ medicæ* auctor) scripsit *in Avicenam quasdam quæstiones, & in Biblioth. vet. Hisp.* Tom. II. *Hippocratem.* Ita & Gesneri *Epitome.*

BERENGARIUS DE NOYA Gallæcus, forsan ex ita dicto oppido (3), laudatur auctor operis cuiusdam ad rem metricam spectantis ab Enneco Lupi à Mendoza Santillanæ Marchione, in prologo *Centiloquii*, illis verbis, quæ in Raymundo Vidal inferiùs exscripsimus.

BERNARDUS quidam Hispanus, Prædicatorum ordinis, si credimus Leandro Alberto, sed incertæ ætatis, floruit doctrinâ philosophicâ atque theologicâ, scripsitque quædam opera, quæ ipsa Bernardo Triliæ à Dominicanorum Scriptorum laudatoribus tribuuntur, ut videre est apud Antonium Senensem, Altamuram, alios. Admonuimus pridem nos lectores lib. 8. cap. 6. huius antiquioris partis Bibliothecæ.

BERNARDUS DE CEVA Catalanus scripsit in *Consuetudines* (hæ sunt leges) Cataloniæ, quas *Usaticos* vocant.

BERTRANDUS quidam Hispanus, ut legimus in eadem Gesneri *Epitome*, scripsit *super Clementinas.*

C

CYPRIANUS BENETUS, hoc est, ut credimus, BENEDICTUS, quod Valentinæ gentis linguâ *Benet* efferri solet, scripsisse dicitur librum quendam *De non mutando Paschate*, quem MS. asservari in bibliotheca Medicea Florentiæ, legitur in Theophili Spizelii *De sacris illustrium bibliothecarum arcanis* pag. 93. (4)

(1) Dictum, plusque vice simplici de hoc Arnaldo inter Usaticorum Barcinonensium Glossatores è Franckenavio *Sacr. Themid Hisp. Sect. IX. n. XXV.* & præsertim in Not. ad *Lib. IX. c.* 4. n. 209. quo loco eum Valentiæ nostræ vindicavimus.

(2) Quetifus & Echardus inter sæculi XIV. Scriptores hunc Arnoldum collocant *T. I. pag.* 721. *col.* 2.

ADDENDI.

Ægidius Diaz, nescio quis, scripsisse dicitur Historiam *Roderici Didaci de Bivar*, vulgo dicti *El Cid*, à Ferdinando Perezio Gusmano, in metrico, atque inedito, ut putamus, opere inscripto: *Claros Varones de España*, in *Roderico Didaci.* Sistimus eius verba:

, Si la estoria non miente
, De *Gil Diaz* su escribano,
, El gran Soldan Persiano
, Principe è señor de Oriente
, Le embiò un su Pariente &c.

Frater Anselmus de Turmeda incertum cuius Instituti, Catalanus, circa annum, ut coniicimus, MCCCC. scripsit Lemosino Sermone tractatum metricum hoc titulo: *De les coses que han à esdevenir segons algunes profecies è dits d' alcuns estrolechs, tan dels fets de la Esglesia è dels Regidors de aquella, è de lurs terres è provincies &c.* Exstat in Bibliotheca Escurialensi *Lit.* n. *Plut. I. sub n.* 13. (T. III. p. 143.) Item: Opusculum aliud metricum ab auctoris nomine *Fransèlms* Valentinis vernaculè appellatum, sæpiusque Valentiæ editum: quo nostrates pueri postquam literas nôrunt easque in syllabas iungere incipiunt, uti consuevêre.

(3) Immo *Balearis Maioricensis*, ut nos olim Lib. VIII. in fine capitis 6. n. 283. in Not. Adductis autem eo loco in huius rei comprobationem, addere iuvat, in alio *Proverbiorum*, seu *Centiloquii* Marchionis Sant-Iulianensis exemplo, quod exstat in pseudepigrapho Ioannis Yxarensis codice toties à nobis laudato, itidem, ipsisque omnino verbis legi: *Las reglas de trovar escritas y ordenadas por Remon Vidal de Besaduc, home asáz entendido en las artes liberales è gran trovador;* (nin) *en la continuacion del trovar fecha por Jufrè de foxá monge negro: nin por* EL MALLORQUÍ LLAMADO BERENGUEL DE NOYA &c. Quibus add. Cl. Martinum Sarmientum *Memor. para la Histor. de la Poesia Española T. I. p.* 348. *n.* 768. quo loco pro *de Noya*, eum *de Troya* cognominat.

(4) Hunc *Cyprianum* ad annum Christi MDXXII. referunt Quetifus & Echardus *T. II. pag.* 49. quo loco late de eius scriptis professione & patria. Videndi.

D

DIDACI CAMPI-DOCTI *Chronicon* adducit pro se de Alphonsi VIII. tempore loquens, atque eius insano erga Hebræam quandam amore, Alphonsus de Spina in *Fortalitio Fidei* lib. 3. fol. 192. per hæc verba: *Secundum quod legitur in Chronico Didaci Campi-docti.* Quod sanè quò referam nescio, nisi historia significetur Roderici Didaci Cidi appellati, & vulgò *el Campeador* dicti; de quo neque locus, neque magnum operæ prætium est ulteriùs quærendi (1).

DOMINICUS DE CATALONIA, Dominicanus, scripsisse dicitur *De conceptione Deiparæ Virginis.* Fernandez in *Catalogo Scriptorum huius ordinis* (2).

DOMINICUS, archidiaconus Ecclesiæ Segoviensis, transtulit ex Arabico in Latinum Al-Gazelis Arabis *Librum philosophiæ* editum anno MDVI. cum nota factæ ab eo huius translationis in Toletana urbe. Vidimus nos in bibliotheca Ferdinandi Colon, quæ nunc ex legato eius est Hispalensis Ecclesiæ (3).

DOMINICUS DE S. IOANNE Maioricensis, ordinis S. Mariæ de Mercede, Scholasticus, ut dicitur, Salmanticensis Ecclesiæ, & Parisiensis Academiæ professor, scripsit, si Vincentio Muto vol 2. lib. 11. cap. 9. *Historiæ Balearis* credimus, *super Aristotelem* nescio quid.

DOMINICUS SEMINIVERBIUS, cum *Hispani* compellatione, adducitur à Petro de Alva in *Militia Conceptionis*, quasi auctor libri *Viola animæ* appellati, formâ dialogi inter Raymundum Sebundium & Dominicum Seminiverbium: *De hominis natura, propter quem omnia facta sunt, ad cognoscendum se, Deum, & homines.* Quem librum ait anno MD. Toleti editum in 4.° Attamen hic Dominicus dialogista est non utique libri auctor, à Remundo sive Raymundo Sebunde scripti. De quo pluribus egimus in huius Raymundi mentione.

E

EDUARDUS nescio quis citatur sæpiùs à Ferdinando Mexia in *Nobiliario* suo, quod *Verum* appellavit, uti Scriptor cuiusdam operis *Contra Anriquina* dicti, adversus aliquem forsan Anricum, sive Enricum: de quo altum alibi silentium. Utitur hoc opere Ferdinandus lib. 1. cap. 51. 64. & 73. & lib. 2. cap. 2. & 5.

EMMANUEL BRUDUS Lusitanus Iudaicæ sectæ, idemque medicus, nisi fallimur: de quo Salomon filius Virgæ in *Historia Iudaica*, quam Latinè Georgius Gentius dedit, Amstelodamique publicavit anno MDCLI. pag. 338. *Modum* (ait) *omnemque rationem, quæ ad immolandam Paschalem victimam pertinerent, admirandâ rerum copiâ descripsit Cl. Manuel Brudo in libro quem, de præceptorum ratione, composuit.* Hæc Salomon. Idem nomen medici cuiusdam est, qui *De victûs ratione* scripsit *in febribus secundûm Hippocratem in genere & sigillatim*, libris tribus, qui prodierunt Venetiis anno MDXXXIV. in 8.° Tiguri apud Gesneros fratres MDLV. in 8.° Venetiis iterum apud Petrum Rubeum MDLIX. Coloniæ apud Petrum Horst; & cum aliis in *Enchiridio rei medicæ* Conradi Gesneri.

F

FERDINANDUS ZAMORENSIS, ignotus aliàs, reliquit in schedis librum: *Summam de ordine iudiciario* dictum, qui Castellano, sed valdè antiquo sermone, manu exaratus in folio asservatur in bibliotheca Colonæa Hispalensis almæ Ecclesiæ.

FRANCISCUS DE PACE, Mercenariorum instituto addictus, *Commentariorum in libros Regum*, atque alterius operis, *De regia potestate* quod dicitur, auctor celebratur in *Catalogo virorum illustrium*, huiusce Ordinis ab Alphonso de Roxas. Ignoratur quidem, sub quo Magistro generali, aut quibus annis vixerit: quod ait Petrus à S. Cæcilio in MS. commentario *De ordinis sui Mercenariorum Scriptoribus.*

G

GALAF, Israelita sive Iudæus, Catalanus ex Ilerda urbe (hodie *Lerida*) *vir* in medicis rebus eruditus, scripsit *Antidotarium excellentissimum*, auctor ait *Bibliothecæ medicæ.*

GARSIAM LUPI DE RONCESVALLES, in eorum albo, qui de Navarrenis rebus quicquam scripsêre, laudatum inter alios legimus in congressione 4. (fol. 121.) *Congressionum apologeticarum pro veritate investigationum regni Navarræ*, qui Thesaurarium (alicuiusne Ecclesiæ dignitatem, an ob sæculare munus gestum?) appellat.

GERARDUS CARMONENSIS, famâ bene notus ob multiplicem Arabicorum operum in Latinum idioma translationem, penè fuit hactenus patriæ suæ Hispaniæ subreptus; cùm Carmonæ urbis Bæticæ provinciæ cum Cremona Insubrum Italorum æquivocatio passim vulgoque magis in laudandis Gerardi versionibus; & interprete ipso apud Italos, qui edidere-runt, ignoto in notum transformato nomine, prævaluisset.

Qui ergo Gerardus Cremonensis ferè ubique audit, Gerardus Carmonensis est, Bæticus è Carmone antiquo, & à Iulio Cæsare, Hirtio, Ptolemæo, Strabone, Antonino, & aliis memorato Turdetanorum oppido, quæ nunc *Carmona* urbs est, sex ab Hispali, duabus à Bæti fluvio ad lævam disparata leucis. Cui errori ab eorum persuasione exterminando, qui urbi favent Italæ nobilissimæ & amplissimæ, satis esse deberet, Gerardum Hispaniæ nostræ nunquam non incolam, Toleti vacâsse Spartæ suæ ornandæ: qua in gente & vicinia Maurorum potiùs quàm in Italia natum eo tempore hominem, cùm nulla ibi Arabicæ linguæ discendæ occasio esset, neque studium peregrinarum rerum doctrinæque valuisset adhuc, Arabicis vertendis libris navâsse operam, vero similius omnino est. Neque aliter coniectari nos Raphael Maffæus Volaterranus efficiet, quantumvis Gerardi, atque eius patriæ, non in transcursu & aliud agens, sed in celebrandis Cremonæ urbis rebus, virisque doctrinâ claris, disertè meminerit. *Ornatur insuper* (lib. 4. *Geographiæ* ait) *hæc urbs ingeniis, Marco Furio Bibaculo poeta, Quintilio Varo Virgilii familiari, Gerardo Sabloneta medicinæ theologiæque, tum Chaldæarum Arabicarumque literarum peritissimo, qui Avicenam Rasimque sive Almanzorem convertit.* Quem Gesnerus in *Bibliotheca* exscribens, aliquid ultrà ait ex Volaterrano, quod ille non dixit, *Sublonetam* (*Sabioneta* est hodie arx munitissima Guzmanorum Stigliani principum) natalem fuisse Gerardi locum in agro Cremonensi, unde ei cognomen; cùm verè is Cremonæ natus, à Subloneta, ut passim solent homines, ab non suis urbibus oppidisve cognominari potuerit. Quamvis non diffitear Volaterranum alio loco (21. nimirum libro) dum claros celebrat in quibusdam artibus, præcipuè in medicina viros, cum Gesnero consentire videri. Ioannes quidem Trithemius Gerardum Fulginatem vocavit, à *Fuligno* Umbriæ urbe scilicet, quæ valdè à Cremona distat, nescio unde doctus. Atque ideo prætermisit eum in bibliotheca Umbriæ Iacobillus.

Attamen pro Hispanis eius natalibus sunt editio Basileensis, omnium aliarum optima, anni MDLVI. ex Hervagiana officina Avicenæ operum ex nostri versione: quæ quidem eum Gerardum Carmonensem disertè vocat. Garsias item ab Orta Lusitanus medicus in libro iam ex vulgari à Carolo Clusio in Latinum verso *De aromatibus & simplicibus Indiæ*, natum Gerardum in Bætica Hispaniæ non aliis verbis ait. Conspiratque Andreas Alpagus Bellunensis in editione Veneta anni MDLXII. *Avicenæ Canonum*, ubi laudat interpretem Gerardi Carmonensis appellatione, quod quidem à Roderico Caro notatum invenimus ad oram libri sui *Chorographiæ conventûs Hispalensis*, ubi de Carmone agit, quandocumque iteraretur typis, intus accipiendum.

Conveniunt Iosephus Scaliger, eoque laudato Vopiscus Fortunatus Plempius in prologo ad suam *Canonis Avicenæ* postremam interpretationem ex Arabico fonte in Latinam linguam, Petrus Daniel Huetius, vir præstantis eruditionis & iudicii lib. 11. *De interpretatio-*

(1) Succurrit, sitne idem *Didacus* hic *Campi-doctus* cum *Didaco de Campis* auctore operis inscripti: PLANETA in Bibliotheca Sanctæ Ecclesiæ Toletanæ superstitis: quode opere atque Scriptore Noster suprà, *Lib. VIII. c. 1. n. 8.* nosque ibidem in Not. *T. II. p. 47. col. 1.* egimus: ut *tò* DOCTUS elogium Auctoris sit, proprio eius cognomini DE CAMPIS importunè assutum. Et quidem Auctoris atque Alfonsi VIII. Castellæ Regis tempora coniectionem non respuunt, cum hic ad annum MCCXIV. vivere desierit; *Didacus* autem *de Campis* anno MCCXVIII. *Planetam* scripsisse a Nostro dicatur. Meminit eius, atque ætatem qua floruit indicat Ferdinandus Perezius Guzmanus in metrico inedito opere: *Claros varones de España*, in cuius postremis ogdoadibus legitur:

, Otro dotor Castellano
, qu' en estilo asaz polido
, yo me acuerdo haber leido
, un volumen de su mano.
, DIEGO DE CAMPOS se llama
, este dotor que yo digo,
, en tiempo de Don Rodrigo
, grand prelado & de grand fama &c.

Habetur in pseudepigrapho Ioannis Yxarensis de Aragonia codice, toties à nobis laudaro. Respexeritne autem in loco proximè citato Ferdinandus Perezius ad *Chronicon Alphonsi VIII.* de quo agimus, an ad *Planetam*, non facilè divinare est. Atque ad prius illud respexisse coniicio; *Planeta* enim, qualem suo loco descripsit Noster, totus est ascetici argumenti *De Christo: De beatissima Virgine*, ac de præcipuis utriusque mysteriis, quæ limatiorem stilum (*asaz polido*) non usque adeo desiderâsse videbantur.

(2) Hunc Quetifus & Echardus *T. I. pag.* 808. ad annum Christi MDLI. referunt; ut nos alibi retulimus.

(3) Dictum à nobis de hoc Dominico suprà *Lib. VII.* in fine capitis IX. T. II. pag. 44. col. 2. *in Notis.*

tione pag. 140. ubi de claris interpretibus. Thomas item Reinesius medicus criticus, & philologus eximiæ famæ lib. 1. *Variarum lectionnm* cap. 11. *ubi Gerardum de Carmona qui ante annos trecentos Toleti vixit ac docuit*, vir scriptorum omnium gentium, omniumque doctrinarum curiosissimus, palam vocat.

Ac certè Toleti eum vixisse, non alibi notum, iidem hi, quibus Cremonensis audit, consitentur. Immo Lindanus, medicorum Scriptorum collector, hac una re persuasus duos ex eodem Gerardo fecit, laudans priùs Gerardum Cremonensem, & mox Gerardum Toletanum; necnon & de Abu-Becro Rhase loquens, huius interpretem *Gerardum Toletanum Cremonensem* vocat. Quare nil video cur æquivocatio facillimè contingens de alio in aliud adeò vicini soni nomen, Hispanum virum Arabicè doctum è Maurorum communicatione, Toletanumque consensu omnium civem, à soli natalis possessione, absque magna iniuria, deturbare debeat. In hac enim urbe Toletana floruisse & Avicenæ Canones eum vertisse, agnoscunt Symphorianus Camperius, ex eoque Gesnerus in *Bibliotheca*, Plempius, Reinesiusque laudati, & editio antiquissima istius Canonis, Toleti in Hispania factum versionis opus clamat. Cum verò ante CCC. annos absque alia exactiori notitia dicatur is vixisse (error quippe absurdus est in Iusti *Chronologia medica*, & in Lindani opere *De scriptis medicis*, vixisse eum circa annum MDLV.) non abs re auctoribus incertæ ætatis eundem immiscuimus. Cuius quidem laudantur opera hæc à Camperio & Gesnero:

Introductorium medicinæ, liber singularis.

Commentarius in viaticum Constantini monachi, nempe Benedictini, cuius idem Gesnerus Lindanusque & alii meminêre.

In Astronomia verò

Theoricæ planetarum, ante Georgium Purbachium; cuius discipulus Ioannes Regio-montanus peculiari dialogo acerrimè has nostri antiquiores insectatus fuit. Meminit huiusce operis Raphael Volaterranus lib. 21. *Commentariorum urbanorum* [n], sub nomine eodem Gerardi Cremonensis, & Ricciolus in *Almagesto novo*, & *Chronico astronomorum* secundo, in eius principio edito.

[n] Pag. 493.

Ex Arabico idiomate in Latinum vertit: *Canona medicinæ* prædictum *Avicenæ*. de quo Daniel Huetius ita: *In multis Arabum convertendis voluminibus, sed Avicenæ præsertim, horrido stilo & inculta oratione usus est Gerardus Carmonensis; nec satis emendati codices ei contigerunt; & in pluribus à vero auctoris sensu, propter medicæ artis, & Græcæ linguæ, è qua doctrinam suam Arabes hauserunt, ignorationem, fœdissimè aberravit; in eo tamen laudandus, quòd fideliter & adstrictè quæcumque assecutus est, repræsentavit.* Nec minus ei detrahit Ioannes Baptista Montanus, professor Patavinus medicæ artis, in oratione quadam ad discipulos de Avicenæ interpretatione: *Avicena fuit translatus primò* (inquit) *de lingua Arabica in Hebræam, postea in Hispanicam, postremò à quodam Cremonensi fuit traductus in Latinam, qui fuit multum ignarus, & in multis peccavit.*

Audiamus tamen Plempium Arabicè doctissimum, atque adeò idoneiorem testem, qui relatæ huic Montani censuræ subiecit, eum taxans, quòd crediderit factam à Gerardo Carmonensi fuisse hanc versionem ex Hispano in Latinum sermonem, non verò ex Arabico. *Quod verò ait illum* (idem prosequitur) *in multis peccásse, convenit in illum quod in nos omnes, qui homines sumus. At eum multùm ignarum fuisse, multum fallitur. Quàm in medicina nostra excelluerit haud scio. Verùm Arabismi fuisse gnarissimum, patet omnibus eius linguæ peritis. Versio eius fidelis est, non vivida; at eo sæculo sic loquebantur.* Hæc Plempius pro nostro. Quod dictum velim de aliis eius versionibus, quæ sequuntur:

Cantica quoque *Avicenæ.*

De viribus cordis.

De removendis nocumentis in regimine sanitatis.

De syropo acetoso. Omnia eiusdem Avicenæ. Quæ simul cum *Canone* prodierunt ex castigatione Andreæ Alpagi Bellunensis; atque idem cum annotationibus Ioannis Costæi, & Ioannis Pauli Mongii sæpiùs, ut apud Lindanum legitur de Avicena loquentem.

Præterea:

Rhasis Practicam, & *Antidotarium.*

Rhasis item opus, quod *Liber divisionum* audit, quo describuntur curationes omne genus morborum, de quo Gesnerus in *Rhasi.*

Item in *librum* eiusdem Rhasis *ad Almansorem* nonnullas additiones interlineares adiecisse Lindanus ait, quæ exstant in *Operum parvorum Rhasis* editione Lugdunensi Vincentii à Portonariis MDX.

MDX. in 8.° Idem Lindanus in *Gerardo Toletano* ait *Opera Abu-Becri Rhasis* Latinitate à nostro donata, Basileæ apud Henricum Petrum anno MDXLIV. prodiisse.

Librum *Alben Gnefit philosophi De facultatibus medicinarum & ciborum*, Argentorati MDXXXI. in folio, cum Tacuini *Sanitatis*, ut Gesnerus ait in *Alben Gnefit.*

Commentarios quosdam Anonymi Arabis in *Prognostica Hippocratis*, qui cum Ioannicio (scripsit is *Introductionem in artem parvam Galeni*) olim excusi sunt chartis 14. in folio, cum veteri simul ac novâ textûs *Prognosticorum* translatione; *licèt nonnulli dicant* (Gesnerus infit) *bis etiam Commentarios fuisse traductos, in quibus multoties ponuntur multa dicta Humain, qui aliquot opera Hippocratis & Galeni Commentariis suis explicuit.*

Artem quoque *parvam Galeni* eum interpretatum fuisse ait Gesnerus: quod intelligo ex Arabica Galeni versione in Latinam linguam. Hæc ille de Carmonensis interpretationibus; sed adiungunt alii alias.

Lindanus ait

Iani Damasceni librorum VII. *Therapeuticæ metaphrasin* à Gerardo nostro confectam exstare Venetiis editam: quem Ianum Damascenum, si à Lindano quæras, nunquam certè noveris; nam & Ianum monachum Damascenum laudat presbyterum, cognomento Manzurem, Decapolitanum, huius *Therapeuticæ* auctorem; & alibi Ioannem Damacenum monachum Benedictinum, filium Mesue filii Hamach, filii Heli, filii Abdelæ Regis Damasci: qui, sive Græcè sive Arabicè, scripsit circa annum MCLVIII. aut, secundum alios, MCLV. Cui postremo, licèt non Lindanus, libens ego tribuerim *Therapeuticam* opus medicum Arabum proli (*sic*) & Arabico scriptori, ex qua lingua Carmonensis transtulerit, quam Ioanni Damasceno, celebratissimo illi cognomento Manzuri, & Chrysorrohoæ, octavi sæculi scriptori neque medico, neque Arabicâ linguâ uso, quod Gesnerus facit. Prodiit autem *Theraupetica* hæc *methodus*, sive *Curandi artis* libri VII. partim Albano Torino Vitodurano paraphraste, partim *Gerardo Iatro* (ita pro *medico* Lindanus protulit) Cremonensi metaphraste, Basileæ apud Henricum Petrum MDXLIII. in folio.

Albu-Carsæ, seu *Albu-Carissi*, *Chirurgum*, aliàs *Medendi methodum*, Latinam ex Arabica Henricus Petrus anno MDXLV. cum aliis Basileæ publicavit absque nota Latini interpretis. Quem Gerardum esse nostrum constat ex codice Ms. bibliothecæ Regis Galliarum, teste Labbeo in *Nova bibliotheca manuscripta* pag. 50.

Geberum De astronomia libris novem docentem Latinitate donavit, ut nos docet Ricciolus in *Chronico Astronomorum* &c. *Almagesti* sui *novi* primo volumine. Vide in *Gebero* lib. 11. cap. 3. *Bibliothecæ.*

Kiranni, seu *Kirannidæ*, *Regis Persarum, opus, sive librum physicalium virtutum, compassionum & curationum*, hoc est, de magia naturali, Gerardum Carmonensem vertisse in Latinum, Gaspar Barthius lib. 11. *Adversariorum* cap. 16. sive 17. opinatus fuit. Sed præterquam quòd hunc librum *Kirannida*, non ab auctore huius nominis, sed à *caraa* verbo Arabico, quod *colligere* est, vocatum fuerit, observavit: haud rectè dici eius fuisse Latinum interpretem Gerardum Carmonensem Thomas Reinesius docuit lib. 1. *Variar. lection.* cap. 11 (1).

GOFREDUS DE FEXA Benedictinus monachus scripsisse dicitur *De re metrica*, laudatum opus ab Enneco Lupi à Mendoza Santillanæ Marchione in prologo ad *Centiloquium*, cuius verba dedimus in *Raymundo Vidal* huiusmet syllabi auctorum incertæ ætatis (2).

GOMESANUS, si Arnoldo Uuioni aures damus, in *Ligno vitæ* lib. 2. cap. 68. unde profecit Possevinus, verba eius referens in *Apparatu* suo *monachus & abbas Ildensis monasterii*, (3) *scripsit Vitam S. Ildephonsi: cuius compendium, ut licet inde colligere, excusum est cum eodem Ildephonso De laudibus Beatæ Virgi-*

(1) De Cremona Insubrum urbe Gerardi de quo agimus patria, iudicium seu coniecturas nostras superius adduximus, nimirum *Lib. VI. c. 12. n.* 294. Not. (T. I. p. 505. col. 2. in fine); & *Lib. VII. c. 2. n.* 31. (T. II. p. 92.)

(2) *Foxá*: facili unius literulæ lapsu. Meminimus & nos huius Gofredi suprà, Lib. VIII. c. 7. n. 291. in Syllabo Poetarum quos *Provinciales*, & vulgus *Trobadores* appellat, *T. II. p.* 106. *col.* 1. *sub fine.*

(3) Pro τοῦς: *Monachus & Abbas Ildensis Monasterii*, lege: *monachus Albaildensis monasterii*: quemadmodum primus omnium hunc locum restituit Cl. Andreas Marcus Burrielius. Vid. notata nostra *Lib. V. c. 6. nn.* 285. & 289. Exstitit autem id Monasterium in Pampilonæ finibus non procul ab urbe Lucronio.

ginis Basileæ MDLVII. in 8.° Error tamen est Uuionis, exscriptorem libri istius *De virginitate Deiparæ Virginis* sive *De laudibus* (quomodo in Basileensi illa editione nuncupatus prodiit) pro scriptore *Vitæ S. Ildephonsi* accipientis.

Diximus de Gomesano hoc & transcripto ab eo Ildephonsi libro in eiusdem. Doctoris elogio lib. 5. cap. 6. Nec aliò nos avertere debet Labbeus in Bibliothecæ manuscriptorum librorum supplemento VII. pag. 286. quod est ex Bibliotheca Regia Parisiensi deductum, dum codice 1183. unà cum Tychonis quibusdam operibus reperiri ait *S. Ildephonsi Vitam Scriptoribus Iuliano & Helladio Episc. Toletanis, Gomesani presbyteri Pampilonensis in laudem B. Virginis Mariæ, de Nativitate B. Virginis Mariæ, in B. Virginem sermonem incerti auctoris.* Quam collectionem ex eodem codice Regio totidem verbis laudat in *Arcanis bibliothecarum* retectis Theophilus Spizelius. Referri enim Gomesani hæc memoria eò debet, non ut auctor sit eius libri *De laudibus beatæ Virginis*, sed exscriptor tantùm, ut aliàs diximus; forteque idem is Regis Christianissimi codex est quem Gomesani dono accepit Pampilone transiens à Compostellana peregrinatione in Aquitaniam Gotiscalchus Episcopus: quod in eodem codice notari, dum de hoc libro in rebus Ildephonsi lib. 5. cap. 6. tractaremus, animadversum à nobis fuit.

GUILIELMUS DOMINICI (vulgò *Domenge*, aut *Domenec*) Catalanus scripsisse dicitur in *Usaticos*, sive leges Barcinonenses urbis. Cum aliis Ms. exstabat in bibliotheca summi viri Antonii Augustini (1).

GUNDISALVUS quidam Hispanus (auctore Ioanne Walensi Franciscano in *Florilegio de vita & dictis illustrium philosophorum* à Wadingo edito Romæ MDCLV. in 8.°) scripsit *De ortu scientiarum*, atque item librum *De anima*. Priores lucubrationes laudat parte 1. cap. 1. his verbis: *Huic ultimæ diffinitioni addit Gundisalvus in libro De ortu scientiarum* &c. ubi ad oram Wadingus: *Hispanus, scripsit De divisione philosophiæ, De anima, & libros De cælo & mundo* (Aristotelis nempe) *ex lingua Arabica transtulit in Latinum.* Et hunc *De anima* librum idem Walensis laudat in *Breviloquio De sapientia Sanctorum* cap. 1. quod ad calcem *Florilegii* editum fuit. Vivebat autem Ioannes hic Walensis circa annum MCCC (2).

H

HIERONYMUS A S. BERNARDO, Cisterciensis monachus domûs Alcobaziæ in Lusitania, Sancio Regi (primóne an secundo non dicitur) dicavit opus à se Parisiis habitum & in vulgarem linguam translatum: *De una pratica que hum Rey de Persia teue con hum* . . . . Prodiit Ulissipone anno MDLX. Gaspar Cardosus auctor est in schedis.

HIERONYMUS, Abbas Cistercienſis monasterii de *Benifazà*, scripsisse dicitur: *Arbol de la decendencia de los Reyes de Aragon*; atque etiam: *De rebus Ioannis Aragoniæ Regis* (II. ut credimus) auctore Barnaba de Montalbo *Chronici Cistercienſis* parte 1. lib. 2. cap. 33 (3).

HUGO Catalanus, notus dumtaxat nobis ex testimonio Ioannis de Turre-cremata, S. R. E. Cardinalis sapientissimi, in proœmio super *Decretum Gratiani* pag. 11. ubi eos omnes enarrans, qui Sanctorum Patrum canones & decreta in unum collegerunt, post laudatos Isidorum & Ivonem Carnotensem, ita ait: *Tertius fuit quidam Hugo nominatus, natione Catalanus: qui opus præfatum D. Ivonis (eò quòd etiam non parvæ quantitatis esset) abbreviavit, & libellum quendam portatilem dicitur composuisse, qui appellatur Summa Decretorum Ivonis.* Hæc Turre-cremata.

Incidimus post hæc annotata in editionem novam Antonii Augustini *De emendatione Gratiani*, ab Stephano Baluzio procuratam, in cuius præfatione ad lectorem ita legimus de Ivone & Hugone °: *Sequitur Ivo Carnotensis, Episcopus, vir magni in Ecclesia Dei nominis, cuius lucubrationes in omnibus versantur. Exstant duo canonum aut Decretorum collectiones antiquæ huic auctori tributæ, quarum una* Decretum Ivonis *vulgò vocatur, altera* Panormia: *utraque eandem habens præfationem. Quo factum est ut viri docti putaverint* Panormiam *non esse Ivonis opus, sed Hugonis cuiusdam Catalanensis, aut alterius incerti Scriptoris,*

° Num. 20.

(1) Franckenavius *Sacr. Them. Hisp. Sect. IX. n. XXVI. pag.* 216. Notas in Usaticos Barcinonenses scripsisse asserit; ætatem non indicat; sed sæculo XIV. inclinante vixisse credibile est.

(2) Eadem atque ipsis verbis repetita legas suprà, *Lib. IX. c. 1. n. 5.* quo loco vide à nobis notata. Agit de hoc Gundisalvo Fabricius, *med. & inf. Lat. T. III. p. 74. col. 2. in fin. & init. seq.*

(3) Egerat de hoc Hieronymo Noster, *Lib. X. c. 16. n. 887.* inter Scriptores sæculi XV. exeuntis.

ris, qui Decretum in compendium redegerit: fundum suæ illius opinionis accipientes ex Vincentio Bellovacensi, qui libro 25. Speculi historialis *cap. 84. testatur Hugonem illum ex eodem volumine abbreviato libellum portatilem composuisse, qui* Summa Decretorum Ivonis *appellatur. Sed opus, illud diversum fuisse à* Panormia, *vel hæc res indicio est, quod* Summa Decretorum Ivonis *inscriptum fuerit; cùm* Panormia *in vetustissimo codice S. Victoris Parisiensis, in duobus etiam codicibus mss. monasterii S. Albini Andegavensis, denique in omnibus editionibus* Panormia *semper vocetur, nunquam* Summa Decretorum. *Præterea vir istarum rerum peritissimus Antonius Augustinus ex eo collegit Panormiam non esse* Epitomen Decretorum Ivonis; *quòd pauca sint, in quibus hæ duæ collectiones inter se conveniant. Ceterum aut valdè me fallit amor suscepti negotii, aut deprehendisse mihi videor Victorinum* Panormiæ *codicem multò antiquiorem esse Hugone Catalanensi, quisquis tandem homo ille fuerit. Unde certò colligi potest Vincentium de quodam alio opere loqui, quo caremus absque aliquo bonarum literarum dispendio.* Hactenus Baluzius. At cùm tam is quàm Turre-cremata Catalanum vel Catalanensem vocârint, non Catalaunensem aut Catelaunensem, quomodo vocatam gentem Gallicam, ubi *Chalons* hodierna nunc est, olim positam ex historicis & geographis constat P: iure nos hunc hominem ad Catalanos nostros referimus.

P Vide notitiam Galliarum Hadriani Valesii.

I

IACOBUS Catalanus Ordinis Prædicatorum scripsisse dicitur *De conceptione Virginis Mariæ* (1).

IACOBUS CONESA protonotarius regius (ait Petrus Augustinus Morlà in *Emporii sui Iuris* proœmio, ubi Valentinos Scriptores laudat, dum ad historicos accedit) *Græcorum & Troianorum res gestas, atque Ilii eversionem, patrio sermone Va-*

Biblioth. vet. Hisp. Tom. II.

lentino, nec sine ingenii industria & arte, donavit: Guidonis de Columna Siculi forsan interpres, qui Latinam, quæ in manibus est, & in varias Europæ linguas conversa, *De rebus Troianis historiam*, decimo tertio sæculo ex Darete Phrygio ac Dicti Cretensi, fabulosis auctoribus, continuavit (2).

IACOBUS LUPI REBELLO Lusitanus scripsit *Fructus sacramenti pœnitentiæ* forsan sæculi XV. auctor; nam editum opus Parisiis anno MCDLXXXIX. necnon & MDII. in 4.°, Cardosus ait in schedis.

IACOBI tres, DE MONELLIS, CARDONI, & MATTHÆI, Catalani iurisconsulti, scripsisse dicuntur in *Consuetudines*, sive (ut vocant) *Usaticos principatus Cataloniæ* (3).

IOANNES, conversus ex Iudæo, *in Concordia legum* forsan Hispanus, laudatur ab Alphonso Spina in *Fortalitio Fidei* lib. 3. pag. 109 (4).

IOANNES ANDREAS, ex Mahometana secta conversus ad Christianam Fidem, Valentinus, ut credimus, & olim, dum in cæcitate sua cæcorum dux maneret, civitatis Sætabensis (*Xativa* nunc) Alphaquinus; ita enim vocant falsæ religionis magistrum, custodemque seu ministrum. Illuminatus hic mentem veræ pietatis radio, insurrexit alacer in suos olim consecraneos scribens *Anti-Alcorani* opus multis libris constans: quorum duodecimum laudat cum eius auctore, & his eius notis Ioannes Martinus Figuerola, vir Arabicè doctus, in eo libro quem ineditum reliquit hispana linguâ: *Contra Alcorani* eiusdem *errores* lib. 1. cap. 18. per hæc verba, quæ ex vernaculis Latina reddidimus: *Et ea quæ à nobis dicentur, ex quodam libro erunt, quem Ioannes Andreas, Alphaquinus olim de Xativa, conscripsit. Et quidem quod experientiâ vigeret præsumitur, ac verum planè est, quod & ego expertus sum, certa eum ex Alcorano adducere.*

Meminit quoque Ioannis Andreæ huiusque eiusdem operis Lupus de Obre-

(1) Hic idem ille est *Iacobus Gil* (sive *Ægidius*) *de Xativa* Sacri Palatii Apostolici Magister sub Calisto III. atque item auctor novi officii Ecclesiastici in festo Transfigurationis Domini nostri Iesu Christi: de quo nos suprà *Lib. X. c. 9. n. 456.* in Callixto; atque in *Addendis* ab anno MCCCCL. Videndi Quetifus & Echardus in *Indicibus Tomi I. Lit.* I.

(2) Subscribit Comitiis generalibus Montisone à Petro II. (alias IV.) Aragonum Rege celebratis anno MCCCLXIII. die x. Octobris in Codice Fororum Valentiæ: *Signum mei Iacobi Conesa Secretarii dicti Domini Regis, eiusque auctoritate Notarii publici per totam terram & dominationem Eiusdem.*

(3) De hac Iacoborum triga Franckenavius *Sacr. Themid. Hisp. sect. IX. §. XXVII.* qui tamen eorum ætatem non indicat.

(4) Dictum à nobis de hoc Ioanne Ex-Iudæo Vallisoletano *Lib. IX. c. 4. n. 243. in Not.* Fuit recentior alter Ioannes item Ex-Iudæus, sed Toletanus, cognomento *Senex* (Juan el Viejo) auctor operis inscripti: *El memorial de las cosas que atañen à nuestro Señor Jesus, y á la su santa Fee.* De hoc nos suprà, lib. IX. in fine capitis 2. n. 92. in *Addendis* à sæculi XV. initiis ad annum MCCCCXX.

gon, Abulensis urbis parochus, in *Confutationis Alcorani vernaculæ proœmio*, his verbis Latinè versis: *Declarare se nempe ait quæ in Corano sunt contradictiones ex ipsis Mahometanorum libris; necnon & eo quem confecit Ioannes Andreas olim Maurus, posteaque gratiâ Dei Christianus, & canonicus Granatensis Ecclesiæ.* Laudatur item ab Hieronymo Puiades lib. 6. *Historiæ Catalanæ*, gentis linguâ scriptæ, cap. 64 (1).

IOANNES ANDREAS alius canonicus Ecclesiæ Ilerdensis, quem uti metaphysicæ Christianæ Scriptorem laudat in prologo secundo *Chronici* sui *Aragonensis regni* Gaubertus Fabricius de Vagad, catholicorum Regum temporis auctor. Quem Ioannem Andream à Fabricio memoratum ignotum sibi esse hominem ait Lanuza in *Commentariis rerum Aragonensium*, dum Scriptores huius regni sedulâ operâ collegisset.

IOANNIS ARAGONENSIS *Iter rectum viatorum* MS. in 4.° Patavii in bibliotheca exstabat Nicolai Trivisani, teste Philippo Thomasino *Bibliothecæ Patavinæ* auctore.

IOANNES Hispanus laudatur à Ioanne Andrea in prologo *Speculi*, uti auctor cuiusdam *Lecturæ super decretalibus;* cuius & Labbeus meminit in *Bibliothecæ manuscriptæ* pag. 51. Idem an alius ab eo qui cum titulo Hispani diaconi scripsit opus *Florem Decretorum* dictum, quod in *Indice Scriptorum Iuris* inter eos auctores refertur, qui super Decreto scripsere, & quidem hoc, ut ibi innuitur, typis editum.

FR. IOANNES EVANGELISTA DE CORDUBA, Ordinis Minorum, intactus Lucæ Wadingo inter Scriptores huius familiæ, scripsisse dicitur *De conceptione Deiparæ Virginis* librum quendam, cuius Bernardinus de Bustis in *Mariali* sermone 9. *De Conceptione* meminit. Laudant Maraccius in *Catalogo Mariano* ad an. MCDLIX. & in *Bibliotheca Mariana* fol. 721. & Alba in *Militia conceptionis*. Bernardinus autem de Bustis florebat circa annum MD.

IOANNES GUNDISALVI, qui magister audit, & SALOMON quidam, interpretati sunt (quo tempore incertum) ex Arabico in sermonem Latinum *Avicenæ* (*f. Aristotelis*) *physicorum libros quatuor*. Quam quidem interpretationem in Vaticana bibliotheca inter libros, qui Ducis Urbini fuerunt asservari MS. in fol. membranaceo testis est rever. Pater D. Iulius Bartholoccius amicus noster in *Magnæ bibliothecæ Rabinicæ* primo volumine, verbo *Avicena* (2).

IOANNES HISPALENSIS, sive à patria, sive cognomine ita vulgò laudatus, incertus ævi, non autem doctrinæ astronomicæ, pariumque aliarum mathematicarum, necnon & Arabicè doctus, addictusque ferè semper vertendis ex hacce in Latinam linguam principibus veterum astronomorum & astrologorum libris. At verò ante omnia hunc alium diversumque fuisse nullus dubito à Ioanne Hispalensi Archiepiscopo, qui ut Rodericus Toletanus ait lib. 3. cap. 4. *Sacras scripturas catholicis expositionibus declaravit, quas in formationem posterorum Arabicè conscriptas reliquit.* Et vulgò creditur versionem quandam Arabicam sacrorum Bibliorum confecisse; cuius nos meminimus suprà lib. 6. cap. 9.

Nunc ad nostri Ioannis iunioris opera deveniendo,

Epitomen totius astrologiæ Ioachimus Hellerus Leuco-petræus vulgavit Norimbergæ anno MDXLVIII. in 4°. qui Hellerus plures apud se habere Arabicorum Scriptorum libros, in Latinum ab eodem Ioanne conversos eumque ante quadringentos annos floruisse, asserit.

Ioannis Hispalensis & Guidonis Donati Astronomia, cum Reinardi collectionibus, exstat in Regis Galliarum bibliotheca, teste Labbeo in *Bibliotheca manuscripta* pag. 48.

Algorismus ibidem servatur codice 1089. Labbeus pag. 47.

Chiromantia eiusdem ex Arabico in Latinum conversa exstat in bibliotheca Ioannis Francisci Lauredani Venetiis, quod Thomasinus refert *Bibliothecæ Venetæ manuscriptæ* pag. 96.

Liber Mesalach, de receptione, versus à Ioanne Hispalensi de Arabico in Latinum visitur in bibliothecæ Vaticanæ codice 2226.

Alcabitius cum commentario Ioannis Hispalensis, ibidem codice 4077. Ms. uti habet nota codici affixa. Verus tamen titulus ex editione huius operis desumendus est, scilicet: *Libellus isagogicus Abdilazi, id est, servi glorioſi Dei, qui dicitur Alcabitius, ad magisterium iudiciorum astrorum, interpretatus à Ioanne Hispalensi:* quem præfert editio Venetiis Nardi Radolt Augustani anno MCDLXXXI. in 8.° Exstat cum aliis hæc editio Alcabitii in eiusdem bibliotecæ Vaticanæ cod. 8392. typis edita. Atque idem videtur opus cum eo, quod in bibliotheca Regis Galliarum codice 1805. MS. sic inscribitur: *Ioannis Hispalensis Isagoge de iudiciis astrorum.* Et inter codices MSS. Renati Moreau Parisini medici, *Ioan. Hispalensis Isagoge astrologica*, ut Labbeus refert eiusdem *Bibliothecæ manuscriptæ* par. 4. sect. 4. & pag. 218. Prodiit quoque Alcabitius ex nostri interpretatione Venetiis iterum MCDXCI. tertioque MDXXI. cum expositione Ioannis de Saxonia ex emendatione Antonii de Fontis Tarvisini medici, ut Vossius observavit *De scientiis mathematicis* cap. 64. §. 1. Item Lugduni apud Guilielmum Huyon in 4.°

Alfarganum quoque convertisse Ioannem Hispalensem, auctores sunt Iacobus Christmannus & Iosephus Blancanus, quos laudat Vossius *De scientiis mathematicis* cap. 35. §. 18. *Elementa* huius auctoris *astronomica* intelligo, quæ habemus in editione Amstelodamensi ex Iacobi Golii versione. Notatum verò apud Vossium legitur, circa annum MCXLII. hanc versionem Ioannem fecisse; quod vellem non per transennam dictum. Quod ipsum dico de Ioanne Baptista Ricciolo, qui in *Chronico mathematicorum* hanc eandem ætatem Ioanni Hispalensi assignavit: sed citissimè huc, & (ut in proverbio est) tanquam canis ad Nilum, accedens.

Mercurii Trismegisti operum interpretem eundem hunc nostrum laudat Michael de Medina vir eruditissimus lib. 2. *De recta in Deum Fide* cap. 2. dum eos enarrat, qui de chiromantia & physiognomia scripserunt. Nescio tamen cui credens animadverterit Ioannem id opus á se traductum ex Arabico Elisabethæ Reginæ Catholicæ (quæ anno obiit MDIV.) dedicâsse. Cùm Ioannes Picus Mirandulanus huiusmet ævi, quo Elisabetha vixit Scriptor, celebris, ad Alphonsi X. Castellæ Regis tempus ætatem Ioannis referat, ut videre est in cap. ultimo lib. 12. *in astrologiam*, ubi ait, in gratiam Alphonsi multa monumenta astronomica Græcorum & Arabum, per Ioannem præsertim Hispalensem, & Michaelem Schotum, Scriptorem nullius ponderis multæ verò superstitionis, ad nos pervenisse.

Necnon clarissimè ad superiorem, quam ut Medina scopum feriret, ætatem pertinuisse eum evincit, quòd Ioannes Ægidius Zamorensis, Sanctii Regis ultimi tempore scribens, hoc est, decimo quarto sæculo, in quibusdam historiæ fragmentis iam eius meminerit. *In arte magica, & mathematica, & scientia astrologiæ philosophis Hispanis peritiores paucissimi* (ait) *exstiterunt, sicut declarant libri & Tabulæ Toletanæ, ubi ferè omnes libri philosophici sunt translati de Arabico in Latinum. Ioannes igitur Hispalensis & alii quamplures Hispali & Murciæ in astrologia peritissimi exstiterunt.* Hæc Zamorensis. Nil ergo invenire est, quo pedem sistamus de Ioannis ætate curiosi (1).

FR. IOANNES MANCIPE, Augustinianus, cœnobii de *Lorèt*, quod duobus passuum millibus ab Osca regni Aragoniæ urbe dissitum est, præfectus, cuidam libro suo *Lumen domûs* inscripsit, quem Ioannes Franciscus Andreas Ustarrozius laudat in opere *De patria S. Laurentii* pag. 210.

IOANNES DE PASTRANA, grammaticus, primus fortè gentem nostram docuit grammaticam artem, quo & aliis rudibus adhuc magistris aliarum gentium utebamur. Omnes enim Pastranæ grammaticam regnâsse in scholis nostris, antequam ex Italia reversus ex Bononiensi universitate ac S. Clementis Hispanorum collegio suam artem Hispaniæ invexisset Antonius Nebrissensis, in ore habent, ignari tamen, quisnam homo, aut cuius temporis: quod ex scriptis eius hauriri posse nullus dubito. Interim tamen, dum rarissimum librum non videmus, in bibliotheca Hispalensis almæ Ecclesiæ asservatur *Ioannis Pastranæ Commentum grammaticæ* MS. in 4.° charactere satis antiquo.

IOANNES DE QUADROS Scriptor Aragonensis historiæ, nobis ex quo D. Laurentius de Padilla usum se eo refert inter eos auctores, quos ad scribendæ historiæ suæ munus sub oculis habuit.

IOANNES RAYMUNDUS DE TRASMIERA scripsit: *Triunfo Raymundino, ò coronacion, en que se celebran las antiguedades y linages de la ciudad de Salamanca.* Inditus manet hactenus, & asservatur tum alibi, tum in bibliotheca excellentissimæ Comitissæ Villumbrosanæ ac de Quintana manu exaratus.

(1) Dictum à nobis latè de hoc Ioanne Andrea suprà. *Lib. X. c. 14. n. 757 in Not.*

(2) Hunc nos suprà *Lib. IX. c. 1. n. 5. in Not.* eundem cum Gundisalvo Hispano auctore operis: *De ortu scientiarum*, quode Noster eo loco agit, incerti tamen de eius ætate, coniiciebamus.

(1) De hoc Ioanne Hispalensi recentiore dictum suprà, *Lib. VI. c. 9. n. 215. in Not. T. I. p. 485.*

IOANNEM SANCHEZ laudatum vidimus tanquam veteris *Chronici Cataloniæ* Scriptorem. Planè eo usus fuit D. Philadelphus Muñoz in *Theatri genealogici regni Siciliæ* tom. 1. in familia *Castellèt* pag. 247. ubi ad libri oram legitur: *D. Giovan de Sanchez nella vita del Rè Pietro I.* Necnon & alicubi legimus iterum ab eodem Muñozio laudari tertio volumine eiusdem operis in familia *Segona*, quod forsan ineditum adhuc manet. In schedis familiæ de *Rocabertì* antiquissimæ, huius quoque mentionem factam legisse nos memoria suppetit.

IOANNES SENIOR Toletanus, non aliunde nôtus mihi, quàm quòd Michael Medina lib. 1. *De recta in Deum Fide* cap. 4. eius inter eos meminerit, qui Iudæorum cæcitatem scriptis commentariis dispellere conati sunt (1).

IOANNES VENTALLOL Maioricensis, de geometria quicquam scripsit, quod Vincentius Mut refert tom. 2. *Historiæ Balearicæ* lib. 8. cap. 6.

IOANNES VESPERTILIO (nisi error sit in nomine, & subrogandus sit Martinus de Alpartilio, de quo egimus lib. x. cap. 1.) ut historiæ generalis Cataloniæ auctor laudatur in schedis *familiæ Rocabertinæ*.

IORDANUS Dominicanus (Lusitanum, atque Eborensem fuisse Lusitani credunt) scripsit: *Certamen glorioſum in oriente FF. Thomæ de Tolentino, Iacobi de Padua, Demetrii de Tifolio, ac Petri Senenſis, martyrum Franciſcanorum* anno MCCCXXI. martyr & ipse postea, de quo Georgius Cardosus agit tomo 2. *Hagiologii Lusitani* fol. 307. in *commentario* (2).

L

LUDOVICUS DE ANGULO natione Hispanus, scripsit librum quendam *De imagine huius mundi*, ad solatium sereniſſimi principis & domini sui excellentiſſimi Raznerii Dei gratiâ Regis Siciliæ. Exstat MS. penes me. Hæc totidem verbis Antonius Verderius in *Supplemento epitomes bibliothecæ Geſnerianæ*, quod editum fuit anno MDLXXXV. Lugduni in fol. Cuius tempus scripti planè incertiſſimum redditur à malè concepto Regis Siciliæ nomine, quod nusquam fuit. Idem videtur cum eo cuius aliud opus è bibliothecæ regiæ Gallicæ MS. codice 1805. Labbeus in *Bibliotheca* sua *manuſcripta* laudat par. 4. sect. 4. *Alcabitii* nempe *introductio aſtrologica cum ſcholis Ludovici de Angulo Hiſpani, qui ex Catalonico in Latinum ſermonem reddidit librum Abrahæ Aben Eſræ De nativitatibus*. Hæc Labbeus (3).

LUDOVICUS DE AVIÑON, nescio cuius historiæ *De rebus Cataloniæ* laudatur Scriptor, vixisseque circa annum MCD. alicubi refertur.

M

MACARIUS quidam refertur scripsisse *Acta Sanctorum Ioannis Ataresii, Felicis, & Voti* Pinnatensium in regno Aragoniæ. Hieronymus Blancas in *Comment. rerum Aragonenſium*, & primo interregno Regum, quos *Suprarbienſes* vocat, cuiusdam vetusti auctoris meminit, cuius nomen se non reperisse ait. *Sed in iis* (adiungit) *quæ illius exſtant monumentis de veſtutiori altero Macario conqueritur, quod iſtius Ioannis eremitæ vitam ſcribens hæc omnia ſilentio præteriiſſet.* Hæc Blancas.

MARCUS quidam Toletanus vertit ex Arabico in Latinum *De motibus manifeſtis & obſcuris librum*, qui inter Galeni spurios habetur, translatione Arabica usus, quam ex Græco fecerat Ioannitius quidam, qui *Introductionem in artem parvam Galeni*, & alia scripsit. Hæc *Bibliothecæ medicæ* auctor de *Marco Toletano*. Hic videtur idem cum Marco Toletanæ Ecclesiæ canonico, qui fecit *Alcorani interpretationem Latinam*, quam exstare in bibliotheca Cæsarea Viennæ Austriæ in eiusdem secundo volumine lib. 2. cap. 8. pag. 979. Petrus Lambecius auctor est (4).

MARTINUS DE CORDUBA, magistri ornatus titulo, scripsit librum *Diverſarum hiſtoriarum*, quem laudat Ferdinandus Mexia in suo *Nobiliario* lib. 1. cap. 76.

MARTINUS INDALETIUS scripsit *La perdida y reſtauracion de España*; cuius rei auctor est D. Petrus de la Escalera iurisconsultus & advocatus curiæ Matritensis in *Hiſtoria de los Monteros de Eſpinoſa* cap. 7. affirmans se vidisse hunc librum literis antiquis exaratum Burgis apud D. Ferdinandum de Azevedo huius urbis antistitem, Castellæque senatus præsidem, qui magni eum faciebat.

MARTINUS PEREZ scriptor *De ſacramentis* exstat MS. in bibliotheca Colonæa sanctæ Hispalensis Ecclesiæ. Cuius titulus est: *Aqui comienzan ciento y dos capitulos con ciento y dos rubricas del libro de Martin Perez; e es eſte el tercero libro de Martin Perez, en que fabla de los ſacramentos.* Scriptus liber fuit ut è nota constat ad finem apposita, per Ioannem Fernandez, alterius Ioannis Fernandez de Alahejos filium, anno MCDXXXVII.

MARTINUS Toletanus. De eo Alphonsus Espina in *Fortalitio Fidei* lib. 2. fol. 78. ait: *Fertur etiam quòd eſt liber quidam apud eos* (Iudæos Hispaniæ) *quem compoſuit magiſter Toletanus aſtrologus contra Fidem catholicam: qui liber ne cognoſceretur quod ab ipſo factus eſſet, verſo nomine ſuo ipſum intitulavit, quod ipſe linguâ noſtrâ vocatur Martinus & ſic verſo nomine intitulavit illum Nitram.* Hæc ille.

FR. MATTHÆUS ORTIZ, Dominicanus, Hispanus, hæreticæ pravitatis per Gallias Inquisitor, scripsit in dictum Pauli: *Volo quinque verba loqui adverſus hæreſes* librum unum. Hucusque Xystus Senensis lib. 4. *Bibliothecæ*, nisi quòd per errorem Matthæum Oryum appellavit. Sed hic *Matthæus Oryus*, sive vulgò *Ori*, Gallus fuit, trium Pontificum Iulii III. Marcelli II. & Paulli IV. Pœnitentiarius, qui alia opera scripsit, ut notârunt distinguentes à Matthæo Ortizio nostro, qui adversus hæreses scripsit, Antonius Senensis, Michael Pius parte 2. *De viris illuſtribus Ordinis Prædicatorum* lib. 1. ad annum MCCXCVIII. & lib. 4. ad annum MDLVI. Alphonsus Fernandez in *Concertatione Prædicatorum*, & Altamura in *Nova* eiusdem Ordinis *bibliotheca* ad annum MCDLXXXV. Incertissimum inde est qua ætate vixerit; siquidem, ut vidimus postremo isto Scriptorum Dominicanorum albo ad annum MCDLXXXV. apud Pium ad MCCXXVIII. cum Seraphino Razzio, qui ante MCCC. eum floruisse ait, Fernandez scripsisse ait circa annum MCDXC. Tenebræ undique.

MAURICIUSNE Hispanus, an Mauricius de Hibernia Anglus, magister Parisiensis uterque, auctor fuerit *Distinctionum*, quas vocant Mauricii, ambiguum est. Meminit *Historia Academiæ Pariſienſis* tomo 3. in *catalogo illuſtrium academicorum* & Ioannes Launoy *De varia Ariſtotelis fortuna in univerſitate Pariſienſi* cap. 4.

MELCHIOR DE LA TORRE notus mihi auctor est cuiusdam operis, incerti quidem argumenti, sed quo de providentia Dei nonnulla contineretur. Salomon filius Virgæ Hebræus in *Historia Iudaica*, quam ex ea lingua vertit in Latinam Georgius Gentius, refert pag. 433. adductum aliquando ad Henricum Castellæ Regem anno eius secundo sylvestrem quendam hominem, qui dixit se vocari D. Henricum de Mendoza; atque à patre eiusdem Regis in exsilium eius loci, unde adductus fuerat, olim missum, eo quòd consilium ei dedisset, omnes ut Iudæos à regno suo expelleret. Idem fassus fuit librum à se conscriptum: *De mundi ortu*, quod fabulosæ gentis homo Hebræus fortè confinxit. Sed cùm de rebus huiusmodi Rex & Henricus colloquerentur, *Quid ſentis*, inquit Rex (verba sunt Salomonis Virgæ) *de Dei cura rerum creatarum, quam providentiam appellamus? Reſpondit Sylveſter: De ea re iam olim Melchior de la Torre uberiùs ſcripſit cuius verba hîc adſcribere eſt viſum* &c. Subiungit deinde quædam ex libro illo, quem non alio indicio significat, Melchioris de la Torre.

MENDUS GOMEZ quidam de rebus Lusitanorum Regum Scriptor à Bernardo Britto in prolegomenis ad *Monarchiam Luſitanam* laudatur; cuius scriptum hoc in Alcobazensi Cisterciensium monasterio exstare, & Abbatis eiusdem domus, & iudiciis cuiusdam iurisdictionem in territorio illo exercentis confirmat testimoniis. At hic liber, qui cum Zacuti Lusitano-Hebræi alio *De climate Portugalliæ* compactum esse aiebat Brittus, seu Britti fideiiussores prædicti, iam non ibi videtur fuisse, quo tempore Antonius Brandanus, eiusdem monasterii sodalis, continuandæ *Monarchiæ* incumbebat. Vide eius prologum, ubi diserte id testatur verbis, & quæ nos in *Laimundo* loco suo annotavimus (1).

ME-

(1) Hic ille *Ioannes Senex Toletanus* Ex-Iudæus, quem anno MCCCCXVI. scripsisse *Memoriale de myſteriis Chriſti Ieſu &c.* non ita pridem diximus; ac de eo uberius *Lib. X.* sub finem capitis 2. post n. 96. in *Addendis* à *ſæculi XV. initiis*.

(2) Hunc *Iordanum* absque cognomine Quetifus & Echardus *T. I. p.* 549. *col.* 2. ad annum Christi MCCC. referunt.

(3) In Bibliotheca Regis Galliarum *Part. IV. p.* 256. *Cod.* 6561. exstare dicuntur huius Ludovici libri tres: *De figura & imagine mundi ad Renatum* (non *Raznerium*) *Siciliæ Regem*, in codice anno 1456. ut in eodem legitur exarato, Item *Part. IV. p.* 340. *cod.* 7320. Eiusdem: *Tractatus de nativitatibus*, è Catalano in Latinum conversus; in codice sæculi XV.

(4) De hoc *Marco* nos olim *Lib. VIII. c.* 9. *in fin. T. II. p.* 44. *col.* 2. in Not. Exstat in Vindobonensi apud Lambecium *Lib. II. c.* 8. sub n. CCCIX.

(1) *Mendum*, neutro genere; non *Mendus*.

MENEGALDUS MAGISTER eiusdem farinæ auctor, & in Alcobazienſi quoque bibliotheca à Britto repertus, ut eodem loco ac teſtimoniis dicitur, *Hiſtoriam mundi generalem* ſcripſiſſe refertur, quæ incipit: *Aſſyriorum igitur Rex.* Concluditurque: *Obtinuit ſolus.* Quam Gothicis literis anno MCCXXXVI. in membranis exaratam, alboque corio coopertam, ſe vidiſſe teſtes aiunt laudati. Nihil autem horum librorum (quod mirum, ſi ibi aſſervabantur) Antonius Brandanus vidit. Hunc Hiſpanis adſcripſimus quòd in Hiſpania ſit repertus, nihil ultra de incerto homine & libro eius curantes. Exſtare autem Menegaldum in Eſcorialenſi biblioteca, in quodam eius catalogo vidimus (1).

N

NARCISSUS DE S. DIONYSIO, canonicus Barcinonenſis Eccleſiæ, *Compendium* ſcripſit *conſtitutionum Cataloniæ generalium*, in quo ordinem titulorum codicis Iuſtiniani ſecutus eſt, opus in decem partes diviſum: quod exſtabat in bibliotheca MSS. Antonii Auguſtini Tarraconenſis antiſtitis viri clariſſimi cod. 410. ut ex eiuſdem catalogo docemur. Item ibidem fuit eiuſdem *Compendium conſtitutionum Cataloniæ* ſermone patrio verſum, in charta annorum CL. & quidem codice 417 (2).

O

OTÆ cuidam tributa hiſtoria aliqua ad nos forſan pertinet, quæ MS. exſtat apud S. Vincentium urbis Ulyſſiponenſis, atque in lucem alicubi edita, teſte Ioanne Marquez in *Origine eremitarum S. Auguſtini* cap. 18. §. 1. & aliquot ſequentibus.

P

DE PADILLA Anonymus (quem *El caballero de Padilla* vocant) reliquit *Hiſtoriam* quandam MS. quâ utitur D. Ioſephus Pellizerius Regius chronographus in *Memoriali por el Marques de Ri-*

(1) Hodie certe non exſtat. Vid. Notata noſtra *Lib. VI. c. 4. n. 77.* in *Laimundo de Ortega*: ubi & de *Angelo Pacenſi*, *Petro Allardio*; atque item de *Mendo Gomeſio*, & *Menegaldo*.

(2) De hoc *Narciſſo* primum nos egimus *Lib. IX. cap. 4. n. 24.* in not. inter Uſaticorum Barcinonenſium Gloſſatores è Franckenavio *Sacr. Them. Hiſp. ſect. IX. §. XXIV.* qui eum per errorem vocat *Canonicum Sancti Dionyſii Barcinonenſis*; cum Cathedralis eius urbis Sanctæ Cruci ſacræ Canonicus fuiſſet; cui & nos in eodem ſacerdotio, ab anno MDCCLII. ad LIX. libenter atque honorificè inſer-

bas D. Ioſeph de Saavedra fol. 50.

PETRUS ALLADIUS, ſi Bernardo à Britto credimus, *Monarchiæ Luſitanæ* vulgari linguæ eius regni curioſo Scriptori, auctor fuerit *Hiſtoriæ Luſitanorum veterum*, quâ ſæpiſſimè is utitur, eadem Luſitanorum antiqua geſta & eventus partim ex Laimundo, partim ex Alladio confirmans, cuius etiam verba quandoque producere ſolet.

Item aliud, quod neceſſe eſt opus, quod *De ſacris*, ſeu *ſacrificiis Luſitanorum* diſertè vocat: quamquam teſtes ab eo adducti, ut ſupra diximus, de veritate horum auctorum, Petri Alladii unum tantùm, *De ritibus & moribus veterum Luſitanorum*, opus ſe vidiſſe in Alcobaziæ domus bibliotheca teſtentur, quod quidem incipit: *Antiquitus apud nationes.* Deſinitque: *omnibus ad nihilum redactis.* Et quidem codice anno MCCXXXIV. manu exarato.

Duo autem diverſa commentaria Britto fuiſſe, ex eius libro 3. cap. 30. apertiſſimum fiet legentibus. Hic tamen auctor, ut à Britto videretur & contrectaretur, interim apud Alcobazienſes, ſi Deo placet, exſtitit; mortuo autem eo diſparuit; nam Antonius Brandanus, eius in eadem Sparta ornanda ſucceſſor, ut in prologo continuationis *Monarchiæ Luſitanæ* fatetur, nullum horum vidit librorum, quos Brittus olim hiſtoriæ ſuæ Atlantes iactaverat (3).

PETRUS quidam interpretatus fuit Hiſpanicè *Iſaacum De febribus*, & alia ex Latino, quem ex Arabico dederat Magiſter Conſtantinus. Exſtat hæc Hiſpana verſio in bibliotheca regia Eſcorialenſi.

PETRUS DESPENS Catalanus, ſcripſiſſe olim dicitur in Cataloniæ *Uſaticos* (4).

PETRUS DE ESCABIAS Præfectus urbis Iliturgitanæ in Bætica (*Alcaide de Anduxar*) quandam Hiſtoriam ſcripſiſſe videtur, à Gundiſalvo Argote de Molina & libris quos ad manum habuit Mss. laudatam (5).

PETRUS FIGUEROLA Hiſpanus, ut ex Hiſpano apparet cognomine, *Compilationem*

vivimus. Rurſum in *Addendis à ſæculi XV. initiis &c. T. II. p. 209. Not. col. 1.* quo loco *Eiuſdem librum*: *Compendi de les Conſtitucions de Catalunña* patrio ſermone, ter repetitum in Bibliotheca Eſcurialenſi exſtare diximus *Lit. z. Plut. II. nn. 11. 12. 13.* (T. II. Eſcur. p. 224.)

(3) Fumum ex fulgore. Recole quæ paulo ante in *Mendo Gomezio* & *Menegaldo* diximus.

(4) De eo Franckenavius *Sacr. Themid. Sect. IX. §. XXV.* noſque inter Uſaticorum Barcinonenſium Gloſſatores.

(5) Exſtat in Bibliotheca Eſcurialenſi *Lit. x. Plut. II.*

nem ſupra Logicam ſcripſit, quem librum, auctore *Magiſtro Petro Figuerola* adſcriptum in ſupellectile libraria fuiſſe, quam ad uſum ſuum Benedictus XIII. Anti-Papa ſecum portabat quocumque iret, ex eius conſtat catalogo, quem Ms. vidimus.

PETRO cuidam Archiep. Hiſpalenſi tributum legimus librum *De vita animarum*, Hiſpanâ linguâ ſcriptum, qui fuit in bibliotheca Comitis Ducis Olivarum, niſi nos index decipit: cuius nominis cùm ei Eccleſiæ præfuerint *Petrus*, cui ſucceſſit Alphonſus de Vargas decimoquarto ſæculo: *Petrus Gomezius Albornozius* circa annum MCCCLXXI. *Petrus Gomeſius Barroſus* circa MCCCLXXV. *Petrus de Luna* circa MCDI. *Petrus Gundiſalvi Mendozius*, ac *Petrus de Caſtro:* incerti omnino ſumus ad quemnam iſtorum hoc referendum opus ſit, præſertim inviſum nobis, ex cuius ſtilo auctoris ætatem coniectari poſſemus (1).

PETRUS Hiſpanus. Huius nomen præ ſe ferebat titulus operis cuiuſdam in bibliotheca MS. Antonii Auguſtini codice 397. exſtantis in membranis annorum quinquaginta ſupra centum, *De ordine iudiciorum* inſcripti; in quo erant & alia iuridica. Catalogo eiuſdem bibliothecæ adhæremus.

PETRUM Hiſpanum huic adiungimus, niſi idem homo ſit (quod neque ſtudiorum genus reſpuit): *Antiquarum iuris canonici decretalium compilationum veterem notatorem*, ſeu *gloſſatorem*, quem laudant Ioannes Andreæ in prooemio ad *Decretales*, Guilielmus Durandus in præfat. ad *Speculum Iuris.*

PETRUS ILERDENSIS *Hiſpaniarum Eccleſiæ Epiſcopus, edidit diverſis ſolemnitatibus congruentes orationes, & mixtas eleganti ſenſu & aperto ſermone.* Hæc totidem verbis auctor anonymus *De* XIII. *Scriptoribus Eccleſiaſticis*, qui ſubiungitur Iſidori atque Ildephonſi eiuſdem argumenti & inſcriptionis libellis; cuius auctoris ætatem, ſicut anonymi, qui eum laudat, ignoramus.

PETRUS PAEZ Luſitanus, ordinis, ut credere par eſt, Prædicatorum, ſcripſiſſe dicitur *B. Ægidii Santarenenſis*, eiuſdem ordinis viri ſanctiſſimi, *Vitam*, ſemi-barbaro ſtilo, quæ MS. in eiuſdem urbis Santarenenſis Dominicanorum monaſterio aſſervatur, ex qua ſuam confecit Andreas Reſendius. Georgium Cardoſum vide ſîs Luſitanum in *Hagiologio* tom. 3. die XIV. Maii pag. 352. De hoc tamen auctore bibliographi Dominicani altùm ſilent (2).

PETRUS TERRENI ſcripſiſſe refertur in Cataloniæ *Uſaticos* (3).

PHILO Gaditanus laudatur inter antiquos geometras, qui *De quadratura circuli* ſcripſere, ab Gerardo Ioanne Voſſio *De ſcientiis mathematicis* cap. 16. §. 36.

PICATRIX Hiſpani libri aſtrologici *De conficiendis imaginibus aſtrologicis*, exſtiterunt apud Renatum Moreau medicum Pariſienſem, teſte Labbeo in *Bibliotheca manuſcripta* pag. 216 (4).

PTO-

II. ſub n. 1. (Eſcur. T. II. p. 404.) hoc titulo: *Reportorio de Principes de Eſpaña el qual fizo y compiló Pedro de Eſcabias criado del muy alto y excelente Señor el Rey Don Henrique el IV. llamado* EL OMILDE *é verdadero Rey de Caſtilla é de Leon; é ſu Alcayde y Alcalde maior de la mui noble é mui leal Ciutat de Andujar del ſu Conſejo é ſu Guardamaior.* Agit autem primum in eo breviſſime: *De Luciferi caſu*: *De Nembroto*: *De priſcis Hiſpaniæ incolis uſque ad bella Carthaginenſium cum Romanis*; hinc ad Pompeii & Cæſaris, atque ad occupatam à poſteriore Remp. Romanoſque Imperatores ad Titum; dein ad Barbararum in Hiſpaniam gentium irruptionem, regnumque Suevorum & Gothorum, horumque ſub Roderico excidium; ac demum ad poſteriores Legionis & Caſtellæ Reges à Pelagio uſque ad Henricum IV. quorum hiſtorias non perfunctoriè ſcribit, & præcipuè miſerrima Henrici geſta quorum magnam partem vidiſſe potuit. Meminit huius *Petri de Eſcabias* Moſen Didacus de Valera in Hiſtoria MS. Henrici IV. Caſtellæ Regis, in Regia Bibliotheca Matritenſi ſuperſtite, in cuius folio CXXVII. pag. 1. eum appellat *virtuoſo varon*; additque Enrico Regi ab Eo petenti ad annum MCCCCLXXII. ut urbem arcemque Iliturgenſem ipſius fidei à Michaele Luca Iranzo Caſtellæ Comeſtabili concreditam ſibi traderet, comiter atque urbane reſpondiſſe, minime id ſibi licere, niſi prius Sacramento quo tenebatur ſolveretur.

(1) Habetur Hiſpanicè in eius Bibliothecæ catalogo *pag. 221. Lit. P.* MS. *fol. 1. II. 2.* atque item ſub INCERTI nomine in Eſcurialenſi *Lit. h. Plut. II. ſub n. 22.* Hunc autem *Petrum* è tribus cognominibus ordine *Secundum*, id eſt *Gomeſium Albornozium*, qui ad annum uſque MCCCLXXII. Hiſpalenſi Eccleſiæ præfuit, olim exiſtimabamus. Habentur Eiuſdem alia: *De la juſticia de la vida eſpiritual de todos los hombres*; *é de la perfeccion de la Igleſia militante, è de la honeſtad de la vida corporal* in Regia Bibliotheca Matritenſi in codice chartaceo formæ IV. In Eſcurialenſi *Lit. a. Plut. IV. n. 11.* (Eſcur. T. I. p. 131.) *Un Confeſſionario.* Ægidius Gonzalez Davila. *Theatr. Eccl. de Sevilla T. II. p. 57.* Eidem tribuit: *La peregrinacion de ſu vida*, ſive: *De rebus ad eum pertinentibus*; exſtareque ait in Bibliotheca Sanctæ Eccleſiæ Toletanæ.

(2) Nihil præterea de eo Quetifus & Echardus *T. I. pag. 474. col. 2.* immo abſque Noſtro penitus iis indictus ignotuſque eſſet.

(3) Meminit eius Franckenavius *Sacr. Themid. ſect. IX. §. XXV. pag. 215.* Ed. Matr. 1780.

(4) Nullibi non obvii in MStorum. Hiſpaniæ Bibliothecis.

PTOLEMÆUS DE HISPANIA librum reliquisse dicitur *Argerzelli introductorium* dictum; quem exstare MS. docuit nos Alphonsus Ciaconius in schedis ad *Bibliothecam universalem*.

R

RAIMIRUS GADITANUS, cuius *Divinationem sideralem* laudat Gesnerus in *Bibliotheca*, qui & foras emissam ait (1).

RAYMUNDUS VIDAL Artem poeticam scripsit; cuius, & aliorum eiusdem artis illustratorum, meminit in prologo ad *Centiloquium* suum Ennecus Lupi à Mendoza Marchio Santillanæ his verbis Hispanis: *Los quales creeria yo no haver leido las reglas del trobar, escritas y ordenadas por Remon Vidal de Besaduc, hombre assaz entendido, y gran trobador; ni la continuacion del trobar hecha por Iufre de Foxa monge negro, ni del moral llamado Berenguer de Noia* (2).

REGINALDUS DE ARCA Catalanus, in *Usaticos* Cataloniæ scripsit, ut audio (3).

RENALLUS (an RAYNALDUS?) quidam magister Sedis Barcinonensis, quo forsan nomine Scholarcha, sive caput scholæ, intelligitur, reliquit ibidem MS. librum *De passione S. Eulaliæ Barcinonensis*; quo usum se ait Hieronymus Puiades in *Historia* sua *principatus Cataloniæ* (4).

RICARDUS, Hortensis monasterii Cisterciensium monachus, scripsit carmine *Vitam S. Martini, vulgò sancti Sacerdotis, ex Abbate Hortensi Episcopi Seguntini*, quam edidit Chrysostomus Henriquez lib. 1. *Fasciculi* dist. 7. cap. 8. Videri potest Angelus Manriquez tom. 2. *Annal. Cisterciensium* anno MCLXIV. cap. 8. ubi plurima carmina ex hac *Vita* profert. Adscribitur hic S. Martinus diei XVI. Septemb. in *Menologio Cisterciensi*: de quo agit etiam Vincentius Blascus Lanuza lib. 4. *Historiar. Aragon.* cap. 11. qui appellatum fuisse eum ait *Martinum Muñoz de Finojosa*. Scripsit idem Ricardus *Vitam Roderici Archiep. Toletani*, & aliorum forsan virorum illustrium eiusdem monasterii; nam imagini pictæ illius in presbyterio Ecclesiæ Hortensis positæ inscriptum legitur: *Ricardus monachus, sanctorum historicus monachorum. Fasciculum* vide Chrysostomi Henriquez eodem lib. 1. dist. 7. cap. 10. ex quo profecit Carolus Vischius in *Bibliotheca Cisterciensi*.

ROLANDUS Ulyssiponensis. Inter libros quos collegerat Renatus Moreau medicus doctor Parisiensis, Labbeo teste in *Bibliotheca manuscripta* pag. 216. liber exstitit huius tituli: *Rolandi Ulixbonensis physici illustrissimi principis Ioannis, patrui domini nostri Regis Franciæ gubernantis & regentis regnum Franciæ, insigne opus de physiognomia.*

V

VINCENTIUS, quem cum Hispani dumtaxat nota veterum monumentis laudari videas, iurisconsultus magni nominis, & interpres vetus Decretalium fuit. Hunc passim ac per totum in Decretalium quinque libros commentarium laudat Abbas antiquus Guilielmus Durantius in procœmio *Speculi*, ad quod etiam *præfatione* Ioannes Andreæ, atque idem in procœmio *Ad Decretales*, quamvis abstinentes Hispani appellatione. Sed Antonius Augustinus in epistola dedicatoria *Antiquarum compilationum* ad Gregorium XIII. Papam, & in Notis ad *Primam* pag. 431. & 446. disertè *Vincentium Hispanum veterem earum interpretem vocat*. Glossavit hic quatuor *Compilationes Decretalium*, & facta Gregoriana compilatione, glossavit etiam illam, ut ait Ioannes Andreas præfatione ad *Speculum* (5).

WULSA Episcopus (cuiusnam urbis non dicitur) sub Gothis Regibus scripsisse refertur quoddam *Chronicon* eorundem Regum; cuius operis fidei eximium quidem testimonium præbuit eruditus admodum vir Ioannes Baptista Perezius, Toletanus canonicus, qui postea fuit Segobricensis Episcopus. Hic enim cùm auspiciis rogatuque D. Gasparis à Quiroga, præsulis tunc Conchensis, in cuius familia erat, collectionem quandam confecisset Hispaniæ Conciliorum ex MSS. codicibus, quos videre potuit, ut ad Gregorium XIII. mitteret Papam, adiunxit *Chronologiam Regum Gothorum* de qua præfatus in epistola ad lectorem, huiusce collectionis desumere se ait priores Reges ex Isidoro; *posteriores verò ex Wulsæ Episcopi perbrevi, sed aureo Chronico, quod in quodam libro bibliothecæ Regiæ & aliis vetustis exstat: de cuius in scribendo fide nihil est quod dubitetur, cùm & tempora ab illo notata exactè cum Conciliis quadrent, & posteriorum Regum menses & dies ita minutatim definiat, ut vixisse sub Hispaniæ excidium videatur.* Hæc Perezius.

Ex hac Perezii chronologia suam desumsit, multis tamen mulctatam, D. Garsias Loaisa, & collectioni suæ *Conciliorum* Matriti editæ anno MDXCIII. præfixit [9], *Ordinem* vocans *Regum Gothorum Hispaniæ, & eorum chronologiam ex Conciliis MSS. & Isidoro & Wulsa*; quibus addere potuit: *& Alphonso Rege Ovetensium III.* nam & huius inter alios *Chronici* cuiusdam Scriptoris pro se & chronologia sua advocavit Perezius, Alphonso scilicet, cui *Magni* cognomentum contigit: cuius esse id *Chronicon*, quod sub Sebastiani Salmanticensis Episcopi exstat nomine, iam, de Alphonso isto seu Sebastiano loquentes, annotavimus.

Hunc autem Wulsam Perezius pro annis, quibus singuli vixerunt Reges, à Wallia ipso, qui anno Christi CDXVI. regnare cœpit, ad Egicæ usque electionem & unctionem, quam contigisse ait anno DCLXXXVII. testem adducere pergit. Ut, si verus homo fuerit, usque ad hoc tempus historiam seu chronologiam istam Gothicam eum prosecutum, aut eo vixisse, coniectari valeamus. Planè hunc auctorem eius historiæ fuisse, confirmare etiam possumus & maximè quidem, Ambrosii Moralis iudicio, qui talem credidit. Huius enim verba Latina ex Hispanis reddita è libri 11. cap. 17. huc præ aliis pertinent: *Chronicon hoc loco Wulsæ nominavimus* (cùm de Walliæ rebus ageret) *quod ab hinc sæpe huic historiæ incidet. Episcopus hic fuit tempore Gothorum Regum postremorum in Hispania, ut videtur, quamvis in Conciliis nusquam subscriptio eius legatur, quæ scilicet pauca, nullumve fuit adeptus. Scripsit brevissimam summam Gothorum Regum, notatis annis, mensibusque, diebusque, quibus singuli regnavere. Quo nihil potest ad historiæ continuationem exactius desiderari: quâ ego utor, eam ex codice Gothico Ecclesiæ Ovetensis exscripsi, qui pro Alphonso Rege Toleti expugnatore quingentis ferè ab hinc annis fuit scriptus, in aliis etiam antiquissimis libris à me visam.* Hæc ille, Wulsæ hoc breve Chronicon passim laudaturus.

His quidem testimoniis, & quidem gravissimis, Wulsæ fides innititur. In quo tamen auctoris nomine quicquam subodorati sunt incerti, de opere tamen ii minimè dubitantes, quidam noviores: non prorsus temerè codicum à se haud visorum scripturæ litem moventes, quasi ob legendorum veterum characterum difficultatem, pro hac lectione *Wise-Gothorum Regum Hispaniæ Chronicon*, ea se laudantibus intruserit: *Wulsæ Gothorum Regum Hispaniæ Chronicon*; aut pro hac: *Ep. Wisegothorum Hispaniæ Regum*, quo *Epitome* eorundem Regum per compendium scriptum sit, hæc alia: *Episcopi Wulsæ Gothorum* &c. nec inepto quidem aut incauto de rebus libriisque sic antiquis iudicio, cùm de hoc Hispaniæ Episcopo Wulsa nusquam aliàs habeatur mentio. In codice manuscripto, quem apud D. Ioannem Lucam Cortesium hic Matriti vidimus, ita concepta est epigraphe: *Incipit Chronicon Regum Wulsæ Gothorum* erâ CD. ex qua interpositione nominis *Wulsæ* sic inepta importunaque, non obscurè colligimus coniecturam de Wise-Gothorum Chronico, nulli auctori cui nomen Wulsa fuerit attribuendo, non ex nihilo esse.

Præterquamquod ad eiusdem codicis, qui Ambrosii Moralis fuit, oram notatum legimus, in alio codice Gothico Sorienſi disertè scriptum *Chronicon Wise-Gotorum* fuisse. Quæ res etiam salivam movit Hieronymo Higueræ Toletano, cuius in opere isto toties meminimus; & ut erat coniectationum suarum pro antiquis commendandarum cupidus, auctorum à se datorum scriptis eam, quam de Wulsæ *Chronico* isto fecerat, expromere sese tutò posse visus sibi, ut aliàs, fuit. Huc enim hæc apud Luitprandum in Chronico ad annum DCCCCLX. num. 361. edit. Antuerp. respiciunt: *S. Iulianus scripsit Vitam S. Ildephonsi: Felix præterea scripsit Vitam S. Iuliani Toletani Episcopi; idemque Felix adiecit Chronico, quod sic incipit*: In nomine Domini, incipit Chronicon quod Sanctus Iulianus composuit: *Illud*:

[9] Nosque denuò luci publicæ commisimus in *Collect. Max. Concil. Hisp.* initio tomi primi pag. 15. CARDIN. DE AGUIRRE.

(1) Succurrit dictum alicubi de hoc *Raimiro*: quo tamen loco inquirere non vacat, neque tanti res est.

(2) Dictum de hoc suprà in *Gofredo de Fexâ*, seu *Foxâ*.

(3) Apud *Frankenavium sect. IX. §. XXV. p. 215.*

(4) Puiadesius *Lib. IV. cap. LXXX. fol. 216. col. 1. Renallum* vocat: *Com hà escrit* (inquit) *lo Meſtre Renallo*; Idem tamen cap. seq. *sive LXXXI. fol. 217. pag. 1. col. 1. Y lo Maestre Arnallo en lo tractat de la passiò de aquesta Santa* (*Eulaliæ* scilicet) *en la llisò sissena escrìu &c.* Atque è regione in margine: *Es en la Libreria de la Seu. Magistri* autem præmissus *Renallo*, aut *Arnallo* titulus, non Scholarcham, ut ego coniicio, sed Academiæ Barcinonensi Doctorem sive Antecessorem designat.

(5) Exstant ubibis in nostratium Bibliothecis MSS. In Regis Galliarum *Part. III. p. 533. col. 1. cod.* 3968. *& seq.* Dictum quoque à nobis de hoc Vincentio *Lib. VIII. c. 3. n. 115. Not.*

Bibliotheca Hispana. Tom. II. Bbb Na-

* *Aliàs* natus.

Natus * est autem Witiza, *alii tribunt Guntherico. Nihil de additione certè hactenus reperitur.* Hucusque Luitprandus, unus ex iis oraculis, per quæ loqui Hieronymus amabat Higuera.

Sed alterum audi Iuliani nomen præseferens in *Chronico* ad annum DCXCII. num. 359. *S. Iulianus, qui Archiepiscopus Toletanus pòst fuit, continuat Chronicon Regum Wisi-Gothorum ab Athanasio ad Ervigium; cetera addidit Archiepiscopus Toletanus ad finem usque.* Quibus duobus locis domi formatis minimè dubius sum quin Wulfæ tributum *Chronicon* partim Iuliano adscribi debuisse Toletano Archiepiscopo, partimque eius successoribus, Felici aut Gunderico, Higueræ placuerit: utpote cui præ Toletanis Episcopis fungos habere alios omnes, frugesque consumere natos perpetuum fuit. Iulianus sanè Toletanus Episcopus gesta Wambanis Regis adversus Paulum perduellem literis consignavit, nullum autem aliorum Regum Chronicon, cuius utique oblivisci minimè debuit Felix Vitæ eius auctor. De Wulfa hæc dicere habuimus, dum certiora & exactiora alius.

AD-

ADDENDA ET EMENDANDA.

I. PRimum autem omnium, sæpius laudo Cl. Thomam Antonium Sanchez in *Sylloge Poetarum Hispanorum ante annum Christi sesquimillesimum*; cum verus eius operis titulus sit: *Coleccion de Poesias Castellanas anteriores al Siglo XV.* id est: *ante annum Christi MCCCC.*

II. *Tom. I. p.* 220 *col.* 1. *in fin. Not,* (Lib. II. cap. x.) *de Aurelio Prudentio* Poeta loquens, mentionem inieci alterius *Prudentii Antistitis Turiasonensis*, quamvis in eiusdem epitaphio metrico apud Sanctam Mariam Naxarensem *la Real* vulgo appellatam legatur

. . . . . per quem *Tarracona* nitescit;

restituendum namque est *Tirasona*, pro *Turiasone*, ut versus constet. Nicolaus item Antonius *Bibl. Vet. Lib. II. c. X. n.* 329. (T. I. p. 222. col. 2.) meminit *Prudentii Antistitis Turiasonensis* quem *Aurelio Prudentio* Poeta multo recentiorem fuisse innuit; atque idem *B. V. Lib. VI. c. XI. n.* 282. (T. I. p. 502 col. 2. fin.) de *Prudentio Trecensi* seu Tricassino in Gallia Episcopo, id est de *Galindone Prudentio* sæculi IX. scriptore Hispano loquens, Eidem tribuere videtur *Collectanea ex CL. Psalmis*: quæ itidem in Bibliotheca Regis Galliarum *T. III. p.* 453. sub n. 3761. Tricassino adscribuntur hoc titulo: *Prudentii Tricassini Flores CL. Psalmorum.* Bernardus tamen Ibannezius de Echavarri Victoriensis Presbyter in Vita S. Prudentii Turiasonensis Episcopi, Victoriæ apud Thomam Robles et Navarro absque anni notatione sed circa 1753. edita in 4.° hæc *Collectanea*, sive *Flores CL. Psalmorum* non *Tricassino* sed *Turiasonensi Prudentio* longe illo antiquiore, qui nimirum anno Christi DCXLVIII. Armentiæ in Alavæ Provincia in lucem editus et DCCXIII. Uxamæ denatus ab Eodem dicitur, tribuit, *pag.* 222. *n.* 1. *et* 346. *n.* 6. et *Collectaneorum* seu *Florum ex CL. Psalmis* exemplum é membranaceo Archivi Æmilianensis sæculi X. codice charactere Gothico exarato integrum sistit á *pag.* 510. *ad* 540. hoc titulo: *In nomine Domini. Incipit liber ex Floribus Psalmorum à Beato Prudentio editus.*

III. Speraindeum Abbatem Cordubensem Scriptorem *Passionis Sanctorum Martyrum Adulphi & Ioannis*, quode Noster *Lib. VI. c.* 7. *n.* 135. incertus *an Monachorum & qualium; an verò Clericorum fuerit præfectus*: Fleurius, nescio unde doctus, *Hist. Eccl. libr. XLVIII. ad ann.* 850. *T. X. p.* 435. Abbatem *Cuteclarensem*, non procul à Corduba versùs Occidentem, fuisse existimat: *Leurs actes* (Adulphi & Ioannis, inquit) *furent écrits par Speraindeo Abbè de Cuteclar, comme l' on croit.* Agit de eo Cl. Florezius noster *Hisp. Sacr. T. XI. p.* 3. ac de Monasterio Cuteclarensi *T. X. p.* 258. *n.* 34. quo loco *Feminarum* fuisse ait.

IV. Sæculo X. floruisse apud nos *Aitonem* Episcopum Ausonensem (indigenis hodie *Vic d' Ossòna*) virum in Mathematicis studiis egregium; item *Lupitum* Barcinonensem libri cuiusdam Astronomici ex Arabico, ut putamus, in Latinum sermonem interpretem; & *Iosephum* tractatus Arithmetici Scriptorem, legimus apud Cl. Ioannem Andresium, *Orig. y progr. de toda Literat. T. I. cap. IX.* Edit. *Matrit.* 1774. *p.* 319. *Lupiti* autem Barcinonensis, videtur non meminisse Cl. Matthæus Aymericus in *Nomin. & act. Episcop. Barcin.*

V. *Petri Alfonsi*, alias *Mosis Oscensis* ex Hebræo Christiani, quode Noster ad annum MCVI. *Lib. VII. c.* 3. *à n.* 35. meminit Ferdinandus Perezius Gusmanus in metrico nondum typis edito opere: *Los claros varones de España*, hac ogdoade:

, Aqui conviene que fable
, de *Pedro Alfonso* un doctor,
, que contra el judaico error
, hizo un volumen notable.
, Fue este varon admirable
, de los Hebreos nascido,
, y despues que convertido
, Christiano muy venerable.

VI. Circa annum MCCXL. Ferdinandus III. Castellæ & Legionis Rex, vulgo *el Santo*, concessit incolis de *Heznatorafe* in Bæticæ, ut puto, & Castellæ quam *novam* vocant confiniis, proprium Forum, sive *Leges ab iis observandas.* Exstat earum exemplum, absque anni tamen & loci nota, penes Cl. Antonium Taviram Regium Ecclesiastam, Regiique Conventus Uclensis Sancti Iacobi de Spatha Priorem, qui id nobis benigne communicavit. Constat autem CXXXI. foliis, quartæ ut vocant formæ.

VII. De *Bernardo Compostellano*, ac *Bernardo de Montemirato* superius egimus, *Lib. VIII. c.* 3. *n.* 91. *Not.* quasi diversi sint. Et quidem Ioannes Alb. Fabricius *med. & inf. T. I. p.* 229. de iis tamquam de diversis agit; ac *Bernardum* quidem *Compostellanum* eius Ecclesiæ Thesaurarium vocat, atque ad annum Christi MCXXIX. Diplomata Summorum Pontificum & antiquorum Hispa-

spaniæ Regum Compostellanæ Ecclesiæ concessa collegisse ait ; *Bernardum* autem *de Montemirato* Presbyterum Compostellanum Iuris Canonici peritiâ celebrem & solido sæculo recentiorem facit, ut qui floruerit Innocentii IV. ævo. Sunt tamen qui utrumque confundant.

VIII. *Natalem Gavêr* Mercenariorum Ordinis Magistrum Generalem *Lib. IX. c. 4. n. 245. in Addendis col. 1.* ad annum MCCCXLV. retulimus ; cum sæculo integro recentior fuerit.

IX. *Ioannem de la Encina* Scriptorem libri : *Los disparates trobados* laudat Cl. Sarmientus, *Memor. para la Histor. de la Poesia p. 234. n. 532.* eiusque *Poematia* anno MCDXCVI. Salmanticæ edita, Nostroque incognita fuisse ait. Agit is de cognomine alio, nisi idem ipse fuerit, auctore *Tribagiæ*, seu *Viæ sacræ Hierosolymitanæ ;* & *Cantionarii* in Biblioth. nova.

X. Tomo II. pag. 155. col. 2. *Ioachimum Ibannezium Garsiam* Præcentorem Turolensem facili memoriæ lapsu *Ignatium* vocavi.

XI. *Vascus de Lucena* Lusitanus in Gallicam vertit linguam Xenophontis Cyropædiam, quam Carolo Audaci Burgundiæ Duci dicavit anno MCDLXXVI. Extat MS. in Bibliotheca Senensi, vetustissimo volumine elegantibus picturis ornato. E notis D. Andreæ Gonzalezii Barciæ ad oram *Biblioth. vet.*

XII. Apud Cl. Sarmientum *Memor. para la Hist. de la Poesia &c. §. IV. n.* 190. laudatur MS. codex *Virgilii* cuiusdam *Philosophi Cordubensis*. Supposititicus. Vid. Eundem á num. 194.

XIII. Ineunte Octobri MDCCLXXXVIII. cum è patria Matritum rediens nonnihil ex itinere ad Uclesii oppidum divertissem ut virum Cl. et singularem amicum D. Antonium Taviram Regii equestris Sancti Iacobi Ordinis Conventûs eius Oppidi Priorem inviserem, significavit mihi exstare in celebri eiusdem Conventûs Bibliotheca membranaceum codicem Hispanicum: *Dichos y hechos de los Padres del yermo*, in cujus fine legitur : *A Dios gracias este libro escribio Fray Johan de Cordova Cirujano en la Villa de Guadalupe* (Librariusne an Interpres fuerit?) *acabado Viernes doce dias andados del mes de Noviembre de mil è doscientos* (desunt reliqui numeri, qui tamen ad annum Christi MCCC. non pertingunt Item: *Anonymi Versionem Hispanicam* dialecto tamen Aragonensium, *Ethicorum Aristotelis ad Ioannem Gusmanum Dominum de Algava*, in antiquo membranaceo codice in cuius extremo : *Comenzóse el presente libro á traducir è ordenar en Sevilla á XV. de Octubre* año de SESENTA Y SIETE (sæculine XIV. an sequentis?) *è acabóse á XXVIII. de Noviembre del referido año.*

Præterea in aliis librorum catalogis postquam notulas absolveram incidi in *Fratris Antonii Ginebredæ* Ord. Præd. *La traduccion Española de los libros de la consolacion de Severino Boecio : impresa en Sevilla por Meinardo Ungut y Lanzalao Polono* 1497. fol. Agit de hoc opere Noster, non suo tamen loco, nimirum in Bibliotheca Nova lit. A. et auctorem *Genebradam* cognominat : . . Item in *Doctorem Iulianum Gutierrez* Catholicorum Hispaniæ Regum Ferdinandi et Isabellæ Medicum, eiusque opus : *De calculi atque ilis dolore et remediis* : Hisp. *Cura de la piedra y dolor de ijada*, Toleti 1498. editum apud Petrum Hagenbach Germanum fol. . . . Item in *Henrici de Aragonia* Marchionis ut puto Villenatum versionem Hispanicam fabularum Æsopi : *La traduccion Castellana de las fabulas de Esopo* Hispali editam apud Ioannem Cromberger 1533. Demum in Almanacum perpetuum R. Abraham Zacuti in cuius extremo legitur : *Explicium Tabulæ Tabularum astronomice Raby Abraham zacuti astronomi Serenissimi Regis emanuel Rex pordiscipulum eius actoris opera et arte solertis magistri Ortas euraque sua non mediocri impresione complete existunt felicibus astris anno a prima rerum etherearum circuitione* 1496. *sole existente in* 15. *g.* 53. *m.* 2. *piscium sub celo leyree.* Mitto alia de genere hoc, adeo sunt multa ac prope infinita ; et manum de tabula.

FINIS.

BIBLIOTHECA ARABICO-HISPANA,

SIVE

DE SCRIPTORIBUS ARABIBUS,

QUI UNQUAM USQUAMVE IN HISPANIA ALIQUID LITERIS CONSIGNARUNT.

A

ABDALA NARACH Hiſpanus, medicæ artis peritus à Nicolao Monardes medico Hiſpalenſi laudatur, nullo eius tamen deſignato opere, in tractatu ſuo *De la piedra Bezoar*, fol. 152. ſimiliter ab Alphonſo Ciaconio in *Bibliotheca* MS.

ABDALLAHI IBEN BACCAL EL TOLAITALI, hoc eſt, Toletanus. Liber eius abſolutus *De agricultura* exſtat in Eſcorialenſi regia bibliotheca, ſcriptus, ut ibi dicitur, *Toleti librariæ Ioſeph Ibn Liſhap Ibn Nehemiæ, anno à computo Alcuſri MCCLXIX. Tolaitali* vocabulo, pro *Toleti* Arabes utuntur, ut obſervatur, productis exemplis, ab amico noſtro D. Gaſpare de Mendoza Ivañez de Segovia, olim Marchione Acropolitano, nunc Mondexarenſi, in doctiſſimo ſuo *De originibus Hiſpaniæ* commentario, nondum typis edito.

ABEL MADI (fortè ABEN MADI) Abibæ filius. Hic *Miramamolini Cordubæ hiſtoriam* ſcripſiſſe dicitur ; quâ utitur in *Annotationibus ad Epiſcoporum Iſidori, Sebaſtiani, Sampiri, & Pelagii*, veterum noſtræ gentis Chronicorum [a], Prudentius Sandovalius. Ait enim circa annum CMLXXXIV. Miramamolinum Cordubæ Regem formari iuſſiſſe Maurorum, à primo eorum in Hiſpaniam ingreſſu ad ſua uſque tempora, hoc eſt, ducentorum quinquaginta quatuor annorum ; in hiſque XXV. Regum Cordubæ hiſtoriam : tot enim imperaverant, pro libito à Mauris, quotuſquiſque diſplicebat, ferro ſublati. Hanc hiſtoriam Abel Madi laudato Abibæ filio tribuere Sandovalius videtur : nec tamen, quo loco, aut quo ſermone, aut ſaltem quo interprete tranſlatum ex Arabico in vulgarem linguam viderit, admonere nos voluit.

[a] Pag. 83.

Ad Miramamolinum Cordubæ quod attinet, is circa hæc tempora Abderragman, Mahomadi filius fuit, qui mutato nomine *Almunacer Ledinelle*, hoc eſt, *Defenſorem legis Dei*, atque item communi appellatione *Amiramomeni*, quod *Rex credentium* interpretatur, ſe vocari fecit, ut in *Hiſtoriæ Arabum* cap. 30. Rodericus prodit Toletanus. Hic anno Arabum CCC. imperio præfectus, quinquaginta regnavit, uſque ad CCCL. ſcilicet, de quo ab eodem auctore monemur. Annus verò hic Arabum, ſeu Hegiræ, quo mortuus eſt Abderragman Amiramomeni, ferè anno Chriſtiano CMLX. conſonat, iuxta rationem combinandi utramque epocham, quam viri huius callentiſſimi nos docuere.

Quare ante hunc annum obitus Miramamolini conſignandus memoriæ à Sandovalio fuit eius hiſtoricus, niſi & hereditarium factum, quod non legimus, elogium hocce, cognomentumque uſurpaverit etiam eius filius & ſucceſſor Alachan, qui XVI. annis, hoc eſt, uſque ad CMLXXVI. aut Inem Alhacane natus, qui ſub adminiſtratione Mahometi, dicti Almanzoris, & Abdelmelic eius filii, nomine tenus Rex, uti diximus, domi ſemper otio ac deliciis emarcuit.

ABEN ALFANGE Valentinus, ex Maurorum ſecta, qui deinde tranſiit ad caſtra Eccleſiæ, Roderici Didaci, cognominati Cidi, domeſticus, ſcripſiſſe dicitur quandam hiſtoriam De rebus eiuſdem Hiſpani herois (niſi fabuloſus auctor ſit) quâ uſum ſe ait Beuterus in prologo ad *Hiſpaniæ hiſtoriam*, & Eſcolanus in *Valentinæ* lib. 6. cap. 26. num. 4. Hunc quia ex Iudaica ſecta Chriſtianam religionem amplexus dicitur, in Bibliothecæ Hiſpanæ albo deſignavimus [b].

[b] Tom. 2. pag. 3. num. 9.

ABEN GEZAR ſcripſiſſe dicitur *De admirandis*

dis urbium Hiſpaniæ, laudatus à D. Thoma Tamaio in Notis ad Luitprandi Chronicon pag. 157. quum de Galiavæ, quod vocant, palatio iuxta Toletum, verba facit.

ABEN (ſeu IBNU, quod idem eſt) HABAR, Bæticæ provinciæ hiſtoriographus Maurus, cùm Mauris ea ſubiiceretur Regibus, laudatur à Ioanne Leone Africano in elogio Averrois, libro *De Scriptoribus Arabicis*, quem Hottingerus edidit in *Bibliothecario* ſuo [c], pluraque refert de hoc philoſopho Cordubenſi ab eo narrata.

• Pag. 272.

ABEN JAHIE ACIROVICLA. Laudatur in indice librorum regiæ Laurentinæ bibliothecæ inter mathematicos exſtans Arabes eius liber, *Lamina generalis aſtrolabii* dictus, ſive huius argumenti.

ABEN PACE, ſive (ut Arabum in more eſt multis appellari nominibus) EBNO EL SAYEG, ſive (quod eſt in *Hiſtoria medicorum Arabum* auctore Ebn Abi Oſaibea) ABU BECR MOHAMMED EBN YAHYA EBNO EL SAYEG, notior tamen nomine EBN BAJAH, vulgò ABEN PACE. Cordubæ natus dicitur, ut Ioannes Geneſius Sepulveda *De regno & Regis officio* lib. 3. pro comperto affirmat. Ex Hiſpania certè eum fuiſſe liquere nobis debet è teſtimonio Ebn Tophail infrà adducendo.

Summus audit philoſophus, & perſpicaciſſimi ingenii; quem immatura mors ſtudiis Feſſæ Africæ urbe vitæque famæque abripuit anno Hegiræ DXXXIII. ſive, ut alii, DXXXV. veneno, ſi verum dixit Ebn Chalican, ex invidia ſublatum quæ quidem ei plures inimicos ſuſcitavit. Et fuere (ut idem inquit Chalican) qui ipſum, quaſi de Alcorano & Mahometica doctrina minùs honorificè ſentiret, incuſarent. Huius acumen & iudicium Abu El Haſen Ali quidam, qui opera eius in unum collegit volumen, ipſum eo nomine omnibus qui inter Mahometanos philoſophiæ operam dederunt, præferre non veretur, adeò ut aſſerat neminem poſt Alpharabium ei comparandum, atque eius dicta iis quæ ab Avicena & Algazali prolata ſunt, ſi inter ſe conferantur, præponderare. Hæc iiſdem ferè verbis retulimus, quibus hominem laudavit Eduardus Pocockius in præfatione ad interpretationem epiſtolæ Ebn Tophail, & elencho Scriptorum, de quibus in ea mentio fit. Nimirum hic Maurus, & ipſe Hiſpanus, de quo ſuo loco à nobis agendum eſt, epiſtolam quandam ſcripſit *De vita Hai Ebn Yokdhan*, philoſophicæ doctrinæ plenam, quam ex Arabico tranſlatam laudatus Pocockius Latinè edidit Oxonii MDCLXXI. in 4.° Curioſè hic de Andaloſenis, hoc eſt Hiſpanis, inter Mauros ſapientibus agit epiſtolæ auctor, cuius verba dabimus, quæ ad noſtrum pertinent.

Deinde ſucceſſerunt illis & alii, ipſis perſpicaciores, & qui ad veritatem propiùs accederent; inter quos haud fuit alius ingenii acutioris, nec qui res meliùs perſpiceret, aut veriùs perciperet, quàm Abu Becr Ebn Al-Sayeg (hic noſter eſt Aben Pace) niſi quòd eum occupatum teneret mundus, donec ipſum præriperet mors, antequam patefierent theſauri ſcientiæ eius, aut vulgarentur occulta ſapientiæ ipſius: *ac pleraque, quæ è ſcriptis eius reperiuntur, imperfecta ſunt, & fine mutila, veluti liber ipſius* De anima, & De regimine eius qui vitæ ſolitariæ ſe dederit, & *quæ ſcripſit* De logica & ſcientia naturali.

Libri autem eius perfecti tractatus ſunt compendioſi, & epiſtolæ raptim ſcriptæ. Atque hoc ipſe declaravit dicens, illud, cuius demonſtratio illi propoſita fuit in epiſtola Aletteſal (ideſt coniunctionis intellectûs cum homine) non eo ſermone prorſus manifeſtam fieri, niſi poſt difficultatem & moleſtiam gravem, & quod methodus explicationis ſuæ aliquibus in locis viâ minùs perfecta ordinata fuerit: quod ſi amplius illi temporis ſpatium concederetur, in animo ſibi fuiſſe illam mutare. *Atque ita ſe habet* (Tophail proſequitur) *quod ad nos pervenit de ſcientia huius viri. Nos autem ipſum non vidimus, & qui cum eo eodem tempore vixerunt, eiuſmodi ſunt, ut non dicantur illi pares gradu fuiſſe: nec quid ab ipſis compoſitum vidimus. At qui ipſis ſucceſſerunt è coætaneis noſtris, ſunt illi, qui vel adhuc ſunt in ſtatu incrementi, vel qui ſubſtiterunt contra perfectionem, vel qui quomodo ſe revera habuerint, nondum ad nos notitia pervenit.* Hæc Ebn Tophail de Aben Pace, atque eius doctrina & libris, ex quibus ætas utriuſque indicatur. Vide in *Tophail*, ſive *Jaafar Abu Jaafar Ebn Tophail* lit. *I.*

ABEN ZOHAR maiore ſæculi duodecimi parte famam in arte medica non vulgarem apud nos ortus & florens obtinuit, cognomento tum *ſapiens*, tum *glorioſus* dictus, qui, ſi credimus Ioanni Leoni Africano in libello *De viris quibuſdam apud Arabes illuſtribus*, quem Ioannes Henricus Hottingerus in *Bibliothecario* ſuo fecit publici uſus, è nobilibus fuit Hiſpalenſis civitatis (perperam editum fuit *civitatis Sicillæ*, pro *civitatis Sibiliæ*, ut notum ex aliis Vitæ eius monumentis, & quòd Hiſpanus vulgò audit) ſive aliàs non longè ab ea urbe, natus in oppido *Peñaflor* ad Bætim flumen, pari Cordubam inter & Hiſpalim intervallo, quod veterum *Ilipa* eſt. Huic namque ortum noſtri adiudicat, neſcio unde eo accepto, Nicolaus Monardes medicus Hiſpalenſis bene doctus [d].

[d] In lib. vulgari *De la piedra Bezoar* fol. 112.

In eius nomine aliquantulum variatur. Nam & ABU MENON ABEN ZOHAR audit in editione libri *Theizir*. AB HOMERON appellat Ioannes Antonius Vander-Linden *De ſcriptis medicis* ſcribens. ABU MERON legitur apud Averroem in fine operis *Colliget*, & lib. 7. eiuſdem cap. 3. Ioannes quidem Leo IBNU ZOHAR, ſive (quod idem eſt) ABEN ZOHAR, vocavit tantùm. Avum habuit & patrem utrumque medicum, quos ipſe laudat [e]. Et quidem ſe à patre ait medicinam didiciſſe, qui à ſe adhuc puero & diſcipulo extorſit iuramentum, nullatenus uſurum medicinis mortiferis & venenoſis: quod ipſe docet in opere *Theizir* [f], de quo poſtea. Decennem cœpiſſe patri artem docenti aures dare, nec ante quadraginta ætatis eam exercuiſſe, Averroes eius diſcipulus memorat [g], ex quo id in *Vitis illuſtrium medicorum* Petrus Caſtellanus annotavit: *Cùm iuvenis eſſem* (verba eius audis) *& novus in medicina, ibam de una civitate in aliam practicando.* Ioannes Leo ait ſerviiſſe eum Hiſpali Ibnu Habad rebelli, ac eius filio, donec magiſtratu ſuo ac dignitate privatus fuit. Conſonat prorſus hocce cum *Hiſtoria Arabum* Roderici Toletani, qui cap. 47. meminit Hiſpalis trium dominatorum diſſipato Cordubenſi regno, Abul Cazim, qui an. Arabum CDXXXIII. Habèt eius filii, qui anno CDLXI. mortem obiere; ac tandem Mahomet Aben Habèt: poſterioris filii, qui etiam obtinuit Cordubam: quem poſt triginta regni annos, ſcilicet anno Arabum CDLXXXIV. Ioſeph Teſſephin, ex Almoravidum genere primus, dominio & libertate deiecit. Nimirum hic Mahomet Aben Habèt Aldephonſi Regis, qui Toletum ceperat (hoc fuit an. MLXXXV.) timore perculſus [h], Ioſephum illum Aben Teſſephin ex Africa in auxilium ciens, hoſtem ac deturbatorem expertus fuit.

[e] Avum lib. 1. *Theizir* tractat. 11. cap. 2. Patrem lib. 1. tractat. 2. c. 5.

[f] Lib. 1. tract. 2. cap. 5.

[g] Lib. 4. *Colliget*, cap. 40.

[h] Aliter Garibay lib. 38. c. 8. ex eodem Roderico Toletano lib. 6. *Hiſt. Hiſp.* cap. 31.

Huius Ioſephi Aben Teſſephin, qui longè lateque in Hiſpania & Africa Almoravidum extendit imperium, ut ex eiuſdem Roderici cap. 47. & 48. Hiſtoriæ conſtat, ſervitio dicatus Aben Zohar (ut Leo inquit) ingentibus divitiis & latifundiis, tam à maioribus quàm à ſuæ ætatis principibus, quibus beneficentiſſimis fuit uſus, habitis (à pauperibus enim artificibuſque nullum ſuæ artis præmium unquam accepit) affluentem longiſſimamque, ut iam dicemus, ſortitus fuit vitam, eleemoſynis, in inimicos etiam, nedum pauperes quoſlibet, effuſiſſimè diſpenſatis. Omnia hæc Ioannes Leo.

Sed iam alias, quas ipſe reliquit, notas de ætate ſua geſtiſque rebus, libro ſuo *Theizir* conſignatas, cum eadem *Arabum* Rodericiana *hiſtoria* convenire doceamus. Lib. 10. tract. 9. cap. 9. ait, quòd *dum eſſet cum patre ſtudens coram ipſo in medicina, vocatus fuit ad fratrem de Bentamin dominum Sibiliæ*, quem ait ſe curâſſe à toxico quod propinabant ei quotidie ſervi; advertens quòd *medici omnes non potuerunt eum curare, donec frater alongavit eum à Sibilia.* Verba Latini interpretis prorſus barbara hæc ſunt.

Eiuſdem lib. tract. 4. c. 1. refert ſe ab Hali vocatum, Ioſephi filio, veniſſe Cordubam. Et tract. 15. cap. 3. quendam ex familia Hali ſanitati ſe reſtituiſſe. Et tractat. 16. cap. 6. *Sicut accidit mihi* (ait) *cùm eſſem iuvenis, quoniam paſſus fui laborem maximum à propinquis, & ab illis qui erant de cognatione Hali, propter quoddam verbum dictum à patre meo, cùm eſſem iuvenis, qui voluit ulciſci de me modis quibus potuit.* Et tract. 13. cap. 6. *Sicut accidit* (inquit) *Azit filio Hali, qui erat Conneſtabilis Regis, qui miſit per me* (Hiſpaniſmum audis, an ab Hiſpano interprete uſurpatum? *embiò por mi*) *ut ad eum Sibiliæ ire deberem, & inveni eum &c.* Tract. autem 2. cap. 5. hæc habet: *Quum autem liberatus fui, & evaſi à manibus Hali & ſuorum hominum, rediens Sibiliam vidi in via quandam herbam &c.* Cuius Cordubenſis Regis Hali carceris calamitatem à ſe toleratam aliis in locis memorat.

Hic, de quo toties loquitur, Hali iam Ben Tamin vocans, non alius, credo, quàm ille eſt Hali Aben Hamit, qui ex Septa Africæ, cui præerat, in Hiſpaniam accitus, Cordubenſe regnum, Zulemane mortuo, invaſit, obtinuitque ante annum Arabum quadringenteſimum octavum (hoc eſt Chriſti MXXVII.) quo nempe occiſus à ſuis dicitur *Hiſtoriæ Arabum* c. 42. [i] Huic ſubrogatus fuit Alcazim frater eius, qui Hiſpali morabatur, ut in eiuſdem hiſtoriæ cap. 43. legitur; quem eundem cum eo eſſe, quem ſanitati Aben Zohar reſtituit, ſuſpicari pro-

[i] Moral. lib. 17. cap. 32.

proclive est. Contingere autem hæc iuveni, & coram patre, (uti ait) studenti, recenti adhuc duodecimo isto sæculo convenienter potuere, qui tamen ipsæ longæ beneficio ætatis Mahometi Aben Habèt Hispalensis imperii, expulsorisque eius Iosephi Tessephini Almoravidis Cordubensis regni, eiusdem nempe sæculi ad finem vergentis, tempora æquavit. Nam vixisse dicitur triginta quinque supra centum annos [k]. Contra id quod Ioannes Leo prodit, nonagesimo nimirum secundo ætatis eum decessisse.

[k] Pet. Castellanus *De vitis illustrium medicorum*. Zacutus Lusitan. in procœmio ad opus *De veterum medicor. hist.* Garibay lib. 38. cap. 12.

Nomen verò suum ad posteritatem omnem unico illo opere, medicinæ totius thesauro, propagavit, quod *Theizir* inscriptum omnes laudant. Vera autem inscriptio hæc est: *Liber Theizir dahamodana vahaliadabir*, quod interpretatur: *Rectificatio medicationis & regiminis. Editus in Arabico à perfecto viro Abu Marban Aben Zohar* (ita vocat Monardes, qui codicem fortè MS. aut principis editionis vidit) prosequiturque: & *translatus de Hebraico in Latinum Venetiis à magistro Paravicio physico, ipso sibi vulgarizante magistro Iacobo Hebræo, ann. Dom. Iesu Christi MCCLXXX. primo mense Augusti, die Iovis in meridie, secundo, ducante Venetiis viro egregio & præclaro domino Ioanne Dandolorum, secundo anno sui Ducatus, an. autem regni DCXXIX. menses quatuor, dies duos.*

Vestibulum forsan ita habet editionis Venetæ principis, quam dedit MCDXCVI. Octavius Schotus in folio. Unde novimus non habere nos Latina ex Arabico, sed ex Hebraico sermone, in quem olim ex Arabico translatio facta fuit. Repetita est editio in eadem Venetiarum urbe apud Gregorium de Gregoriis MDXIV. & unà cum *Antidotario* eiusdem Aben Zohar, & Averrois *Colliget*, Lugd. MDXXXI. Legimus quoque de editione Veneta ann. MDXXX. in folio Ab-Homeronis Aben Zohar & Averrois *De medicina*, quo prioris *Theizir*, ac posterioris *Colliget*, significata existimamus; quæ eadem sunt in Lugdunensi anni proximè sequentis.

Scriptum à se opus auctor ait in gratiam Miramamolini (Iosephum Tessephin Marrochiensem Regem, quem & *Africæ*, & *ultramarinum*, & *cismarinum Monarcham* Rodericus appellat [l], intelligo) iuxta captum etiam eorum, qui non adeò provecti essent. Argumentum operis videtur his auctor voluisse comprehendere: *Post hæc incipiam compilare res nobiles, aggregando medicinas convenientes syntomatibus & causis inducentibus passiones.* In editione laudata Lugdunensi prologus exstat Hieronymi Suriani de Arimino, physici præclarissimi, qui veteres editiones istorum duorum Aben Zohar & Averrois operum se correxisse & suppleviſse miserè depravata & mutila, sensuque proprio sæpe defraudata, ignorare posteros noluit.

[l] Cap. 47. & 48.

Laudantur & alia Aben Zoharis opuscula. *Excerpta de balneis* exstant in editione Veneta de iisdem [m]. *De febribus* liber legitur, in *De febribus* systemate etiam Veneto [n]. In Laurentina Regis Hispaniarum bibliotheca, uti ex eiusdem constat elenchis [o], operis *Theizir* plura exempla, diversimodè tamen notata, immo Aben Zohari plures inscripti, diversorum tamen eiusdem, ut suspicor, nominis, libri asservantur.

[m] Fol. 434.

[n] Fol. 106.

[o] Apud Hottinger. in *Biblioth. Orient.* pag. 333.

Num. 1. *Muhammed Iben Zahor, Latinè Aben Zohar, liber absolutus in modum compendii, scriptus ad facilem introductionem librorum medicinæ, perperam inscriptus Hispanicè: Liber de fulgurationibus.*

Num. 8. *Muhammed Iben Zahor, Latinè Aben Zohar, liber absolutus ad principia & elementa medicinæ practicæ & theoricæ deserviens, inscriptus* ab eo Altenzir, id est, introductorius. Qui cum superiore idem videtur.

Num. 25. *Abdic Meliq Ibn Zohar, Latinè Aben Zohar, liber inscriptus* Eltaizir, *de re medica, id est, liber de facili medicatione morborum.* Sed adiungitur: *scriptus anno à fuga DCCXXIII. perperam inscriptus anonymus.*

Num. 55. *Iben Zohar De experimentis medicinalibus liber absolutus, scriptus anno à computo Alcufri* [p] *MCCLXXX. E. A. optimus.* Hi sunt in laudata bibliotheca ex iam dicto elencho.

[p] Legendum est *Alcopti*, seu *Eræ Coptorum*.

At aliunde didici exstare quoque ibi cum *libri rari* elogio: *Aben Zohar De proprietatibus animalium.*

Prostat quidem *Abo Hali Aben Zohar Arabis, medici præstantissimi & vetustissimi, De regimine sanitatis liber*, publicatus à Ioanne Georgio Schentio Basileæ apud Konig MDCXVIII.

In bibliotheca D. Gasparis de Guzman Comitis Olivarienſis olim fuit, si catalogo eiusdem credimus, *Abrahami Aben Zoharo* (ita legitur) *del juicio de las estrellas;* hoc est, *de Iudicio ex astris.*

Iben Ho Zohar quoque liber *De alimentis* laudatur à Samuele Bocharto in *Hierozoico* suo sive *De animalibus S. Scripturæ* operis posteriore parte lib. 1. c. 15.

Ite-

Iterumque ex alio forsan opere lib. 2. cap. 3. *De scriptis medicis* laudat Lindanus libellum *Zohar medici Arabis De cura calculi*, unà cum Rhasis operibus editum Venetiis apud Octavium Schotum ann. MCDXCVII. in fol.

Sed cùm hi omnes sub eodem *Aben Zohar* cognomento, quod *filium Zohar* sonat, vel Muhammedis, vel Abdic Meliq, vel Abo Hali, vel Abrahami nomina præseferant, vix est ut eundem omnium auctorem fuisse credamus. Quorum aliqua Aben Zohar alteri, eius de quo nunc loquimur filio, attribui posse, statim dicemus.

Deperditum sanè novimus, Aben Zohari huic nostro certè adscribendum, librum *De decoratione* inscriptum, cuius ipse meminit in principio *Theizir*, referens pudere se de quibusdam vocabulis, cùm *De causis mali & corrupti odoris* ageret, in eo usurpatis,

In hoc sanè præceptore suo non perfunctoriis laudibus ornando frequens Averroes est discipulus, quantumvis aliàs ad calumniandum pronus, Castellani [q] iudicio, aliorumque insectator. Is enim absoluturus *Colliget* opus, *unicuique volenti* (ait) *ad huiusmodi præclaritatis scientiam* (medicinam) *pervenire, bonum est ut libros Abu Meron Aben Zohar studiosè legat; nam ibi medicinæ thesaurus continetur.* Alibi [r]: *Coronam* (inquit) *ei exhibendam, cùm viderit & cognoverit quantum humanitus videri, cognosci & observari licet.* Item de filiis eius: *Sed nobiles* (ait) *viri filii Aben Zohar testificati sunt hoc; & illi sunt quibus debet attribui scientia medicinæ.* Ex recentioribus laudant Iacobus Philippus Bergomensis lib. 12. *Supplementi Chronicorum* [s], Ioannes Leo Africanus, qui elogium scripsit antea memoratum, Stephanus de Garibay lib. 38. *Compend. histor. Hispaniæ* cap. 12. Matamorus, qui per errorem eum *Zourum* nominat in apologetico *De doctis Hispaniæ viris*, Zacutus Lusitanus in procœmio ad opus suum *De veterum medicorum historia*, & alii præter eos, qui medicorum vitas in commentarios digesserunt.

[q] *De Vitis medicorum.*

[r] Lib. 4. cap. 40.

[s] Fol. 513.

ABEN ZOHAR iunior, qui & IBNU, alterius Aben Zohar medici Hispalensis de quo nuper loquuti sumus, filius fuit. Hunc notum habemus ex Ioannis Leonis Africani libello *De viris quibusdam Arabum illustribus*, quem dedit nobis in *Bibliothecario* suo Ioannes Henricus Hottingerus, cuius elogium subiungere operæ pretium duximus: *Ibnu Zohar vel Zor Biblioth. vet. Hisp.* Tom. II.

qui Rhasis dicitur, supradicti Ibnu Zohar filius, à patre medicinam didicit & fuit vir doctissimus & præstantissimus in vita sua & maximæ ei fuerunt divitiæ. Quando autem venit Manzor Pontifex & Rex Marrochi (non alium intelligo quàm Iosephum Aben Tessefin ex Almoravidis, qui ut Rodericus ait Toletanus Episcopus [t], *Monarcha ultramarinus & cismarinus* fuit, Bæticam subiugavit & Marrochi regiam suam fixam habuit. *Manzor* enim, quod *Defensorem* & *Amirolmumenim*, corruptè *Miramamolin*, quod *Credentium Imperatorem* sonat, usurpatum promiscuè ab his qui longè lateque imperii sui ditionem inter Mauros extendissent, verisimile est). *Cùm venit Manzor* (inquam) *Pontifex & Rex Marrochi in Bæticam* (anno Arabum quadringentesimo octogesimo quarto, ut Rodericus ait cap. 48. *Histor. Arabum*) *secum duxit Rhasim in medicum, eumque maximè venerabatur. Dixit Ibnu Giulgiul, quòd Ibnu Zor, quando separatus & quasi à suis repulsus apud Marrochium ceu desperatus erat, eoque ad sui propositum aliqua carmina scripsit. Quadam die ingressus Manzor eius domum, invenit dicta carmina, eaque se non vidisse finxit; statimque cùm foris esset, misit nuncium ad gubernatorem Sibiliæ, ut ei adduceret totam familiam ipsius Ibnu Zor. Post viginti octo dies fuerunt in Marrochio & Manzor dedit eis quandam domum ornatam; fecitque ut Ibnu Zor ad eam iret causâ medendi quamdam infirmam advenam. Cùm autem domum ingressus fuisset, invenit totam familiam suam, omnesque suos & vehementer admiratus est & præ gaudio quasi insanus effectus est. Postea cognoscens Manzorem hoc ordinâsse, re peracta gratias ei dedit immortales, & ita multiplicavit stipendium suum.*

[t] In *Histor. Arab.* cap. 48.

Conveniunt hæc omnia his quæ Rodericus refert [u], post primam suam Hispanicam expeditionem, cuius occasione notum habuit sibique obnoxium Aben Zohar seniorem nostri iunioris patrem, ut de eo loquentes ex eodem Leone diximus, Tessefinum rediisse Marrochum, proprium suum regnum, atque inde iterum venisse in Bæticam, rursusque in Africam repedâsse; ac tunc potuit, mortuo iam genitore, in medicum eiusdem Tessefini Marrochum asciri, domo & familiâ Hispali relictâ, unde doloris ei ob orbitatis malum causa.

[u] Cap. 48.

Sed pergit Leo: *Mortuus autem est*

Ibnu Zor ætatis suæ anno septuagesimo quarto, de Helegira verò anno quingentesimo nonagesimo quarto, in Marrocho. Composuit etiam multa opera in medicina. Unum videlicet De cura oculorum: *aliud cui titulus est:* Provisio peregrini &c. Hæc ille. Diximus suprà, cùm in senioris, sive patris rebus versaremur, varia circumferri Zohari adscripta, quæ illiusne an huius sint, in obscuro est.

ABI MUHAMED ALI, filius Alamed, filii Hazm, Andalusius, *Descriptionem variarum sectarum & religionum* duobus voluminibus edidit, quæ servantur in bibliotheca Leidensi, ut ex eius constat catalogo pag. 332. Eius est illustratio Corani, nisi alius est ille Aben Muhamed Ali Andalusius, auctor libri *De amore*, qui in eadem exstat bibliotheca testimonio eiusdem catalogi pag. 371.

ABI ZELTI Andalusius, quem Hottingerus laudans, *Smegmatis orientalis de bibliothecis orientalibus* lib. 3. par. 2. cap. 2. *Danitam* Andalusium vocat, *Danensis* fortè loco, si fuit ex urbe, nempe Dianio nunc *Denia* Valentini regni. Hottingerus meminit huius auctoris *Astrologiæ* hoc loco [x], *Tractatuumque arithmeticorum*, atque item *musicorum*, ibidem [y].

ABU BAHAR IBNU CHALSON Granatensis, Maurus, celebratur à Ioanne Leone [z] per hæc tempora. Mortuum quippe ait anno octingentesimo vicesimo octavo, Egiræ scilicet, qui annus est Christianus MCDL. in eadem civitate Granatæ. Philosophum, medicum & astrologum gratiâ plenum vocat, elegantemque poetam in epistolis suis.

ABU BECRUS EBN AL SAJEG idem est cum ABEN PACE, de quo suprà.

ABU BECRUS (potiùs quàm EUBECRUS) MAHOMET ABEN ZACHARIA, de medicina unum Toleti (ut notatur) librum *De dignoscendis morbis & signis exterioribus*, alium anno Nativitatis Mahometi DCXVIII. sive Christi nati MCCXL. aut circiter, ac tertium alium medicæ item doctrinæ Arabicè scripsit, qui adhuc inediti bibliothecæ regiæ Laurentinæ libros augent in qua & exstant, ut in catalogis eius legitur.

ABU CHALID Andalusius, hoc est Hispanus, laudatur à Samuele Bocharto *De animalibus sacræ Scripturæ* 2. par. lib. 2. cap. 15. [a] apposito eius (ex nescio quo opere) fragmento, in quo de *Chotaph* sive hirundine pisce: *Chottaph* (seu hirundo) *piscis est in mari Septæ* (notæ urbis in Africana ora Herculei nostri freti) *nigris alis duabus à tergo instructus, quibus è mari exiens super arbores volat atque inde redit ad mare.*

ABU CHATIM Andalusius, sive Hispanus, ab eodem Bocharto absque operis seu libri nota laudatur eâdem altera parte *Hierozoici* sive *de animalibus sacræ Scripturæ* lib. 2. cap. 30. [b] in mentione *Zummag* cuiusdam aquilæ speciei.

[x] Pag. 252.

[y] Pag. 249. & 250.

[z] Libello *De viris illustribus apud Arabes*, apud Hottinger. in *Bibliothecario* lib. 2. cap. 3. pag. 286.

[a] Col. 236.

[b] Col. 336.

Nota de Andalusiæ nomine.

Quoniam toties occurrit Andalusii tributum Abu Chatimio & aliquot aliis suprà laudatis nomen, prætermittendum non est, moneri lectores de huius gentilitii vocabuli apud Scriptores qui Arabicè scripserunt, proprietate. Non enim id *Andaluziam*, quæ olim Bætica fuit Romanorum tempore docta, hoc est, partem Hispaniæ magis australem eorum usu & acceptione significat; sed Hispaniam integram. Alferganus in *Elementis astronomicis* cap. 9. quintum clima mundi describens, post alias terras eo comprehensas, *Deinde* (ait) *intra Romanorum fines excurrit per Charxenam, Caram & magnam Romam: tum per borealia mediterranei maris litora & tandem per Andalusiam, donec definit ad mare Hesperium.* Quo loco per Andalusiam ei climati subiacentem ea Hispaniæ pars, quæ borealior est, significatur distincta à meridiali sive Andaluzia hodierna, quam climate quarto contineri certo certius est.

Interpretem Alfergani præstat optimum, egregieque rem confirmat Nubiensis geographus climatis quinti prima parte [c]. *Pars hæc prima climatis quinti complectitur portionem plagæ septemtrionalis Andalusiæ, terram scilicet Galliciæ & partem Castiliæ.* Rursusque climatis quarti prima parte [d]: *Totam Hispaniæ peninsulam mari tenebroso* (nempe oceano) *circumdatam Andalusiam vocat.* Et clariùs adhuc alibi [e]: *Peninsulam Andaluziam mediam secat per longitudinem oblongus mons Sarat vocatus, cuius in parte meridionali occurrit urbs Tolaitela totius Andaluziæ umbilicus.* Et alibi [f]: *Atque hæ sunt universæ provinciæ Hispaniarum, quæ simul sumtæ vocantur Andaluzia.* Et passim concinit in *Historia Dynastiarum* Gregorius Abulpharaius [g]: *Ante hoc tempus occupaverant Franci* (pro Christianis, nam de Alphonso VI. intelligendus est) *urbem Tolai-*

[c] Pag. 215.

[d] Pag. 147.

[e] Pag. 151.

[f] Pag. 155.

[g] Pag. 242.

laitelam, aliasque in regione Andaluziæ. Certum quippe est Alphonsum Toleti expugnatorem ad propriam Bæticam victorias suas neutiquam prorogâsse.

Iben Chalicam celebris Arabum historicus iucundam narrat de filia cuiusdam Regis insulæ (sic vocant Hispaniam, pro peninsula) Andalusiæ fabulam verbis, quæ in Ioannis Henrici Hottingeri *Historiæ orientalis* lib. 1. cap. 8. [h] legi possunt, unde hæc sunt in Latinum translata: *Erant tum in insula Andalusia multi Reges.* Singulæ enim regiones aut binæ suum habebant Regem.

[h] Pag. 291.

Salomonis etiam Vegæ hæc sunt in libro *Historiæ Iudaicæ* [i]: *Pyrrhus autem captivos omnes navibus impositos in Hispaniam antiquam, quæ Andalusia dicitur, & in urbem Toletum avexit.*

[i] Pag. 41.

Laudatur quoque pro hoc nominis inter Arabes usu à Gaspare Escolano lib. 1. cap. 8. num. 1. *Historiæ* suæ *Valentinæ urbis & regni*, Scriptor quidam Cacim Aben Hegi *Historia de la perdida de España*, quem debuerat, quisnam homo esset, undeve translatum & Hispanis familiarem habitum viderit, non tacere, nisi idem fuerit cum Abul Cacim Tarif Aben Tariquio inferiùs adducendo ex cuiusdam argumenti libro huic & illi communis.

Arabicæ, inquam, linguæ hoc vocabulum esse non à Wandalis derivatum, quasi pro *Wandalusia* invaluerit *Andalusiam* dici, vero magis simile ducimus. Si enim Wandali hanc partem Hispaniæ, quam Bæticæ nomenclaturâ dignoscebant Romani, Wandalusiæ vocabulo aut ipsi non longi temporis incolæ aut occasione ipsorum eidem provinciæ dominantium alii appellâssent, mansisset id quidam, aut eius aliquod vestigium in Gothorum historicis, atque eius gentis tot Ecclesiasticis & profanis, quæ adhuc exstant, monumentis, nec minus in Romanis aut Latinis, si in vulgarem semel usum iviss set, ut ab habitatoribus Wandalis Wandalusiæ nomen ei provinciæ inhæsisset. At cùm toto hoc medio plusquam trecentorum annorum tempore à Wandalorum ab Hispania in Africam transmigratione usque ad Arabum in illam ingressum, immo & quingentorum aliorum insuper usque ad Ferdinandi III. Sancti Castellæ Regis tempora, quibus Rodericus Toletanus præsul primus, ut credimus, Andalusiæ fuit usus nomine, nulla huius aut Wandalusiæ, mentio uspiam fiat; oportet sanè credere, novum & linguæ suæ germanum vocabulum induxisse Arabes ut Hispaniam indigitarent, non autem aliquod tot annis sepultum & vel ipsis Hispanis inauditum velut ab inferis suscitâsse.

Rodericus enim apertè censuit Wandalos suam provinciæ Bæticæ appellationem gentis reliquisse *Historiæ Wandalorum* cap. 12. hanc & in cap. 31. lib. 6. historiæ suæ *De rebus Hispaniæ* Wandalusiæ, sive eius incolas Mauros *Wandalutiorum* vocabulo significans. Cùm Isidorus Pacensis sæculi octavi Scriptor non nisi *citerioris* & *ulterioris* Hispaniæ utatur, nec ullus alius usque ad Rodericum *Wandalutiæ*. Quo argumento prudenter utitur inter alios Franciscus Bivarius in ad Braulionem, ut credi voluit, Notis [k]; cuius additiones ad Pseudo-Maximum eiusdem cum hoc auctore commatis sunt.

[k] Pag. 79. & seqq.

Sed quod adiungit de *Ampelusio* Africæ promontorio unde nomen inditum Andalusiæ à Mauris coniectatur, parum propitiis Musis conceptum ab eo fuisse, nullus credo eruditorum in geographiæ atque etymologiæ regulis non censebit.

Haberemus quidem veram originem huius vocabuli, si certiori aliquo fundamento niterentur, quæ Anastasio Antiocheno Patriarchæ Anastasii alterius Sinaitæ vocati & martyris successori, de S. Iacobi maioris Apostoli in Hispaniis prædicationi imputantur. Rei auctores sunt Iosephus Stephanus & Bartholomæus Laurentius, hic in *Indice auctorum qui de adventu S. Iacobi* ad nos agunt lib. 1. *De potestate coactiva Rom. Pontificis*; alter cap. 8. num. 2. & ex his duobus doctissimus Gaspar Sancius tract. 2. *De adventu* eodem *D. Iacobi, & prædicatione in Hispaniis*, cap. 2. quem commentariis suis in Acta Apostolorum subiecit. Duo illi scriptum reliquere vidisse Romæ se, dum ibi commorarentur, in bibliotheca cuiusdam Ignatii Patriarchæ Antiocheni librum quendam laudati Anastasii Arabicâ linguâ antiquâ scriptum, unde fragmentum hocce Latinè (nec dicunt cuiusnam operâ) redditum habuere, *multiplicibus martyriis affectus est S. Iacobus Apostolus frater Ioannis filii Zebedæi, idque postquam abiit in occidentem in civitatem Andiat & fecit apud eos miracula* &c. Difficile visum civitatis huius nomen de tota gente intelligi iis qui videre: præsertim Laurentio laudato, qui ex

Andiat corruptum fuiſſe *Andlis* vocabulum exiſtimat, quo quidem apud Arabes Hiſpaniam totam ſignificari, ab huius linguæ peritis ſe didiciſſe ait. Vellem tamen huius vocabuli uſum apud Arabes compertioribus documentis quàm hæc ſunt prodi; unde proclive eſſet Andaluſiæ aliud, ſive pro ſignificanda Bætica unde ad integram Hiſpaniam extendi potuit, ſive pro tota Hiſpaniæ peninſula, quomodo certiſſimum redditum iam à nobis fuit loquutos Arabes, proximè derivare. Sufficit autem nobis in præſentiarum de uſu nominis *Andaluſiæ* docuiſſe, ut confirmemus *Andaloſenos* pro Hiſpanis dictos eos omnes, quos iam laudavimus, ac deinde laudabimus huius linguæ Scriptores ab Arabibus ita indigitatos.

Cuius rei occaſione neque alteram ſilebimus proximam huic obſervationem de Hiſpaniæ nomine ſub iugo Mahometanorum maiorem partem poſitæ, atque eius uſu apud auctores etiam non huius ſectæ. *Hiſpania* nempe audiit vulgò ea tantùm Hiſpaniæ pars cui Mauri dominabantur. Cætera autem propriis regnorum Gallæciæ, Oveti, Legionis, vocabulis ſignificabatur. Teſtimoniis id comprobat Sebaſtiani Salmanticenſis, ſive Alphonſi magni, & ſcriptæ cuiuſdam donationis monaſterio SS. Facundi & Primitivi martyrum à Sancio Legionis Rege cognomento Craſſo factæ, Ioſephus Moretus amicus noſter, vir antiquitatum & regni ſui Navarrenſis vindex *Inveſtigationum eiuſdem regni* lib. 2. cap. 10. §. 2. [l] Quibus adiungere lubet alterum ab eo, quo uſus fuit Moretus, eiuſdem Chronici teſtimonium, quod Alphonſi magni Regis germanum eſſe paſſiva iam doctorum hominum perſuaſio eſt. *Iterum* (ait [m]) *Nortmanni piratæ his temporibus ad noſtra litora pervenerunt. Deinde Hiſpaniam perrexerunt, omnem eius maritimam gladio ignique prædando diſſipaverunt. Atque item de iiſdem Normannis ab litore Aſturum à Ramiro I. fugatis; qui verò ex eis remanſerunt, civitatem* (inquit) *Hiſpaniæ Hiſpalim* (hoc eſt Maurorum) *irruperunt.* Similiter Sampirus loquitur in Adephonſo III. *Ob cuius imperium Dux quidam Hiſpaniæ* (id eſt Maurus) *& Proconſul nomine Abohalit, bello comprehenſus, Regis obtutibus eſt præſentatus.*

ABU HAMED Hiſpanus, à Samuele Bocharto lib. 6. *De animalibus S. S.* cap. 14 [n] auctor adducitur pro confirmanda fabula cuiuſdam avis miræ magnitudinis *Ruch* dictæ, cuius alæ mille ulnis patent. Hunc tamen non veritus fuit Bochartus auctorem ἀξιοπιστότατον, hoc eſt *fide digniſſimum*, vocare. Laudans eius librum magni (ut inquit) nominis *beneficium animorum* (Arabicè *Thochphatholalbabi*, ut adiungit in indice auctorum) dicti. In quo de *Talb* piſce, qui in minimas partes diſſectus moveri non deſinit, ac ſtatim de alio piſce prope urbem Septam ab eo auctore, ut aſſerit, viſo ex ſpecie eius, quem iuxta Alcorani fabulam Moſes & Ioſue manducavere, loquitur. Meminit & eiuſdem Abu Hamedi lib. 5. cap. 17. [o] *De crocodilo*; & lib. 6. cap. 15. [p] ubi de piſce humanæ formæ agit.

ABU HAZEN Andaluſius. Huius *opuſcula chimica* cum ſcholiis Algieldehi tribus voluminibus in 4.° repoſuit cum aliis pluribus libris ex oriente allatis in publica Leidenſis academiæ Hollandorum bibliotheca Iacobus Golius, Arabicè vir doctiſſimus; cuius rei teſtis eſt Philip. Labbeus in *Nova bibliotheca* MSS. *librorum.*

ABU LABAS Cordubenſis commentatus fuit in Alcoranum, cuius verba pro aſſerenda fabula *Racham* avis, quæ ſola ſcit Moſis ſepulcrum, citantur à Samuele Bocharto par. 2. *Hierozoici* lib. 2. cap. 26. [q] qui & ſub appellatione Cordubenſis Alcorani commentatoris iterum laudat lib. 6. cap. 14. [r] quo ſub nomine exſtare dicitur in bibliotheca Leidenſi tredecim tomis inter libros in ea poſitos è Legato Levini Warneri, ut ex eius bibliothecæ conſtat catalogo ante paucos annos typis edito.

ABU LCACIM TARIF ABEN TARIC gente patriaque Arabs, ſed is tamen qui ſi verus & non ſuppoſititius auctor eſſet, Hiſpanis accenſeri Scriptoribus optimè poterat, utpote qui de rebus Hiſpanis, quum primùm hæc noſtra gens Mahometanorum iugum ſubiit, latè ac luculenter ſcripſerit. Prodiit quippe initio ſæculi ex Arabico ſermone Michaelis à Luna regii interpretis operâ in Hiſpanum tranſlata *Vera hiſtoria Roderici Regis* Gothorum ultimi, Valentiæque anno MDCVI. à Patricio Mey edita. In procœmio eius auctor refert, ſeſe huic Hiſpanienſi bello ab ingreſſu in Hiſpaniam Tarifi unà cum Iuliano Comite, omnibuſque iſtius Mahometani ducis expeditionibus exceptis tantum Carmonæ atque Emeritæ urbium expugnationibus continuò interfuiſſe, atque ab iis qui rebus præfuere omnia illa inſtrumenta documentaque, quibus utitur, accepiſſe.

Prima totius operis continet pars eorum

[l] Pag. 471.

[m] Pag. 55. edit. Pampilonen.

[n] Col. 854.

[o] Col. 778.

[p] Col. 858.

[q] Col. 305.

[r] Col. 855.

rum omnium, quæ Arabes in conquirendo Califæ Walido Almanzoris ſeu Mahometani imperii totius principi, Hiſpaniæ, quæ Gothorum fuit, regno geſſerunt, narrationem. Quibus adiungit res alias geſtas in Arabia & in Hiſpania ſub eodem Walid atque eius filiis, itemque aliqua de Califa Aben Cirix, atque eius tempore geſtis inter tyrannos ſeu rebelles eius, qui in Hiſpaniis dominabantur, bellis. Altera pars hæc continet. Primò ſuprà laudati Califæ Abit Walidi Iacobi Almanzoris, cuius auſpiciis facta eſt Hiſpania ſubdita Maurorum, Vitam. Secundò deſcriptionem ipſius Hiſpaniæ, ac de Hiſpanorum moribus relationem. Tertiò narrat novam Hiſpaniæ atque Africæ expugnationem ab eodem Aben Cirix, Abdalaziſio ſummo duce & à rebellium deſpotarum manibus recuperationem. Quartò regnum in Hiſpania eiuſdem Mahometi Abdalaziſii poſt obitum Aben Cirix Califæ eiuſque mortem deſcribit.

Sed multa, ut iam iudicium meum proferam, in tota hiſtoria enervant eius fidem, retardantque lectorum aſſenſum. Quantumvis enim, ut Gaſpar Eſcolanus alicubi ait [s], liber Aben Tariqui Arabicus, quem Hiſpanum habemus, in regia bibliotheca Eſcorialenſi exſtiterit, de quo tamen neque eius indices, neque interpres ipſe Luna conſulti quicquam docent; potuit ſanè à Mauro aliquo qui inter nos vixit, relatio hæc fabulæ quàm hiſtoriæ proprior, emanare, quam exhilarandis ac recreandis otioſorum animis veris falſa miſcendo compinxit auctor; quemadmodum alius ille, qui *De bellis civilibus Granatenſis regni* paulò priùs quam in catholicorum Regum manus perveniret geſtis iucundæ narrationis librum inſcripſit. Planè etenim hiſtoria hæc novitatem in multis ſapit; Arabiſmi genium minime redolet. Inſtrumenta quippe regia mandatorum, deputationum, edictorum, iiſdem ferè clauſulis, ut cum foro loquar, eodem verborum tenore conſtant, quæ notarii recentiores uſurpare ſolent. Meminit iam eo tempore, quo ſcribere ſe fingit, recentiorum nominum quæ ſub illam Maurorum irruptionem ignota adhuc fuiſſe ac nondum inventa, rerum antiquarum gnari homines prudenter exiſtimant, ſcilicet Granatæ, Vandaluziæ, Caſtellæ, Aragoniæ, aliarumque, vel à Mauris ipſis, vel ab inferioris ævi mortalibus, impoſitorum.

Vitam inſuper Abil Walidi, quam quidem fatetur cuiuſdam Ali Aben Enſian opus non ſuum eſſe, cum iis veterum commentariis reputo, quibus optimi Rex, copiarum dictor, munerumque aliorum adminiſtratores, non quòd aliqui fuerint, ſed quòd ita eſſe deberent, à celeberrimis tam Græcorum quàm Latinorum, necnon & vulgarium quarumcumque linguarum auctoribus deſcribuntur. Nihil enim talium de Califa Walido Almanzor, quamvis aliàs prudenti & forti ac fortunato principe, ceteri Mahometanarum rerum hiſtorici narrant. Et tamen Gallicæ nuper prodiit hæc Vita ex Hiſpanico à quodam F. d'Obeilch verſa, & anno MDCLXXI. Amſterodamenſibus typis edita, magna cum & exaggerata fidei commendatione ab interprete factâ.

Sequitur *Hiſpaniæ deſcriptio*, ſana quidem ut plurimùm ſibique ac vero conſona, ſed nec immunis eorum vadorum, in quibus hærent criticorum ingenia. Potuit quidem auctor à Iudæis, ſive eorum libris, aut potiùs è ſacris Bibliis, principium rerum & reparati poſt diluvium orbis res doceri. Atque eò magis non debuit, cùm de primis Hiſpaniæ incolis ſermonem habet, à biblicis hominum vocabulis divertere. At hoc facit, *Tubal* Noachi nepotem, *Sem Tofail* appellans [t]. Marianſon autem, qui Caſtellæ hodiernam provinciæ ditionem à Bætica, ſive ab hac Tarraconenſem veterem dividit, appellatum fuiſſe ait [u] tunc temporis à Chriſtianis incolis *Sierra Morena*, quod non eius temporis eſt vocabulum, ſed recentius & uſu introductum ad ſignificandum fuſcum Maurorum colorem. A Mauris enim *Moros* dicimus (quo nomine etiam ab Italis Æthiopes, quòd eo colore ſint, vocantur) & à *Moro morena* quamlibet rem decolorem & albo in contrarium colorem declinantem.

Quod ipſum cenſeo de *Mancha* [x] nomine, ſive Auſtralioris novæ Caſtellæ partis, quam ſic vocatam ab iiſdem incolis fuiſſe refert. De quo tamen ampliſſimi tractus vocabulo conſulendus magnus Surita in *Animadverſionibus & emendationibus* vulgari lingua ſcriptis *ad Chronica Regum Caſtellæ Petri, Henrici, Ioannis & alterius Henrici*, quæ Petrum Lupi de Ayala auctorem habent, ac nuper editæ ſunt. Iſti etiam Mariano Monti adverſus omnium, qui olim de eo loquuti ſunt, auctoritatem, incendium illud rivis argenti liquefacti ditiſſimum tribuit [y], quod nullus non illorum Pyrenæo adſcripſit. Latere inde ait

[s] Lib. *Hiſt. Valent.* cap.....

[t] Cap. 1.

[u] Cap. 1.

[x] Cap. 4.

[y] Cap. 3.

ait Guadianam fluvium, seu terrâ absorberi per milliarium CL. spatium, qui paulò plus viginti dumtaxat latet. Quem errorem vix potuit is, qui tot annis apud nos habitavit, admittere. Ridiculus tandem est quum tritici species quinque hodiernis nominibus, quasi iam olim in usu fuissent, non à seipso interpres sed quasi auctoris sui verbis loqueretur, appellat [z].

[z] Cap. 6.

Tertia & quarta pars sequitur alterius partis de Califa Aben Cirix, eiusque duce Mahometo Abdalazis, qui Africam & Hispaniam Dynastis Arabum denuò vendicavit, sibique tandem asseruit. Cui quidem contradicunt non solùm Arabicæ illius Califarum successionis historici Elmacinus, Abulfaraius, omnes alii, atque itidem Græcus Theophanes; sed qui inter nos de Arabico in Hispaniis dominatu, tyrannisque urbium, sive portionum totius regni, sine missione inter se belligerantibus, quicquam scripsere. Nullus enim Aben Cirixi Arabibus, nullus Abdelazizii nomine Hispanis præfuisse apud eos refertur, si demas illum ultimò dicti cognominem Musæ filium & ab eo in Hispania, dum reverteretur ad Walidum Califam Hispanici belli rationem redditurus pro se relictum; cuius Isidorus meminit Pacensis Episcopus ad annum Arabum XCIV. qui nempe, ut idem ait Isidorus, intra triennium occisus non potuit non diversus ab eo esse, qui ut in Hispaniam dux veniret deperditum Califarum imperium recuperaturus anno Arabum CXIV hoc est orbis redemti anno DCCXXXIV. teste ipso rei auctore Abulcacino, in mandatis habuit. Et tamen auctor noster Abdulazisio huic Egilonæ olim Roderici Regis coniugis matrimonium tribuit; non autem Musæ filio, ut Isidorus & alii rerum nostrarum Scriptores.

ABU NAZARUS PHATIHUS filius Chahan aut noster est, aut inter nos vixit; cuius rei documentum nobis idoneum præbet, quòd librum scripserit *De studiis populi Andalusiæ*, hoc est, *Hispanorum*, ut suprà notavimus: *qui liber rarò inter Arabes repertus à singulari usu commendatur: Eximium magni ingenii specimen.* Quæ verba sunt Io. Henrici Hottingeri in *Bibliothecarii* sui lib. 2. cap. 3. [a] quo post insertum huic capiti librum integrum ex Arabico Latinum Ioannis Leonis Africani *De Scriptoribus Arabicis*, specimen subiunxit aliorum eiusdem gentis Scriptorum à litera A incipientium, ex Iben seu Aben Chalicam, quem celeberrimum Arabum prosopographum vocat.

[a] Pag. 293.

Idem ait multa scripsisse Abu Nazarum, & in his *Syllogen poetarum Arabum* quos & doctè explicat. Hæc Hottingerus infelicissimus heterodoxus, quem insignis linguarum orientalium ac totius historicæ rei doctrina minimè defendit à miserrima sui ipsius ac ferè integræ familiæ in fluvio Rodano, dum patria urbe in Lugdunense gymnasium à Batavis evocatus iret, suffocatione.

Abu Nasaris itidem *Super physicam* librum extare in regia Escorialensi bibliotheca MS. notat Spizelius in *Specimine bibliothecæ universalis.*

ABU SAID HONEIN IBN IISHAQEL ABEDI, grammaticus, anno Hegiræ sive à fuga Muhamedis DCLVI. hoc est, redemti orbis MCCLXXVIII. sub Alphonsi Regis X. tempora Hispali apud nos (unde genti nostræ ex coniectura tantùm adiudicari potest) *Galeni Pergameni tractatus priores usque ad decimum libri De compositione simplicium medicamentorum* transtulit ex Græca in Arabicam linguam.

Item eiusdem Galeni quendam alium in *Hippocratem* librum seu libros Arabicè etiam vertit. Quæ duæ huius linguæ interpretationes exstant in regia Escorialensi bibliotheca, ut è *catalogo Castelli* apud Hottingerum in *bibliothecæ orientalis* appendice.

AHMED filius Muhamedis, Andalusenus *Demonstrationes de abneganda falsa religione* scripsit, quæ asservantur Arabicè in Lugduno-Batava bibliotheca inter libros Levini Warneri, ut ex eius catalogo docemur.

ALI ABEN RAGEL Toleti sub Almenone seu Hali-Menone Rege, Ferdinandi I. ætate [b], qui regnare cœpit in Castellanis anno undecimi sæculi secundo supra tricesimum, astrologico studio celebris, eoque libro vixit, quo posteris Apotelesmaticam sive iudiciariam astronomiam amantibus prodesse voluit.

[b] Marmol. lib. 2. *Hist. Afr.* cap. 29. Garibaius lib. 38. *Compend. hist. Hispan.*

Is dicitur *De iudiciis seu fatis stellarum* Venetiis editus ab Erhardo Radelz anno MCDLXXXV. & Basileæ apud Henricum Petri. Interpretatus quisnam fuerit ex Arabico, nondum legi. Hispanè etiam conversum fuisse ab anonymo, apud Petrum Alcozerium lib. 1. cap. 45. *Histor. Tolet.* legere est, & Garibaium lib. 38. cap. 2. Manuscriptum tamen exstare in codice 26. bibliothecæ Gabrielis Naudæi monet alicubi [c] Theophilus Spizelius. Cordubæ natum Morales

[c] In *Specim. biblioth. universal.* verb. *Aben-Ragel*, quod est pars operis, *De arcanis bibliothecarum detectis.*

[d] Fol. 113. tom. 2. *Histor. Hispan.*

les credidit in *Antiquitatibus Hispaniæ* [d]. Toletanum Petrus de Alcozer nuper laudatus. Est & in Ambrosiana cum aliis eiusdem operibus, ut audio.

ALI ALBUCAZEM Toletanus scripsisse dicitur *De astrologia iudiciaria.* Qui quidem liber, absque interpretis nomine, Latinè atque Hispanè, scripturâ, formâ & idiomate antiquis inter nos exstat; laudaruntque eum, qui certiores huius editionis facti sunt, D. Thomas Tamaius in *Collectione librorum Hispanorum*, & Petrus Alcozerius *Historiæ Toletanæ urbis* lib. 1. cap. 45. mentionem habentes. Floruisse dicitur eodem quo Ali Aben Ragel tempore, qui natus fuit anno CMLVI. si credimus Ioanni Baptistæ Ricciolo in *Chronici astronomorum* &c. par. 2. quod Chronicon *Almagesto* suo *novo* præmisit. Alius ab hoc videtur *Abul Cazimus* medicus, de quo videri Spizelius poterit in *Specimine bibliothecæ universalis.*

ALMEONEM Almanzoris (filium intelligo) eiusque *Observationem de maxima obliquitate signiferi*, quæ ad se perveniisset, laudat unum ex Hispanis, Ismael Bullialdus in Prolegom. ad *Astronomiam philolaicam*; vixisseque eum circa annum Christi MCL. affirmat.

ANONYMUS, qui Manzoris Granatæ Regis tempore vixisse refertur, in linguam Arabicam è Latino vertisse dicitur *Thesaurum agriculturæ.* Huius libri & operæ meminit Ioannes Leo Africanus in *Descriptione Africæ* lib. 1. cap. *Quos habeat Africæ aer* &c. pag. 80. *Multi sunt Africani rustici, qui cùm nunquam ne literas quidem norint, disertissimè tamen de rebus astrologicis disputant, rationibusque validissimis argumenta comprobant. Quicquid hac in re cognitionis habent, id ad illos è Latinis manavit fontibus: menses quoque ad eum quo Latini appellant modum. Exstat & penes eos ingens quoddam in tres divisum partes volumen* (Thesaurum agriculturæ *vocant*): *hic iis temporibus Latino in eorum linguam versus est, cum Mansor apud Granatas rerum potiretur.* Hæc Ioannes Leo. De quo autem Latini auctoris opere hunc *thesaurum* intelligat, non facilè dixerim.

ARABI, aliàs IBEN seu EBEN (quæ filium notant Arabicæ linguæ vocabula) ARABI Andalosenus cuius hæc laudantur opera: *De occulto rerum consensu.* Qui liber exstat in Leidensi bibliotheca, ut ex eius apparet catalogo [e].

[e] Pag. 292.

Et laudat Hottingerus *Smegmatis orientalis* seu *bibliothecæ*, lib. 3. par. 2. cap. 2. [f] *De inspiratione divina gemmæ scientiarum IBEN ARABI*, seu *de diversimodo divini numinis afflatu.* Quod opus exstare cum *Davidis Cæsareensis commentariis* idem affirmat Hottingerus dict. cap. 2. pag. 202.

[f] Pag. 248.

Exstatque inter libros Golii eidem academiæ donatos [g], *De sapientia inspirata.* Item *De dispositionibus divinis in constitutione imperii humani*; hoc est, *De providentia Dei*, aliàs *De divino rerum humanarum regimine*, ut in catal. Leid. quorum duorum idem auctor meminit ibidem. Theologica & philosophica hæc omnia, & quæ si sanè tractentur, communicari dignissima sint hominibus nostris, ut agnoscant non aliud his sectariis Muhammedis nisi Fidei lumen defuisse. In biblioth. autem Leidensis catalogo liber iste *De sapientia inspirata, Mohiddin Ibn-Arabi Hatemi Taji Andalusii* nomine inscriptus est [h].

[g] Pag. 290.

[h] Pag. 307.

Fortè cum his coincidunt iam laudatis huius operibus *Tebritii scholia in librum dictum Gemmam sapientiæ Ibn El Arabi, necnon & Tebritii commentaria in Jenol Arabi theologiam scholast.* quorum ut in eadem Leidensi biblioth. servatorum meminit eius catalog. [i] in qua & exstant Notæ Ibn Arabi in *poema mysticum Busiridæ Ægyptii* [k]. Necnon & *Abdi Aphendi commentaria in poema Ibnol Arabi & Taji El Hatemi El Andalousi* [l]. Nec fortè discedimus ab eodem auctore quum *Tajil Andalousii contra Sophos* librum *præcipuè in quæstionibus De Dei essentia*, ibidem exstantem [m] laudamus.

[i] Pag. 320. & 385.

[k] Pag. 308.

[l] Pag. 337.

[m] Pag. 384.

ARATIUS ABEN ZACHARIAS (si alius est ab *Abubecro Mahumed Aben Zacharia*, cuius aliàs meminimus) medicum quendam commentarium anno Mahometi DLXXV. exaravit; qui exstabat in bibliotheca Scorialensi.

ARFARACIDES, seu IBEN ARFARACIDES, *poemata* confecisse credendus est *De arte chimica*, siquidem in bibliotheca Lugduno-Batava inter libros à Golio eidem donatos exstant *Commentaria Eidemiri fil. Ali, fil. Eidemiri Gieldehæi in Ibn Arfaracidæ Andalusii poemata* De arte chimica *tribus voluminibus.*

ARZACHEL, sive ARZAHEL, aliis ABRAHAM EIZARAKEEL (quem omnes Hispanum vocant, & quidam Toletanum) duodecimo floruit sæculo, hoc est, uno super septuaginta annos prior Abrahamo Aben Esra, eo tempore quo librum scribebat cui titulus est: *Sepher Meaz Haganuth*, sive *liber astrologicus*, in cuius pri-

prima parte, seu libro cui *Reserth hochma* sive *Initium sapientiæ* inscripsit, neminem illo sæculo in observandis cæli motibus cum Arzachele comparandum fuisse ait, seque illo LXXI. annis posteriorem fatetur. Quod si ad annum Aben Esræ obitûs referas, cùm incertum sit quonam hic opus istud scripserit & annus ille obitûs, si auctori libri *Juchasim* credimus varias aliorum opiniones referenti, tandemque eorum approbanti qui ad annum mundi MMMMCMLIV. (id est, Christi MCXCIV.) eius mortem referunt, hoc anno contigerit; necessum, fateor, est Arzachelem ineunte isto duodecimo sæculo in vivis fuisse inter huius illustres astronomicâ doctrinâ viros præcipuo loco habitum. Nec disconvenit ætas ei à Ioanne Gerardo Vossio assignata, in *De scientiis mathematicis* cap. 35. §. 13. qui celebratum eum fuisse ait circa annum MLXXX. testimoniis usus Henrici Brucci & Iosephi Blancani, qui catalogos primus astrologorum, alter verò mathematicorum, confecere. Atque Aben Esræ maximi æstimandum esse testimonium huic exhibitum, cùm & ipse astronomus insignis fuerit (ut ex elogio eius in *Bibliotheca magna Rabbinica* R. Patris D. Iulii Bartholoccii Cistercienfis monachi Hebraicè doctissimi nostrique, dum Romæ simul conviveremus, amici, constat) nemo inficiabitur.

De obliquitate is *Zodiaci* quæ observavit, literis consignavit, & inter alia, (ut Vossius inquit) maximam solis declinationem tempore suo graduum XXIII. ac XXXIV. minutorum esse, Georgius autem Ioachimus Rheticus in præfatione ad suas *ephemeridas* hunc auctorem ait fuisse Toletanarum tabularum, & reliquisse observationes CCCCII. solares de constituendo solis apogæo, ut ex eo refert Ioannes Baptista Ricciolus in *Chronico astrologorum* &c. cum *Almagesto* eius edito. Quod si ad *Alphonsinas* (ut vocant) referas tabulas, resistit Alphonsi regis earum promotoris tempus, qui sæculo decimo tertio vixit, atque eo exeunte obiit. Nisi cum Gesnero in *Pandectis* [n] dicamus ex Albategnii & Arzachelis antiquioribus tabulis nunquam editis desumtas postea Toletanas fuisse: quod quidem circa Albategnianas verum & compertum sit dedisse Toletanis exemplar seu regulam, agnoscente eodem Ricciolo in Alphonsi mentione, de quo nos superiùs diximus eundem Regem laudantes. Nec de Arzachele resistimus, cùm & eius sub Zarchielis nomine tabulas in eo libro inseri Alphonsus iusserit, quo Albategnii canones in vulgarem linguam ex Arabico transferri olim fecit, de quo etiam eodem loco diximus.

[n] Tit. 6. *De astronomis* §. Tabulæ motuum fol. 92.

Nescio qua ratione motus Gesneri epitomator nostrum hunc *Archezel Albategni* vocet, cùm ab Albategno *De scientia stellarum* editi libri auctore statim distinguat: nisi deceptus fuerit duorum horum coniuncta alicubi mentione, quos unum eundemque esse existimavit.

AVERROES, ab aliis Arabicum nomen exprimere volentibus ABEN-RUST [o], sive ABEN-ROST [p], sive tandem ABEN-RAST [q], aut ABEN-RASD [r] audit. Nomen integrum ABUAL-WALID MOHUMMED EBEN AHCMED, EBEN MOHUMED, EBEN ROSHD, quod notat vir exquisitè doctus Thomas Reinesius epist. 15. ad Hofmannum. Ioannes Leo sic interpretatur [s]: *Averrois nomine proprio vocatus est Muhammed, cognomine Abul Guail. Averrois autem nomen proprium est primi huius domus. Rectum Arabicè est Ibnu Rosdin, quoniam Ibnu* (id est *Eben*, seu *Ebn*) *significat filium, & Rosdin nomen proprium significat* Rectum. *Inter Arabes quoque doctos vocatur Ibnu Rosdin Elhafidu, qui latinè interpretatur nepos, ad differentiam avi sui, qui eiusden nominis erat.* Patria ei Corduba urbs fuit summorum virorum altrix. *Iste autem* (prosequitur Leo) *natus erat in civitate Cordubæ & nobili quidem familia, cuius pater iudex & caput exstitit sacerdotum totius provinciæ & Bæticæ* (lego *Baticæ*) *& regni Valentiæ.*

[o] Ita Reuclinus lib. 1. *Cabalæ.*

[p] Raym. Martini in *Pugione Fidei sæpius.*

[q] Zacutus in *discursu proæm. ad veter. medicor. histor.*

[r] Apud Plantavitium in *Biblioth. Rabbin.* verbo *Aben-Rasd.*

[s] Dict. lib. *De Arabibus illustribus*, in Hottingeri *Bibliothecario* pag. 271.

De patria ipse auctor est lib. 2. *Colliget*, seu ita nuncupati operis, cap. 22. dum præfert aliis climatibus quintum, in quo hæc urbs sita est. Ambrosius Morales lib. 16. cap. 8. omnia eius testimonia, unde liquet id, quod natali de loco dicimus, collegit. In *paraphrasi ad Platonis Rempublicam* cùm dixisset [t] Platonem Græcos plurimùm naturâ habiles ad suscipiendam scientiam verè affirmâsse; adiungit Averroes hoc ipsum dici debere de propinquis Græciæ nationibus, necnon *de regione* (ait) *nostra Wandalia, Samia, atque Ægypto.* De avo autem & patre idem Leo: *Ita etiam avus eius maximus ac præstantissimus legista fuit & secundus* [u] *Malich* (hic fuit unus ex quatuor primarii iuris Mahummedanorum canonici interpretibus) *& theologus secundum Esciarim. Et quando populus Cordubæ re-*

[t] Tract. 1.

[u] Lego *secundum*, ut infrà, quum de nostro loquitur.

rebellis effectus est contra patrium [x] *principem & caput, qui terram more principis ac domini possidebat, avus Averrois legatus fuit ad Regem Marach* [y]*, ut ei terram traderet: qui honore ab ipso Rege affectus fuit, adeoque gratus, ut quicquid nomine communitatis suæ petierat à Rege, summâ gratiâ ei concessum fuerit à Rege prædicto; & ei duos magistratus largitus est, totius videlicet regni Cordubæ iudiciatum: atque sacerdotum caput in patriam suam cum honore ornatuque summo reversus est. Post longum verò tempus obiit: cuius filius in iudicem & sacerdotem maximum voce populi Cordubæ electus est, & Rex Marrochi eum confirmavit. Hic fuit pater Commentatoris* (nostri scilicet Averrois) *qui simplex legista exstitit. At ex sua praxi dati sunt ei magistratus prædicti, qui per multos annos vitam duxit lætam, & post huius mortem itidem filium eius in suprædictos magistratus elegit populus; quoniam hic tum legista, tum theologus magnus ac excellentissimus fuit, qui summam exercuit iustitiam.*

[x] Ita scripsit Hottingerus interpres, sive editor: sed rectius videtur *partium principem.*

[y] *Marroch.*

Quibus tamen præceptoribus ac libris usus fuerit, ut encyclopædiam assequeretur, iam audiamus; quos omnes eius magistros Cordubenses aut saltem Hispanos fuisse verosimilius est. *Legis scientiam à patre accepit, etiamque ab Alhadi Ibnu Handin, totumque compendium Schuum cum commentario sui avi. Sic etiam Moaltam de Melich cum commento Alhagi & etiam recepit scientiam Alchorani: artem* scilicet *lecturæ, ab excellenti magistro Soraih Lesahi, ab ipsoque audivit omnia opera Eldeni cum commento ipsius Maschari & Ibnu Hathiæ. Postea se theologiæ omnino dedit secundum Esciarim* [z]*, eamque scientiam recepit ab Ibnu Chalil theologo. Post quæ physicæ operam dedit; & omnes Aristotelis textus cum quodam commento brevi cuiusdam Abu Bacar Græci ab Ibnu Thophail, medicinamque ab Ibnu Zohar* (hic est Aben Zohar) *addidicit, astrologiamque & mathematicam ab Ibnu Saigh doctus: eoque universalis effectus est.* Hæc ille ex *Bætica historia* Ibnu El Habar, qui alius procul dubio est ex Mauro-Hispanis Scriptor historiæ huius suæ provinciæ. Sicut & avum Averrois in hunc album recipere debemus ob scriptum istum, qualis ille fuerit, *commentarium in compendium Schuum.*

[z] Vide infrà.

Adiungit idem El Habar alia de prudentia, patientia, liberalitate ac pietate, apud eundem Leonem. Item quòd fuerit pinguis carne, quantumvis parum comederet, hoc est semel in die ac nocte. Maiorem noctis partem vigilare solitum, legis libris ac philosophiæ intentum; quorum tædio si caperetur, poeseos ac historiæ libris delectatum fuisse; nunquam lusisse, nunquam inter vana ac inutilia tempus abire passum; benignum, omnibus gratum, poeticis auctoritatibus & iocis urbanis uti cum paribus consuevisse. *Legista* (infit Leo) *fuit secundum Malich, & theologus secundum Esciarim;* hoc est *secundum opinionem eius, ac secundum opinionem vocum imitabatur Aristotelem.* Sectas duas, Melchitarum & Ascharitarum, quæ alias inter in Muhammedismo prævalebant, significare voluit. Melchitæ ab auctore Melche Ibnu Ames. De his & *Aschariti*s Hottingerum consule in *Historia orientali* [a]. Similia dixit Leo, cùm de avo nostri loqueretur.

[a] Lib. 2. cap. 7. §. 2. & 5. pag. 551. & 559.

Accusatum deinde ait apud Mansorem Marochi, quòd hæreticus esset, operâ scilicet Aben Zohar iunioris, præceptoris eius filii, & post causam dictam condemnatum, honoribus spoliatum, & bonis multatum, aliquamdiu cum Iudæis in eorum vico, quasi exsilio deputatum, habitâsse. Marochum revocatum publicæque ignominiæ expositum, ac hæresi suæ renunciare coactum fuisse. Dimissus inde, in *Fes* urbem rediit, abhinc Cordubam, donec populis omnibus conquerentibus de ignorantia eius, qui in locum nostri iudicem exercere iussus fuerat, magno omnium consensu Marochum è patria evocatus à Rege, suoque muneri ac bonis fuit restitutus. Qua dignitate mactus, in eadem Marochensi urbe usque ad obitûs diem permansit. Hæc ferè ex Leone & El Habar.

Docuisse eum in academia Marochiana, auspiciis Iacobi III. ex Almohadis, qui Almoravidas è regno deiecerant, observavit Reinesius [b]. Sed Aben Iacob secundus Almohadum, non tertius fuit, filius Abdelmonis, ex ea stirpe primi [c]. Successerat hic patri ante annum MCLXXVII. quo anno in ditionem venisse Alphonsi Castellæ Regis VIII. Concham urbem, qui Iacobo huic parebat, historiæ nostræ docent [d]. At hunc ipsum in Lusitania MCLXXXIV. lethaliter vulneratum, & Tago flumine haustum, ex iisdem novimus [e]. Hi nimirum constituendi sunt fines Averrois professioni Marochianæ, si ea fuit sub Aben Iacobo: circa enim hoc tempus eum in vivis esse id confirmat, quòd in *paraphrasi super libros Platonis De republica* terræ motus meminerit, quem contigisse ait se vivo anno MCLXVI.

[b] Epist. 15. ad Hofmann.

[c] Roderic. Tolet. *Hist. Hispan.* lib. 7. cap. 10.

[d] Mariana lib. 11. cap. 14.

[e] Mariana lib. 11. cap. 16.

Duos item filios Averrois in aula Frederici Imperatoris (ſecundi ſcilicet huius nominis, non Barbaroſſæ cognominati, qui primus fuit, in quo plures auctorem huius rei laudantes falluntur & fallunt) verſatos fuiſſe, ſcriptis conſignavit [f] Ægidius Columna, ſive Romanus. Nam hunc Fredericum tempore ſuo mortem obiiſſe ait, quod verum eſt: nam cœpit anno MCCXIX. abſolvit imperium MCCL. cùm ante triennium Ægidius in lucem editus fuiſſet [g].

Id mihi confirmat Averroem ad hoc uſque ſæculum XIII. vixiſſe, non verò diem ſuum obiiſſe ſuperioris anno nonageſimo octavo, ſive Egiræ DXCV. quod ait Reineſius [h]. Vix enim potuit, quinquaginta ferè annos ante ortum Ægidii Romani demortuus, reliquiſſe filios, quos ille in Frederici aula cognoſcere poſſet. Et quidem Averroes ipſe fatetur in fine libri hoc anno MCXCVIII. ſe paraphraſin in Ariſtotelem *De partibus & generatione animalium* abſolviſſe. Ioannes quidem Leo, qui veteres Arabicorum ſapientum hiſtoricos conſulebat, hæc ait de Averrois morte: *Poſtremò mortuus eſt Averrois in civitate Marochi, & fuit ſepultus extra portam coriariorum, tempore Mahumedis Manzoris Pontificis ac Regis anno ſexcenteſimo tertio de Egira.* Mahumedus iſte quartus eſt Almoadum Rex filius Aben Ioſephi, qui ſucceſſit fratri Aben Iacobo, & uterque Abdelmonis eius generis primi filius fuit.

Inquiramus ergo, ut quo tempore noſter obierit auctor inde palam fiat, in Mahumedis huius regni initium. Rodericus Toletanus ait: *Poſt hæc mortuo Abdelmuno, filius eius Aben Iacob ſucceſſit in regno, qui in Hiſpanias veniens, à quodam Chriſtiano occiſus fuit in Portugallia* (diximus id contigiſſe an. MCLXXXIV.) *cui ſucceſſit frater eius Aben Ioſeph, qui in bello Alarcurris repulit Chriſtianos.* Infelix hoc prœlium patratum fuit anno MCXCV. [i] ſed aliquot deinde annis ſupervixiſſe ex eo videtur, quod anno ferè MCC. [k] eum adierit Marochi degentem Sancius Navarræ Rex, cognomento *Fortis*, eo animo, ut ad bellum Caſtellæ Regi Alphonſo, moleſtiſſimo ſibi per id tempus hoſti, contra icti fœderis leges, inferendum impelleret. Sæculum ergo abſolvit adhuc ſuperſtes Aben Ioſephus, *quo mortuo* (Rodericus proſequitur) *ſucceſſit ei filius ejus Aben Mahomed, qui in Navis Toloſæ ab Aldefonſo Rege nobili* (anno ſcilicet MCCX.) *fuit victus. Quæ victoria diſceſſionis & exterminii Almohadum cauſam dedit.* Hæc ille.

Annus verò Egiræ ſexcenteſimus tertius, quo Leo ait Averroem obiiſſe, ſi Calviſio [l] & Labbeo [m] credimus, ſæculi huius ſextus erit, ut mittamus Hottingerum (niſi error ſit ſcripturæ) qui viceſimum quintum aſſignavit. Planè convenit Calviſii computo cum tabella illa quam in *Chronologica* ſua *iſagoge* [n], ad dignoſcendos & cum Chriſtianis conferendos Egiræ annos, idem Calviſius dedit, & cum Mahumedis regni, cuius tempore vitâ functus Averroes fuit, ratione.

Riſu quidem excipiendus venit, & excipitur quidem à Ioanne Pico Mirandulano [o], Petrus Aponenſis, dictus *Conciliator* (de quo cenſionem conſulas Pauli Langii in *Chronico Citizenſi* [p]) qui in ſecundum *De cælo* librum Ariſtotelis, anno Chriſti CL. Averroem floruiſſe ſcribere non erubuit [q].

Circa doctrinam verò & opera, quò iam deveniendum eſt, propter excellentiam in philoſophia luſtratumque totum Ariſtotelem vel commentario vel paraphraſi Arabica, *Commentatoris* nomen obtinuit. Super quo tamen præſtat Ioannem Ludovicum Vivem lib. 5. *De cauſis corruptæ eloquentiæ* audire, de Averroe cenſentem: *Homo qui in Ariſtotele enarrando nihil minus explicat, quàm eum ipſum, quem ſuſcipit declarandum. Sed nec potuiſſet explicare, etiam ſi divino fuiſſet ingenio, cùm eſſet humano, & quidem intra mediocritatem. Nam quid tandem adferebat, quò in Ariſtotele enarrando poſſet eſſe probè inſtructus? Non cognitionem veteris memoriæ, non ſcientiam placitorum priſcæ diſciplinæ & intelligentiam ſectarum, quibus Ariſtoteles paſſim ſcatet. Itaque videas eum peſſimè philoſophos omnes antiquos citare, ut qui nullum unquam legerit, ignarus Græcitatis ac Latinitatis. Pro Polo Ptolemæum ponit; pro Protagora Pythagoram; pro Cratylo Democritum; libros Platonis titulis ridiculis inſcribit, & ita de his loquitur, ut vel cœco perſpicuum ſit, literam in iis eum legiſſe nullam. At quàm confidenter audet pronunciare hoc aut illud ab eis dici, &, quod impudentius eſt, non dici, cùm ſolos viderit Alexandrum, Themiſtium & Nicolaum Damaſcenum, & hos, ut apparet, verſos in Arabicum perverſiſſimè ac corruptiſſimè? Citat enim eos nonnunquam & contradicit, & cum eis rixatur, ut nec ipſe quidem qui ſcripſit, intelligat. Ariſtotelem verò quomodo legit? non in ſua origine purum & integrum, non in Latinam lacunam derivatum (non enim potuit linguarum expers) ſed de Latino in Arabicum tranſvaſatum; in qua tranſfuſione ex Græcis bonis facta ſunt Latina non bona; ex Latinis verò malis Arabica peſſima.* Hæc Vives doctè & nervosè.

In medica autem arte non æquè ut in philoſophia præſtantem fuiſſe, medicorum filii quidam cenſent. Theoreticum alii veriùs quam practicum vocant. Non ſic è noviorum claſſe Zacutus Luſitanus, vir doctrinæ exquiſitæ & elegantis, cuius hæc ſunt [r]: *Averroes pluſquam commentator, ſeu malleus medicorum veriùs appellandus, dictus Arabicè Aben-Raſt, vir acutiſſimus, ſubtiliſſimus & philoſophiæ ſcientiâ clarus; adeò ut priſcorum philoſophorum & medicorum dicta exacto examine non ſolùm ad Ariſtophanis, ſed ad Cleantis lucernam penſata explicuerit. Conſtat hoc apertè ex vaſto illo, quod ſuper omnia Ariſtotelis opera conſcripſit, volumine ingenioſiſſimo & laborioſiſſimo, ſed ob temporis tunc iniuriam ineleganter admodum traducto. Scripſit opus* Colliget (*Latinè ſonat* univerſale) *in ſeptem diſtinctum libros, in quibus ſummam eruditionem, rarum ingenium, reconditamque doctrinam palam fecit.*

Diſtinguunt alii, uti diximus, in philoſophia primas ferè ei concedentes. Petrus Caſtellanus [s] *diſputatorem ſubtiliſſimum;* Amatus Luſitanus [t] *philoſophum poſt Ariſtotelem admirandum;* Ioannes Bruierinus [u], *poſt Ariſtotelem ſummum philoſophum,* qui & adiungit: *& poſt Galenum medicum ſummum.* Iacobus quoque Mantinus interpres multorum noſtri operum: *Nam ut rerum naturalium* (ait [x]) *cognitionem ſine Ariſtotele adipiſci difficile eſt; ita Ariſtotelem ſine Averroe profiteri, meo quidem iudicio, non valdè eſt probabile.* Ioannes Picus Mirandulanus: *Celebrem in Ariſtotelica familia philoſophum & rerum naturalium gravem æſtimatorem appellat* [y]. Qui & alibi [z] ſoliditatem ei doctrinæ diſertè magis attribuit: *Eſt apud Arabes* (ait) *in Averroe firmum, & inconcuſſum in Aben Pace, in Alpharabio grave & meditatum, in Avicena divinum atque Platonicum. Idem tamen* (quem laudavimus) Amatus vocat *inſignem philoſophum; non adeò tamen in medicina excellentem, ut illi auctoritatem* (ait) *dare debemus.* Item Averrois fidem non multum valere apud medicinæ ſectatores, niſi in quantum Hippocratis aut Galeni teſtimoniis utitur, quidam alii cenſent.

Propter aliquos tamen magnos eius errores adverſus Chriſtianam philoſophiam atque theologiam commiſſos, petiiſ-

[f] Quodlib. 2. quæſt. 20.

[g] Philip. Elſius in *Encomiaſtico Auguſtino.* Malè Mirandulanus, qui MCCLXXX. obiiſſe ait lib. 3. *De rerum præn.* cap. 4.

[h] In Voſſii *De philoſophia* cap. 14. magnus error in Barbaroſſæ ætate ſubrepſit.

[i] Marian. lib. 11. cap. 18.

[k] Idem lib. 11. cap. 20. Garibay lib. 24. cap. 11.

[l] In *Chron. opere* anno MCCVI.

[m] In *Concord. Chronol.* 1. par. *Technicæ* eod. anno.

[n] Cap. 13. pag. 95.

[o] *De part. præn.* lib. 3. c. 4.

[p] Pag. 829. inter *German. rerum Scriptor.* tom. 1.

[q] In *Conciliatore* diffra. 9.

[r] In *Diſcurſu præamiali ad veteres medicorum hiſtorias.*

[s] *De vitis medicorum.*

[t] *Centur.* 4. *curat.* 44. in ſcholiis.

[u] In præfat. ad *interpretat. collectan.* Averrois *De re medica.*

[x] In dicta *præfat.* libror. *De part. & generat. animal.* ad Leonem X.

[y] Lib. 1. *Adverſus aſtrologos.*

[z] In *Apologia.*

ſe olim Raymundus Lullus dicitur à Clemente Papa V. tentatâ etiam Philippi Pulcri Galliarum Regis interpoſitione, quod precibus ac ſupplicibus libellis, & conſcripto ea re ſuper libello fecit, ut Averrois in Ariſtotelem commentarii proſcriberentur, atque igni ſubiicerentur. Negat autem Carolus Bovillus in Vita Lulli, quem huiuſce rei auctorem habemus, quicquam vel à Papa vel à Rege impetrare circa id potuiſſe. Unà etenim cum Ariſtotele, quem poſt Petri Lombardi theologorum ſcholaſticorum anteſignani perpetuum de philoſopho iſto ſilentium, Albertus Magnus (ut creditur) in ſcholam Pariſienſem, diſcipulique eius in alias, primi invexerunt, increbuit apud omnes Commentatoris eius, hoc eſt Averrois, fama; adeò ut, quemadmodum Melchior Canus lib. 10. *Locorum theologicorum* cap. 5. de tempore ſuo loquens ait: *Superiore ſæculo, & paucis anterioribus oraculi loco eſſet Averroes in ſcholis, & præſertim in Italia, quæ occaſio fuit magnorum in illis oris errorum & inutilis diligentiæ, quâ aliqui non minus in pervoluntando Averroe collocabant operæ, quàm in ſacris literis ponunt qui his maximè delectantur. Nunc Averroes* (ſubiungit) *in ſcholis omnino iacet.* Nempe ut Mahommedanus plura circa divina falſò docuit. Quare *procaciſſimum* Chriſtianorum *adverſariorum* Ioannes eum vocavit Gerſon [a].

Huius errores multi obſervaverunt & impugnaverunt [b]. Ambroſius ſanè Leo Nolanus ſuperiore ſæculo ſat grandi volumine caſtigationes adverſus eundem Leoni X. Pontifici nuncupavit. Iſidorus quoque Iſolanus diſcipulis & ſectæ eius bellum intulit, in Averroiſtas *De æternitate mundi* libris quatuor diſputans, Lugduni editus apud Carolum Pernot an. MDLXXXII. in 4°.

Opera autem Averrois, quæ pars ſunt philoſophica, pars medica, continentur poſt alias in editione Veneta operum Ariſtotelis, quæ ex officina Iuntarum MDLXII. prodiit in 8°. undecim ſeu potiùs quatuordecim voluminibus, cùm primum in tres, ſextum in duas dividatur partes cum hoc titulo: *Ariſtotelis omnia quæ exſtant opera ſelectis tranſlationibus* &c. *Averrois Cordubenſis in ea opera omnes, qui ad hæc uſque tempora pervenere, commentarii. Nonnulli etiam illius in logica, philoſophia & medicina, cum Levi Gerſonidis in libros logicos annotationibus, quorum plurimi ſunt à Iacobo*

[a] Tract. 9. *ſuper Magnificat.* tom. 3. operum fol 457.

[b] Bern. Lutſemb. in *Catal. hæretic.* verbo: *Averrois.* Iacob. Gaddius *De Scriptor. non Eccleſiaſticis* tom. 1.

Mantino in Latinum conversi; Græcorum, Arabum & Latinorum lucubrationes quædam ad hoc opus pertinentes. Marci Antonii Zimaræ philosophi in Aristotelis & Averrois dicta in philosophia contradictionum solutiones propriis locis annexæ. Bernardini Tomitani, logici atque philosophi præstantissimi, in Aristotelis & Averrois dicta in primo libro Posteriorum resolut. Contradictionum solutiones, necnon eiusdem libri locorum, qui obscuriores habentur, conversiones & animadversiones in Averroem. Quæsita demonstrativa argumenta, & magnorum commentariorum graviores sententiæ certo ordine collectæ. Quæ omnia ex eiusdem Tomitani lectionibus excerpta fuere. Item eiusdem Zimaræ tabula, quæ undecimo toto volumine continetur.

Integram ostendimus faciem editionis, ut in unicum conspectum veniret quicquid ea comprehendit, singulas eius partes deinde repræsentaturi. Nempe Aristotelem continua paraphrasi seu commentario illustrare, & Arabibus philosophis in ducem & principem commendare, animo concepit Averroes, & voto functus fuit, cùm Avicena ante eum, potiùs quàm in aliorum, in Platonis doctrina sibi placuisset [c]. Immo inter Latinos ipsos iam Latinè sonans non mediocri augmento Aristotelis nomen & famam decoravit. Eius quidem Aristotelis, quem Græcorum censebat sapientissimum, invenisseque eum non modò, sed & complevisse logicam, physicam & metaphysicam artes, alicubi reliquit scriptum, his verbis usus, quæ habemus à barbaro interprete: *Invenit. Quia quicquid invenitur scriptum ab antiquis in hac scientia, non est dignum quòd sit pars artis huius, nec ambiguitas eius, nec dum quòd principia essent. Complevit. Quia nullus eorum, qui sequuti sunt eum usque ad hoc tempus, quod est mille & quingentorum annorum* (scribebat ergo hæc anno MCLXXVIII. Aristoteles enim obiisse dicitur anno ante Christum natum CCCXXII.) *nihil addidit, nec invenit in eius verbis errorem alicuius quantitatis.* In quibus prævaricationis & incongruæ præsumtionis sæpe arguitur à Ioanne Pico Mirandulano [d]. Hic nimirum mos fuit sectatorum alicuius scholæ, ut scientiæ illius originem sectæ suæ principibus tribuerent: quod Averrois, qui hisce verbis Aristotelem, & Lucretii qui Epicurum, sapientiæ inventorem appellant, exemplis vir doctissimus Petrus Gassendus in libro prooemiali *De philosophia universè* cap. 3. [e] confirmat.

[c] Io. Picus Mirand. in *Exam. doctrinæ gentium* lib. 1. cap. 2.

[d] *De stud. philosoph.* lib. 2. cap. 3. & in *Exam. vanit. doctrinæ gentium* lib. 4. cap. 2 & 5. in fin. & lib. 6. c. 12.

Prodiisse primùm hæc omnia *Commentaria in Aristotelem* Averrois anno MD. Venetiis in folio, alicubi legimus. Immo & omnia Averrois opera etiam Venetiis ex eadem Iuntarum officina anno MDLIII. in folio sex voluminibus. Quam editionem non vidimus. Interpretatio scilicet aliqua præcesserat Græci textus philosophi in Arabicum, quâ usus fuit Averroes. Qualis illa fuit omnium Galeni operum ab Albategnio facta, Ioanne Serapione teste [f]. Quomodo & Platonem, Ptolemæum, Hippocratem, Euclidem, alios è Græca origine in linguam istam translatos habuere, nimirum à Chanin Ibn Isaac Hebræo medico, quem transtulisse in Arabicum philosophiam Græcam, scriptum reliquisse Abn Walid Mahumed Ben Shecina, historicum adhuc inedit., Ioannes Seldenus notavit *ad Eutichii origines* [g]; sive aliis, qui nostrum hoc sæculum, de quo agimus, præcesserunt. Nam Averroem Græcè nesciisse communis doctorum hominum persuasio est [h].

[e] Tom. 1. eius oper. pag. 7.

[f] Volaterranus lib. 21. *Comment.* pag. 494.

[g] Pag. 157.

[h] Voss. *De philosoph. sectis* cap. 17. §. 19. post. 10. Picus Mirand. ubi suprà lib. 4. cap. 5. in fine.

At hunc eius commentarium Hebræi suum fecere incerto interprete: quam interpretationem penes Ioannem Plantavitium fuisse Lodovensem Episcopum, ex eius *Bibliotheca Rabbinica* notum habemus. Latinam quoque versionem antiquam facilè fieri potuisse in Hispania, cùm Alphonsus Rex X. Castellæ, cognomento *Sapiens*, rerum potiretur aut in Gallia, eò ex Hispania ductis Arabibus exemplis, Ioannes Picus Mirandulanus observavit [i]. Hæc tamen eius temporis, sive alia, quæ ad nos pervenit, & cultiora Latinitatis sæcula, iure quidem optimo arguitur inelegantiæ à Zacuto.

[i] Ubi suprà lib. 4. cap. 2.

Vix autem aliquos Arabici textus Averrois codices in Europa reperiri Scaliger putabat, solamque conversionem ab Armengaudo Blasii, Iacobo Mantino, Ioanne Francisco Burana, Abrahamo de Balmis, Vitale Nisso, Calo Calonymo, Ioanne Bruierino Campegio, Paulo Israelita, aliisque, adornatam in lucem venisse. *At ego* (ait Pet. Daniel Huetius *De interpretatione* lib. 2. id referens) *his versavi manibus Averrois librum ex oriente huc olim à Postello devectum, quod miror Scaligerum fugisse, Postello olim amicitiâ & literaria consuetudine coniunctum. Eo libro continentur in logicam, rhetoricam & poeticam commentaria, quæ ad Iacobi Mantini & Abrahami de Balmis interpretationem à me expensa, fidem eorum & artem apertè mihi comprobârunt.* Hucusque Huetius.

Ne-

Neque annotatu indignum est aut inutile, ante Averroem positam fuisse ab aliquo alio eiusdem sectæ ac linguæ operam in explanando Aristotele. Ab hoc enim nostro Averroe distingui necessariò debet is, quem Alsheich Abu Ali nomine laudatum reperies in epistola Abi Jaafar Ebn Tophail de Hai Ebn Zokdhan, quam *philosophi autodidacti* vocabulo inscriptam, & à se in Latinum conversam, Eduardus Pocockius edidit: cuius epistolæ in laudati Tophail elogio pleniùs meminimus. Unde verba hæc exscripsimus (ex pag. 19.): *Quod autem ad libros Aristotelis, quorum vicem nobis supplet Alsheich Abu Ali in sua eorum explicatione, sectam eius sequutus, & philosophiæ eius viâ incedens Alshepha* (id est *sufficientia*) *cuius initio* &c. Nam præterquam quòd nulli ex nominibus, quibus dictum fuisse Averroem supra diximus, conveniat hoc nomen hominis; Averroes verè inferior ætate fuit, quàm ut eum potuerit famâ iam ex suis scriptis clarum Jaafarus Ebn Tophail laudare, qui (uti dicitur) Averrois præceptor fuit in medicina, Ioanne Leone referente superiùs memorato. Nunc autem iam persequemur editionis Venetæ omnia volumina, quænam Averrois opera, & ad eum pertinentia in singulis continentur, annotantes; adiunctis quæ circa unumquodque eorum aliàs observavimus.

In primi voluminis prima parte hæc habentur.

I. *Averrois in Porphyrium, in Prædicamenta, & in librum* De interpretatione *commentaria, à Iacobo Mantino in Latinum conversa.* Hebraicè hæc pars versa dicitur à R. Iacobo Antoli anno MCCXXXII. Quæ translatio exstat in bibliotheca Cæsarea Viennensi, ut in Commentariorum de eadem lib. 1. [k] Petrus Lambecius refert.

[k] Pag. 183.

II. *Expositio media in libros Priorum, Ioanne Francisco Burana Veronensi, qui ex Hebraico transtulit*, non ex Arabico. Editam hanc seorsum vidimus in bibliotheca Hispalensis Ecclesiæ, quæ fuit Ferdinandi Coloni, magni Christophori Columbi, ut vocant, filii. Averrois *Quæstiones in libros Priorum.* Interprete Helia Iudæo, in Vaticana adservantur cod. 4552. eædemque in Colonæa.

III. *Levi Gersonidis in Porphyrium, in Prædicamenta Aristotelis, in lib.* De interpretatione, *& in Averroem annotationes.*

In secunda parte.

I. *Expositio magna, sive magna commentaria Averrois in Posteriorum resolutionum libros ab Abrahamo de Balmis, à Ioanne Francisco Burana, & à Iacobo Mantino Hebræo philosopho in Latinum conversa.* Scipio Florillus, medicus ac philosophus Neapolitanus, *expositionem* edidit *prologi Averrois super hos libros Posteriorum*, Neapoli MDLXXIV. in 4.° Immo & aliam Ioannes Franciscus Longus, quem Florillus ipse præceptorem, ac ætatis suæ philosophum eminentissimum vocat, & ipse Neapolitanus, publicaverat ibidem apud Raymundum Amatum MDLXX. in fol.

II. *Epitome in libros logicæ Aristotelis, Abrahamo de Balmis interprete.*

III. *Quæsita varia in logica iuxta ordinem librorum logicæ, eodem interprete.*

IV. *Epistola una, eodem interprete.*

In tertia primi voluminis parte.

I. *Expositio in* VIII. *libros Topicorum, Abrahamo de Balmis interprete; cui annexa est illa super quatuor primos libros à Mantino facta versio, quam morte occupatus absolvere non potuit.*

II. *Expositio in libros Elenchorum, eodem Abrahamo interprete.*

Planè in logicam hi omnes ferè sunt commentarii, in quos elucidatio exstat Levi Ben Gerson MS. in bibliotheca Leidensis academiæ. Et Hebraica editio *universæ rei logicæ Aristotelis ex compendiis Averrois* prodiit Rivæ de Trento anno MDLX. in 8.°

In secundo autem volumine.

I. *Paraphrasis in libros tres Rhetoricorum, interp. Abrahamo de Balmis.* Aliàs dicitur interpres Antonius Maioranus. Hebraica versio R. Todros in bibliotheca Cæsarea, in qua absolutum opus dicit ab Averroe anno MCXCII. ab interprete anno MCCCXXXVII. ut notat Lambecius [l].

[l] Dict. lib. 1. pag. 182.

II. *Paraphrasis in lib. Poeticæ, Iacobo Mantino interprete.* Hebraicè in eadem Cæsarea bibliotheca. Latinè prodiit Venetiis MDLII.

In tertio volumine.

I. *In libros* X. *Moralium Nicomachæorum expositio, interprete Ioanne Bernardo Feliciano.* Prodiit olim Venetiis anno MDVIII. in folio.

II. *Paraphrasis in libros Platonis* De republica, *Iacobo Mantino interprete.* Quæ primùm prodiit Latina Romæ ex of-

officina fratrum Brixianorum, Paulo III. Pont. Max. ab eodem Mantino nuncupata anno MDXXXIX in 8°. Edita inde fuit unà cum Franciſci Philelphi *De morali diſciplina*, & Franciſci Robortelli in libros *Politicorum* Ariſtotelis Venet. MDLII. in 4.° à Gualtero Schoto. Nempe quia nondum viderat, ut fatetur ipſe Averroes [m], Ariſtotelis *Politica*, ne hæc pars deeſſet applicuit operam ei illuſtrandæ ex Platonis doctrina, cui quidem aliqua interſerit de moribus Arabicæ ſuæ reipublicæ. Hebraicam fecit hanc paraphraſin R. Samuel Iehuda, quæ ſervatur in bibliotheca Cæſarea [n]. In *ethica & politica commentarium*, quem ad hæc duo opera referimus, Lugduni prodiiſſe legimus anno MDXXX. aliàs *Epitome* vocatur in tranſlatione in Hebraicum ex Arabico facta à R. Ioſepho Ben Caſpi, qui huic verſioni finem impoſuit anno MCCCXXX. ſicut Averroes anno MCXCIV. ut Lambecius notat [o].

[m] Fere in principio.

[n] Lambec. lib 1. Commen. pag. 181.

[o] Dict. lib. 1. pag. 181.

In quarto volumine.

I. *In De phyſico auditu libros* VIII. *antea quidem difficillimus, nunc ad maximam redactus claritatem, commentarius tum ex Mantini nova tranſlatione, tum ex antiqua caſtigatiſſima.* Vidimus editum olim Gothico charactere, ſine loci aut temporis aliqua nota, à Marco Antonio Zimara Sancti-Petrinatæ Hydruntino, unà cum *De cælo & mundo*, de quo poſtea. Hebraicè eſt in bibliotheca Cæſarea [p]. Editionem hanc Hebraicam Rivæ de Trento habet etiam bibliotheca Bodleiana anni MDLXXX. in 8.° Laudatur Petri Feltri *Expoſitio proœmii* Averrois in *phyſicam*. Commentarius in Ariſtotelis *phyſicam* Latinè cum explanatione Auguſtini Niphi Venetiis prodiit anno MDLXIX. in folio.

[p] Lambec. d. lib. 1. pag. 180.

II. *Expoſitio media ſuper tres primos libros*, Iacobo Mantino interprete, qui quinque ſuper reliquos morte præventus intactam reliquit.

In quinto volumine.

I. *In libros de cælo commentarii Averrois.* Hi cum libris *De generatione & corruptione* prodierunt Venetiis MDVII. folio. *De cælo & mundo* Mediolani MDXI. folio.

II. *Paraphraſis in eoſdem, Paulo Iſraelita interprete.* Prodiit olim cum titulo: *In libros de cælo & mundo cum Averroe & Zimara* Lugduni MDXXIX. in 8.° Arabicum exemplar in Eſcorialenſi regia bibliotheca reperitur. In librum 2. *De cælo* commentario 3. ne id omittam, meminit auctor duarum columnarum Herculis, quas *idola* vocat, in ultimo Hiſpaniæ occidenti, Gadibus ſcilicet, unamque earum quæ dicebatur [q] *Idolum Indiæ*, ſeſe adhuc elevatam vidiſſe. *Deinde* (ait) *fuit corruptum in prœlio, quod crevit inter barbaros & homines illius inſulæ in anno DXXX. à prædicatione Mahometi, à quibuſdam ſe erigentibus ſuper illas regiones maris in illo tempore.* Hæc ille.

[q] Mirum eo tempore, quo latebat India utraque, & quaſi prædictio inventionis eius Indiæ, quæ ad occidentem plus ultra has columnas nondum nota erat.

III. *In libros* De generatione & corruptione *expoſitio*, cum *De cælo & mundo*, Venetiis olim ut ſuprà.

IV. *In eoſdem paraphraſis, Vitale Niſſo interprete.* Ex Arabico in Hebræum tranſlatio R. Moyſis Tabon Ben R. Samuel exſtat in Bibliotheca Cæſarea [r].

[r] Lambec. d. lib. 1. pag. 178.

V. *In libros Meteorologicorum expoſitio media.* Hæc antea prodierat ſeorſum cum expoſitione Ioan. Bapt. Confalonerii anno MDXXXV. Hebraica interpretatio Eliæ Iudæi Cretenſis exſtat in Vaticana in folio cod. 4550. ſive potiùs ex Hebraico in Latinum tranſlatio laudati Eliæ. Prodiit namque ea Venetiis anno MCDLXXXVIII. ex bibliotheca Bodleiana.

In ſexti voluminis prima parte.

I. *Paraphraſis in libros* IV. De partibus animalium, *Iacobo Mantino interprete.*

II. *Commentarii in tres libros* De anima.

III. *Commentum quintum libri tertii De anima*, ultra antiquam tranſlationem à Mantino Latinitate donatum.

IV. *Triceſimum ſextum etiam commentum eiuſdem libri ab eodem tranſlatum, quod priùs vix intelligi poterat, cum titulo Digreſſionum Averrois in tres libros de anima*, unà cum Zimara, editio Veneta proſtat anni MDXXX. in 8.° & alia MDXL. etiam in 8.° Hebraica tranſlatio in bibliotheca Cæſarea [s].

[s] Lambec. d. lib. 1. pag. 178.

In ſexti voluminis altera parte.

I. *Paraphraſis in librum* de ſenſu & ſenſibili.

II. *In librum* De memoria & reminiſcentia.

III. *In libros* De ſomno & vigilia, De ſomniis, De revelatione per ſomnium.

IV. *In libros* V. De generatione animalium. Hanc in hos libros, & in quatuor alios *De partibus animalium* à ſe in Latinum converſam edidit Mantinus ipſe Romæ anno MDXXI. in folio, unà cum

cum epiſtola eiuſdem Averrois *De connexione intellectûs*. Quam paraphraſin ille *brevem, ſed divinam*, vocat.

V. *In librum* De longitudine & brevitate vitæ.

In ſeptimo volumine nihil.
In octavo volumine.

I. *In metaphyſicorum libros* XIV. *commentarii.* Item

II. *Proœmium in* 12. *librum, antea quidem à Paulo Iſraelita, nunc verò à Mantino in Latinum converſa.*

III. *Epitome eiuſdem in metaphyſicæ libros.* Prodiit fortè prima ex Ariſtotelis operibus *Metaphyſica* Averroe interprete, ut notat Philippus Labbeus [t], anno MCDLXXIII. Vidimus nos textum hunc *Metaphyſicæ* cum Averrois commentario Venetiis editæ Iacobo Mantino interprete, Bononiæ MDXXIII. ubi ſignate dicitur Mantinus Dertuſenſis & Hebræus medicus ab hæredibus Octaviani Schoti MDVIII. in fol. Iterum Lugduni MDXLII in 8.° neſcio an integra Commentaria, an Epitome. In Vaticano codice MMMMDL. inter MSS. exſtat Latina *Eliæ Iudæi interpretatio in primum librum Metaphyſicorum.*

[t] In *Biblioth. nova* pag. 338.

In nono volumine.

I. *Averrois ſermo* De ſubſtantia orbis, *caſtigatus, ac duobus capitulis auctus; ab Abrahamo de Balmis Hebræo Latinitate donatus.* Prodiit ſeorſum Venetiis MDL. Ad hunc librum, cùm Antonius Maſſa Braſſavolus, ut in Geſneri epitome legimus, tum Nicolaus Vittigozius patricius Raguſinus, unà cum in eiuſdem Averrois propoſitiones *De cauſis*, Venetiis apud Bernardum Iuntam MDLXXX. in 4.° Ibidemque eodem anno Nicolaus Riſſus Gallus, Tiberius item Bacilerius Bononienſis, cum aliis eiuſdem in Ariſtotelem Papiæ MDVIII. in fol. & Ioannes de Ianduno Gandavenſis *Expoſitionem*, atque item *Quæſtiones*, Venetiis apud Lucantonium Iuntam MDLI. fol. cum aliis operibus, & forſan antea ibidem apud Octavianum Schotum, necnon Auguſtinus Niphus Sueſſanus, eodem epitomatore Geſneri teſte, & Naudæo; qui editum fuiſſe hunc Niphi commentarium Venetiis ab Schoto MDVIII. meminit, laudatque idem editiones MDXIX. & MDXLVI. & MDLIX. & Dominicus Pantaleonius Florentinus, Dominicanus, auctore mihi Michaele Poccian-tio in *Catalogo Script. Florentinorum*, commentaria ſcripſere. Cum commentariis Mainetii Bonon. MDLXXX & cum I. de Ianduno Venet. MDLXXXVIII. prodiiſſe eundem librum, ex catalogo bibliothecæ Bodleianæ novimus.

II. *Deſtructio deſtructionum philoſophi Algazelis, Calo Calonymo Hebræo interprete.* Titulus Arabicus eſt: *Hahapalah altahapalah*, hoc eſt ad verbum: *Deſtructorium deſtructionum.* Quem librum cum citâſſet Scaliger primo *De plantis*, occaſionem dedit viro medicæ artis doctiſſimo Gaſparo Hofmanno conferendi per epiſtolam [u] cum amiciſſimo ſibi Thoma Reineſio, exquiſitæ eruditionis medico, & polyhiſtore, atque argutandi hac ſuper Arabica inſcriptione. Sed lumen accendit cæcutientis oculis Reineſius [x], monſtrato vero verborum illorum quem diximus ſenſu. Ms. eſt in bibliotheca academiæ Lugduno-Batavæ, ut ex eius conſtat catalogo pag. 286. editum Venetiis MDXXVII. Algazel ſanè, qui *Abuhamed* (aliàs *Chamad*) *Mohammed Algazali* nuncupatus, magnæ famæ inter Arabes [y], ſcripſit librum *Hahapalah cavanoth*, hoc eſt, *Deſtructorium*, ſeu *ruinam opinionum philoſophorum.* Quem, credo, Ioannes Leo Africanus *Errores philoſophorum* nuncupat [z]. Atque hunc invitus; quem & explicuit R. Almoſnini, ut notat Hottingerus in *Bibliotheca* ſua *orientali.* Algazelis huic *Deſtructioni* oppoſuit noſter *priorum omnium cenſor acerrimus* (uti Reineſius vocat) *Deſtructionem* hanc *Deſtructorii*, ſive *Ruinam ruinæ philoſophorum Algazelis.*

[u] Inter Reineſianas vide epiſt. 5.

[x] Epiſt. 15.

[y] Vide Pocockium *Miſcel. ad Moſis Maimonidis portam Moſis* pag. 118. Ioan. Leonem *De Arabibus illuſtrib.* apud Hottingerum in *Bibliothecario* pag. 262.

[z] Ubi proximè pag. 264.

Idem eſt, ut credimus, Averroes contra Al-Gazelem *De æternitate mundi*, qui MS. reperitur in ea quæ fuit Beſſarionis Cardinalis bibliotheca, teſte Thomaſino. Latinè, ut ſuſpicor, in *Deſtructorium* commentaria ſcripſit Auguſtinus Niphus, ſive, ut ſe ipſe vocat, Eutychius Auguſtinus Niphus Philotheus Sueſſanus, eximius ſui temporis philoſophus, quæ Venetiis anno MDXVII. ab heredibus Octaviani Schoti, & Lugduni apud Iuntam MDXLII. in 8.° edita fuere. Obſervatione dignum exiſtimamus, quòd in opere iſto Chriſti hoſtis coactus ſit, veritate impellente, literis tradere, Romanos poſt ſuſceptam Ieſu Nazareni legem ſapientiores effectos. Quod ſcribit Ioannes Picus Mirandulanus lib. 3. *De morte Chriſti* cap. 6.

Adhæret *Deſtructorio* in editione quam luſtramus,

III. *Tra-*

III. *Tractatus* De animæ beatitudine. Cui addita est

IV. *Epistola* De intellectu. Quæ idem est cum dicti libelli parte, eodem Calonymo interprete. Tractatus hic ab Augustino Nipho (ait Naudæus in *Bibliotheca politica*) *philosopho celeberrimo, haud pœnitendis quæstionibus illustratus, etiamnum hodie præ curiosorum manibus habetur.* Editum opus fuit Venetiis apud Octav. Schot. MDVIII. & MDXXIV. in folio.

In decimo volumine.

I. *Colliget*, sive ita vocatum opus medicum, libris VII. Quorum primus est *De anatomia.* Secundus *De sanitate omnium membrorum, & eorum operationibus.* Tertius *De speciebus & causis ægritudinum.* Quartus *De signis sanitatis & ægritudinis.* V. *De medicinis & cibis.* VI. *De conservatione sanitatis.* VII. *De medicatione ægritudinum.* Venetiis excudit typographus aliquis ex castigatione Hieronymi Suriani anno MCDLXIX. si credimus *Bibliothecæ medicæ*, aliusque anno MCDXC. & MDXIV. Ediderunt quidem unà cum Aben Zohar in eadem urbe Ioannes & Gregorius fratres de Forlivio MCDXC. Lugduni etiam prodiit MDXXXI. in 16.°

Colliget autem titulus, non Latinum ut credidere, quibus *Collectorium* aliàs enunciare mos fuit; sed ex Arabico corruptum *Kolliion*, hoc est *universalis*; sive *Kolliieton*, *universale*; uti observatum novimus à Christiano Daumio epist. 96. ad Reinesium. Quare melius alii *De medicina* reddidere ab argumento.

De scribendi proposito medicum hoc opus ipse Averroes in principio: *Quando ventilata* (inquit) *super me fuit voluntas per nobile præceptum ex parte nobilis domini Audelach Sempse à Mirelmomini de Marocho pro consilio suorum philosophorum Avoznit & Aben-Chalit; & præcepit mihi compilare unum librum, in quo contineretur tota scientia medicinalis in Arabico, quæ affirmaret & iudicaret intentiones priorum auctorum, quæ earum essent retinendæ, & quæ dimittendæ: tunc declinavi virtutes meas ad suum præceptum &c.* Et mox: *Et non expectes à me quòd dividam partes suas* (nempe librorum septem, in quos dividere se dixerat totum opus) *in numerum capitulorum, neque quòd appropriet unicuique rei casum per se, quia in illa re vana gloriati sunt sapientes Hispaniæ Andalusii, & maior pars præteritorum auctorum.* Nescio an ad hoc opus referendum sit *Averrois cum expositione Culier De medicina*, cuius MS. Arabicum exemplar in Laurentina bibliotheca regia exstare alicubi scriptum vidimus.

II. *Libri quinti* Colliget cap. 57. 58. 59. à Iacobo Mantino ob rei difficultatem olim translata, cum antiqua translatione.

III. *Collectaneorum sectiones tres, tribus* Colliget *libris, secundo scilicet, sexto, & septimo respondentes, à Ioanne Bruierino Campegio elegantissimè Latinitate donatæ, post antiquam translationem. Nempe* I. *Sectio de Sanitatis functionibus ex Aristotele & Galeno.* II. *De sanitate tuenda ex Galeno.* III. *De curandis morbis.* Prodierant seorsum Lugduni ex officina Sebast. Gryphii MDXXXVII. in 4.°

IV. *Commentaria in Avicenæ cantica diligentissimè emendata, unà cum Avicenæ textu, in partes, tractatus & capita distincto, atque castigationibus Andreæ Bellunensis exornato.* Hic est Andreas Alpagus Bellunensis. Arabicum Avicenæ libri titulum *Alargioza in medicina* fuisse Ioannis Leo notat [a]. Expositionem vero Averrois, *Scholia in Institutiones medicas versibus conscriptas ab Ibn Sina* Hottingerus nuncupat in *Bibliotheca orientali* [b]. Hebraicus interpres, qui exstat in Viennensi MS. הרוזא *Charuzah. Cantica medica* cum commentario Iben Ruschad, Spizelio teste [c]. Textum Avicenæ & Averrois Arabicum, cuius exemplar servat Escorialensis bibliotheca regia, quem item servari in Lugduno-Batava publica ex eius apparet catalogo, ibi anno MDCLXXIV. typis edito, transtulit primus in Latinum Armengaudus Blasius Monspelliensis anno MCCXCI. sub Philippo Ludovici Sancti Galliarum Regis filio, commentariumque proprium adiecit: quod observavit Paulus Colomesius in *Gallia orientali* [d]. Prodiit in publicum hæc versio Armengaudi Venetiis primùm à Gregorio de Gregoriis MCDLXXXIV. in folio. Hanc ab Andrea Alpago Bellunensi (idem enim est, non duo, Andreas Alpagus, & Andreas Bellunensis, in quod non animadvertit Lindanus *Medicorum Scriptorum* strenuus collector) castigatam ediderunt Iuntæ in eadem urbe MDLV. in fol. Exstat & in Averrois operum editione volumine 10. editionis quoque Venetæ Iuntarum anno MDLII. in folio.

V. *Tractatus de Theriaca, nunquam apud Latinos visus, nunc primùm ex scriptis Andreæ à Cruce chirurgi repertus.*

[a] In Vita Avicenæ.

[b] Lib. 3. par. 2. cap. 2. pag. 213.

[c] In *Arcanis biblioth. detectis.*

[d] Pag. 1.

tus. Non quidem primùm visus in editione hac Veneta anni MDLXII. cùm in altera operum Averrois Veneta MDLII. etiam comprehensus fuerit, & ut credo, ex translatione ab Andrea Alpago, simul cum scholiis ad *Cantica Avicenæ* castigata. Meminit quoque huius operis, Alpago adhuc antiquior, Philippus Bergomensis. Hactenus Veneta Aristotelis & Averrois operum editio, quam descriptum ivimus. Sed & nonnulla alia eiusdem nostri auctoris laudari solent.

De venenis liber Lugduni editus à Iacobo Mit anno MDXVII. in 4.° unà cum *Regimine sanitatis* Magnini MS. in bibliotheca Ambrosiana Mediolani.

De febribus liber exstat operis Veneti *De febribus* pag. 109. ait Lindanus. Prodiit Venetiis MDLXXV.

De sectis librum tribuunt ei Lucius Marinæus Siculus [e] (*De septis* tamen per errorem operarum forte appellans) & Iacobus Philippus Bergomensis [f].

De balneis liber MS. in bombycinis chartis fuit in bibliotheca Cardinalis Carpensis, ut in eiusdem legitur catalogo.

De diluviis laudant idem Bergomensis & Marinæus. Notius ac certius est eiusdem opus

De simplicibus medicinis (nisi pars sit libri *Colliget*) Habet bibliotheca Bodleiana Argentinæ MDXXXI. editum.

Collectanea De sanitatis functionibus, De sanitate tuenda, & De curandis morbis. Latinè per Io. Bruierinum Campegium edita scimus Lugduni MDXXXVII. in 4.°

Compendium, sive *Epitome magnæ Ptolemæi constructionis*, hoc est, *Almagesti*; cuius meminit Io. Picus Mirandulanus in opere *Contra astrologos*, ex eoque Iosephus Blancanus in *Mathematicorum chronologia* [g], & Vossius *De scientiis mathematicis* [h]. Hebraicum exstare hoc in Cæsarea bibliotheca, ex Spizelio [i] & Lambecio [k] constat; interprete nimirum, si Deo placet, Iacobo filio Samsonis, ut in bibliothecæ Regis Galliarum cod. 1853. notatur, teste Labbeo [l].

In Avicenæ orgioza, hoc est, *articulos* logicæ, commentarium Averrois laudat Ioannes Leo in *Vita Avicenæ.*

Certè Averrois opera ferè omnia philosophica ex castigatione Augustini Niphi Venetiis primùm anno MCDXLVI. prodiisse annotavit Gesnerus in *Bibliotheca.* Quo ipso anno ex eadem urbe prodiisse ait librum *Colliget*, cum translatione barbara incerti, ex castigatione *Biblioth. vet. Hisp.* Tom. II.

[e] *De laud. Hisp.* lib. 6.

[f] In *Suplem. Chronicor.* an. MCXLIX. lib. 12.

[g] Pag. 37.

[h] Cap. 15. §. 22.

[i] In *Arcan. bibl. detectis.*

[k] Lib. 1. *Comment.* pag. 177.

[l] *Biblioth. MS.* pag. 299.

Hieronymi Suriani, unà cum Aben Zohar libro *Thesfir*, & *Antidotario.*

Ex libris *Colliget*, qui septem sunt, secundus, sextus, & septimus castigati, & in purum Latinum conversi à Io. Bruierino Campegio, Lugduni prodierunt apud Gryphium anno MDXXXVII. in 4.° Ceterùm Abrahamus de Balmis plurium Averrois operum à se vel recognitorum vel novè converforum Venetiis procuravit anno MDXXIII.

Multi quidem, vel pro Averroe explanando, vel pro eo atque Averroistis incusandis, lucubrationes suas scriptis mandaverunt. Ex prioribus Zimaram, Longum, Florillum Tomitanum, alios suprà laudavimus. Antonius quoque Possius *Thesaurum* dedit *in Aristotelem & Averroem*, Venetiis apud Iuntas MDCLXII. in 8.° Ac nescio quis alius *Methodum legendi Averroem* scripsit. Io. item Philippus Bonus edidit *Concordantias contradictionum in Aristotelis & Averrois sententiis*, in folio. Laudatur à Michaele Pocciantio inter Florentinos Scriptores *Ioannes Baptista Bagolinus*, quique huius in Averroem scripta imperfecta ab eo relicta emendaverunt & absolverunt Romulus Fabius & Marcus de Odis Patavinus. Planè Marcus Antonius Zimara, is quem ex aliis eius in nostrum lucubrationibus iam commendavimus, scripsit quoque *Solutiones contradictionum Averrois*; hoc est, *Super* VIII. *libros physicorum, & super totam metaphysicam.* Quod opus Venetiis prodiit apud heredes Octaviani Schoti MDVIII. in folio. Posterioribus duces se præstiterunt Ambrosius Leo Nolanus & Isidorus Isolanus. Operis Nolani inscriptio: *Ambrosii Leonis Nolani, Marini filii, Castigationum adversus Averroem ad augustissimum Leonem X. Pontif. Max. plures libri. Venetiis MDXVII. apud Bernardinum atque Mathiam de Vitali fratres.* Quod opus magnum ac totius philosophiæ thesaurum Gesnerus vocavit. Necnon & olim Raymundus Lullus, scripto libro *Lamentationis philosophiæ contra Averroistas*, & alio *De reprobatione errorum Averrois.* Inter Augustini Niphi opera, ex eorum catalogo, quod Naudæus confecit, *Averrois* legitur *De mistione defensio.*

B

BAITAR, aliàs IBNU EL BAITAR, de quo Ioannes Leo in *De Scriptoribus Arabicis* apud Hottingerum. *Ibnu El Baitar natus est* (inquit) *in civitate Mala-*

gæ in Bætica, (nomen hodie retinet in ora maris) *philosophus & medicus fuit præstantissimus, herbariusque maximus. Eoque è patria sua discedens, ad orientem versus profectus est, perquirens Africam universam, atque Asiam ferè totam. Cùm verò ex India regressus esset, pervenit ad Chairum, & in servitiis Saladini Soldani primi ex Chairo ingressus est, quem magno affecit honore* (Soldanus hic Ægypti, qui anno MCLXXXVII. Hierosolymorum urbem Christianis eripuit) *at post mortem dicti Saladini* (contigit hæc anno MCXCIII.) *præfatus Ibnu El Baitar reversus est domum suam, & ibi composuit præstantissimum librum* De virtutibus herbarum, De venenis, De metallis, De animalibus *secundum ordinem alphabeti tribus voluminibus completum. Qui obiit Malcha* (imo *Malagæ*, aut *Malacæ*) *anno quingentesimo nonagesimo quarto de El-Hagira* &c. hic est annus Christianus millesimus ducentesimus decimus sextus. Hottingerus in *Bibliothecæ orientalis* lib. 3. par. 2. cap. 2. [m] refert huius mortem ad annum Hegiræ DCXLVI. ibique laudat librum *De simplicibus medicamentis.*

[m] Pag. 247.

Idem in appendice, ubi de Escorialensi bibliotheca [n], sic vocat tanquam in ea exstantem: *Iben Ibaitaris Malaquiensis librum absolutum *** de morbis per administrationem medicamentorum simplicium *** auctoribus authenticis electorum, scriptum à fuga* DCCCXVIII. Asterisci denotant lacunam in catalogo, quo is utebatur.

[n] Pag. 11.

Sed in anno fugæ seu Hegiræ insignis error fuit contractus. Hic namque respondet anno Christi MCDXLIX. nisi hunc alium à priùs laudato libro credat aliquis: nam & in eadem Escorialensi bibliotheca, ut ex eodem catalogo apparet [o], *Iben Ilbeitaris liber est primus De simplicium medicamentorum viribus*, ordine alphabetico ab *Elich* usque ad *H.* Item secundus à lit. *D.* consequenter [p]. In eodem catalogo Escorialensi legitur de alio eiusdem operis codice: *Iben El Baitaris Malachiensis* Botanicon, *id est* De simplicium medicamentorum viribus. *Primus liber absolutus & traductioni congruus. Inveniuntur enim in isto libro plusquam duo millia simplicia, quæ in libro Dioscoridis non inveniuntur: & ob hoc dicit in principio huius libri approbatum eum fuisse ab Arabibus Persiæ & Alexandriæ.*

[o] Pag. 10.

[p] Pag. 12.

Brafome, filius mudir, cuius meminit Prudentius Sandovalius in rebus Pelagii Regis, sive *Notis ad Episcoporum Chronica* pag. 80. referens hunc Christiano habitu indutum in Roderici Regis curia aliquamdiu vixisse, Iuliani Comitis, qui in Africæ vicinia degebat, exploratorem; qui quidem de rebus sui temporis in literas quicquam retulit; cuius quidem scripta pervenisse ait ad cuiusdam historici, qui ante CCC. annos vixit, manus, unde sibi de hoc Mauro auctore, ac de his rebus ab eo scriptis constare docet. Quem quidem huic loco sistimus, quantumvis Africanum, ut verosimile est, aut ex Arabia oriundum, eo quòd de historia nostra, si his homo qui dicitur fuit, bene mereri voluit.

C

Cacham, aliàs iben cacham, Andalusius ut Hispani ceteri vocatus, scripsit *Varias principum literas, aut saltem carmina & dissertationes*, historiam Africæ & Asiæ spectantes, insigni stilo scriptas, ut legitur in catalogo Leidensis bibliothecæ [q] inter libros Warnerianos eidem donatos. Laudat & Hottingerus *Smegmatis orientalis* lib. 3. parte 2. c. 2 [r].

[q] Pag. 296.

[r] Pag. 278.

Cacham nomen *sapientem* sonat Arabicè; eoque vocatum Abrahamum Aben Esram Hebræum ingentis famæ Toletanum, Bartholoccius annotavit in *Bibliotheca magna Rabbinica.*

Chatiib, aliàs iben chatiib, Andalusii, *Praxis medica* exstat in codice quodam ms. Arabico Leidensis bibliothecæ, inter Warnerianos libros [s], cum aliis auctoribus.

[s] Pag. 318.

Cacim aben hegi, quem sæpiùs laudat Gaspar Escolanus in *Historia Valentina*, nescio unde sibi cognitum, aut ubinam visum, scripsisse ab eodem Escolano dicitur *Hispaniæ descriptionem*, ac *De Cordubensis urbis Regibus*, suæ scilicet Mahumetanæ sectæ.

E

Evanafla, Hispalensis, sectâ Mahumetanus, quem astronomum fuisse novimus ex relatione Rabbi Mosis Maimonidis Hebræi Cordubensis celebratissimi: cuius in *Moreh Hanevochim*, sive *Dubiorum ductoris*, lib. 2. cap. 10. dum inquireret, Sintne infra aut supra solem sphæra Mercurii, & alia sphæra Veneris, hæc verba sunt: *Post eum* (Ptolemæum) *fuerunt alii in Hispania valdè subtiles in mathematicis, & exposuerunt secundum propositiones Ptolemæi, quòd Venus & Mercurius sunt supra* [t] *Solem. De*

[t] Infrà, ut credimus.

De hac autem materia quendam librum fecit Maurus quidam, cuius nomen Evanafla, de civitate Hispalensi; & ego vidi filium eius. Post istum verò studuit in hac materia philosophus bonus Maurus quidam, scilicet Abu Baeus, & fuit discipulus cuiusdam discipulorum eius. Et infrà iterum de posteriore hoc libro 3. cap. 30. *Hoc etiam dixit Maurus Abu Bac in expositione libri* De auditu. Hæc Moses Maimonis filius.

Ex quibus eorum ætatis notis asserere possumus, tam Evanaflam quàm Abu Bac XII. sæculi mathematicos fuisse, cùm Maimonides XIII. sequenti maximè floruerit; coniectarique non minus Abu Bacum quàm Evanaflam Hispaniæ debere nos adscribere, eò quòd in testimonio præcesserit Hispanorum in mathematicis valdè subtilium mentio, atque ipsius Maimonidis affirmatio, sese discipuli cuiusdam eius discipulum fuisse: quod in Hispania contingere necessarium fuit, à qua non discessit Moses, nisi adultus & aliorum magister.

Ezarharagui medicus, cuius elogium reliquit nobis Ioannes Leo Africanus in *De Scriptoribus Arabicis* libello ab Ioanne Henrico Hottingero in lucem edito [u], quod subiecimus [x]: *Ezarharagui fuit medicus Mansoris Cordubæ consiliarii & proximus Rasis, qui composuit librum, sicut Canon Avicenæ, in arte medicinæ utilissimum quidem, quo etiam adhuc Mahumedani medici utuntur. Vixit annos centum & unum. Qui obiit anno belli Cordubæ, de El-Hegira anno quadringentesimo quarto.* Hic Hegiræ annus concurrit cum sæculi .... vicesimo sexto, annusque belli Cordubæ forsan dicitur, vel eo quòd Alphonsus V. Legionis Rex iam tum cum infidelibus Mauris belligeraret, qui sequenti anno ad Viseum sagittâ ictus occubuit; vel potiùs Zulemanis Cordubæ per id tempus Regis bellum contra Hairanum susceptum à quo & extinctus fuit [y], Leo intellexit.

[u] Bibliothecarii lib. 2. cap. 3.

[x] Pag. 256.

[y] De quo Rodericus Toletanus in *Histor. Arabum* cap. 40. iuncto cap. 42. ubi anno Arabum CDVIII. gesta narrantur.

Almanzor Cordubæ consiliarius, ille est Mahomet Ibn Eben Hamir, Alagib etiam, hoc est *Vice-Rex* dictus, quem Hissen Regi puero coadiutorem datum, & Almanzor seu defensorem appellatum, referunt historiæ Arabum [z]. Hic est qui ex Persia usque vocavit Rasem, magnoque stipendio & honore obstrictum Cordubæ habuit, ut idem Leo docet nos in *Rasis elogio* [a]. At quod huius Rasis proximum Ezarharaguium, de quo loquemur, Leo appellavit, ad originem eius Persicam forte nos avocat.

[z] Idem Rodericus cap. 31.

[a] Pag. 254.

Sed cùm Cordubæ hunc floruisse dicamus, nec proximitatis Latinum ex Arabico vocabulum adeò nos constringat, ut nonnisi de unius atque eiusdem regni civibus intelligi valeat; manemus interim in sententia Hispanæ eius patriæ atque originis asserendæ. *Canona hic*, sive *Regulam in arte medicinæ*, quod Avicena fecit, scripsisse dicitur; in deperditis Arabum operibus, ut suspicor, computandum, addendumque accurato *De scriptis medicis* Ioannis Antonidæ Lindani commentario.

F

Faramella, seu pharamella, filius Abdelabi Cordubensis, misit ad Ioannem Episcopum Toletanum *Prophetationem* sive *iudicium* (titulum libri audis) *de his quæ eventura erant anno Egiræ DLXXII.* (sive Christi MCLXXXVI.) *mense Septembri, contra id quod quidam astrologi de partibus occidentis annuntiaverant.* Quod iudicium ad Anglos perductum, inseruit *Annalibus* [b] suis Rogerus Hoveden, cum aliis Anglorum post Bedam historicis anno MDCI. Francofurti apud Vechelium editum. Refert in eo auctor nutritum se in *palatio magni Regis Eben Jacob, qui cognominatur* (ita editum fuit) *Hebimiramunoli* aliàs *Helimiramuli*; legendum tamen *Amirolmumenini*, hoc est ..... *Credentium imperatoris.*

[b] *Posteriore parte de Henrico II.* pag. 617.

G

Geber, aliàs mahomed geber, filius afflah, quomodo vocatur ab Alpetragio, qui eum citat in *Theorica planetarum physica* cap. 4. quantumvis Arabs communiter dictus ab origine & usu linguæ, Mahomedanis omnibus quacumque dispersi degerent vernaculæ; vulgari tamen nostrorum hominum traditione [c] Hispanus & Hispalensis esse dicitur. Id quod agnoverunt & exteri, Lucas Gauricus [d], Hieronymus Cardanus [e], Athanasius Kircherus, Ioannes Baptista Ricciolus [f], Gerardus Io. Vossius [g]. Quod mihi persuadet etiam silentium de eo Georgii Abulpharaii in *Historia dynastiarum*, ab Eduardo Pocockio edita Arabico-Latinè, qui mentionem facit sapientum omnium orientis, eorum vero qui apud nos floruerunt, non facit.

Hispalensibus quidem meis persuasum est fabricâsse eum in hac urbe altissimam & pulcerrimam turrim, quæ vel

[c] Hieron. Torrellas tract. *De imaginibus*, Ægid. Gonzalez Davila in *Theat. Hispalensis Eccl. siæ*, Ioan. de la Cueva in prol. ad lib. *Conquista de la Betica.*

[d] In *orat. de astronomia* Ferrariæ habita.

[e] *De subtilit.* lib. 16.

[f] In *præfat. Almagesti novi.*

[g] *De philosophia* cap. 14. pag. 117.

nunc exſtat, meſquitamque inſuper, quæ iam in templum totius Hiſpaniæ maximum Deiparæ Virgini ſacrum novâ Chriſtianorum fabricâ tranſivit, turri adhærentem; immo & turrim ad ripam Betis fluminis aliam, cui *Aureæ* nomen cives ob pulcritudinem, ſive quòd ibi olim gaza Indica ſervaretur, impoſuere. Similes huic Hiſpalenſi duas alias turres, alteram in Marrochana, alteram in Rabata Arabiæ Petreæ, ut exiſtimo urbibus erexiſſe idem dicitur. Hæc in arquitectoria arte. Sed non ob id inter ſublimia hunc orbis ingenia, quæ duodecim fuiſſe ait, undecimo eum loco ponit Cardanus [h]; ſed quòd mathematicas omnes artes inſigniter calluerit.

[h] Ubi ſuprà.

Pars quoque eorum, quos Alphonſus Caſtellæ Rex *Sapiens* viros in re aſtronomica peritiſſimos maximis ſumtibus undique evocavit ad conficiendas novas motuum aſtrorum Tabulas, ſi famæ credimus, fuit. Convenit quippe tempus. Et vicinior is aliis erat. Lucas Gauricus in his nominat [i] Omar Haly Aben Ragel, Geber Hiſpalenſem, Iacutum Calo Calonymum. Ioannes tamen Baptiſta Ricciolus, mathematicus hoc tempore magni nominis, Geberum & Arzahelem Hiſpalenſes ſæculo undecimo vixiſſe, ac de cæleſtium motuum inſtaurandis Tabulis cogitâſſe; quorum laboribus, inter aliorum alios, uſos ait [k] fuiſſe eos, qui iuſſu Alphonſi Tabulas, quæ Alphonſinæ dicuntur, compoſuere.

[i] In orat. 8. *De laudibus aſtronomiæ.*

[k] In *præfat. Almageſti novi.*

Nec item Geberum noſtrum his annumerare Chriſtmannus [l], & Auguſtinus Riccius [m], à Kirchero [n] laudati, ſed Alfarabium, Aben Ragel, Profatium, Mahummed, Haomar, & inter ceteros principem Iſaacum Hazan, Synagogæ Toletanæ cantorem Hebræum, de quibus in Alphonſo Rege diſquiſivimus.

[l] In *Hiſtor. aſtronom.*

[m] Præfat. ad Almag. Ptolemæi.

[n] In arithmologiæ par. 1. cap. 4. pag. 49.

Inventorem quoque Algebræ fuiſſe (quæ à *Geberi* nomine, articulo *al* præpoſito, nuncupata dicitur) quibuſdam [o] placuit. Sed *Algebra* interpretantur qui Arabicè ſciunt, ab *al* articulo & *gabar*, quod eſt *inſtaurare. Reſtaurationem numeri.* Dictam etiam *Almu Cabala* aliàs *ſcientiam Coſſicam*, Hiſpanis *Arte de la coſa*, de qua inſcripſit opuſculum quoddam Ioann. Geyſius, editum ab Alſtedio in ſuæ *Encyclopediæ* parte ſecunda. Obſervavit amicus noſter Ioannes Caramuel, nunc Epiſcopus Viglevanenſis, ingeniorum flos, in *Matheſi* ſua *bicipiti* parte 1. pag. 117. & 118. Nec tamen recentem eſſe inventionem, ut ad Geberum referri ea poſſit, cum aliis [p] exiſtimat. Quare Diophanto Alexandrino, qui ſub Antonino Cæſare floruiſſe creditur, cuiuſque opera exſtant commentariis eruditis D. Bauchet de Meſeriac Sebuſiani de novo illuſtrata. Laudem huius admirandæ Artis inventæ, de qua ipſe gloriatur, idonei magis Scriptores accenſent [q]. Quicquid autem ſit de ætate Geberis, quem hoc loco haud temerè collocatum iri exiſtimavimus, aut de Algebræ invento, auctor ſanè hic fuit aliorum operum, tam aſtronomicorum quàm chimicorum; ſcilicet ſcripſit Arabicè

[o] Car. Renaldinus in præfat. ad *Artem analiticam mathematum.*

[q] Io. Regiomontanus præfat. in *Alferganum.* Voſſ. *De ſcientiis mathem.* in addendis pag. 432.

De aſtronomia, ſive *expoſitionem in Ptolemæi novem libros*, è Gerardi Carmonenſis interpretatione Latina Norimbergæ editam anno MDXXXIII. à Petreo quodam, cum *Inſtrumento primi mobilis* Petri Appiani. Nicolaus Copernicus *Calumniatorem Ptolemæi* Geberum vocat propter hoc ſcriptum; ex quo quidem, ut Merſennius ait [r], *Multa ſumſit Georgius Purbachius, & Io. Regiomontanus, dum prædictum opus Ptolemaicum in epitomen ordinatiſſimè redigunt.*

[r] In *Synoſi math.* pag. 230.

Huius operis Gebri epitomen dedit Andreas Stiberius Boius Viennenſis canonicus ſub Maximiliano Imperatore, uti docet Io. Baptiſta Ricciolus in *Chronico aſtronomorum*, principio *Novi Almageſti.* Codex Vaticanus MS. qui ſignatus eſt num. 2059. ita inſcriptus eſt: *Verba Gebri filii Aſſem Hiſpalenſis, qui corrigit in pluribus Ptolemæum.* Incipit: *Scientia ſpecies habet, quarum melior &c.* Volumen in folio iuſtum eſt.

Chimiam, ſive *Traditionem ſummæ perfectionis, & inveſtigationem magiſterii.* Hæc incerto interprete Baſileæ prodiit anno MDLXXII. Poſt ſæculum ferè integrum Georgius Hornius medicus Reip. Nurembergenſis iterum edidit, adiungens *Medullam alchimiæ Gebricæ*, Lugduni Batavorum apud Arnol. Doude MDCLXVIII. in 16.° niſi quòd medio iſto tempore interceſſiſſe aliam Zezneri an. MDXCVIII. (id eſt, *Argentinenſem*) editionem idem Hornius ait in *Medullæ* huius proloquio. Monet quoque in editionis præfatione apud ſe eſſe alteram huiuſce operis partem, communicatam ſibi à Iacobo Golio, quam, quia nunquam occidenti innotuit, in Latinum tranſlatam chimicis aliquando communicaturum in ſe recepit. In præloquio is ad *Medullam*, inventorem hunc, ſi tollas Hermetem Ægyptium, huius Artis putat. *Quippe qui* (ut ait) *primus omnium Artem hanc ex multis aliorum erroribus difficulter & laborioſè conjectura longa & tædioſa experientia, multorumque ſumtuum interpoſitione, collectam & inventam, literis & methodo naturæ convenienti, admirabili dexteritate complexus eſt.* Et poſtea: *Equidem peritiſſima perſuaſione inducor, ſi quid eſt in alchimia ſolidi & veri, aut hoc eſſe quod ſtatuit cum Gebro unanimis omnium & antiquiſſimorum virorum conſenſus, aut nugas & quiſquilias meras, propriique cerebri commenta, quæcumque aliorum recentiorum cum primis, ſcripta alia mente & manu in vulgus proſeminantur.*

Petrus quidem Borellus in *Bibliotheca chimica* in plura unicum ferè hoc diſpertit opera, laudati Geberi *Summa antiqua*, quam vidiſſe ait excuſam cum Rigini Danielis *Cantilena*, & aliis: Geberi *De inveſtigatione metallorum perfectionis, Summa perfectionis metallorum, De inventione veritatis ſeu perfectionis metallorum.* Quæ omnia idem ſunt.

De fornacibus conſtruendis libro uno Bernæ edito MDXLV. in 4.°

Geberi libro *Claritatis alchimiæ* MS.

Item *Traditione de alchimia*, libris duobus Argentinæ apud Zeznerum anno MDXCVIII.

Libro *Radicum.*

Libro *Lunæ, ex lilio de ſpinis evulſo.*

Gebri teſtamento De extractione ſalium.

De ponderibus artis ex Nazario (Ioanne Baptiſta ſcilicet Brixiano, quem alibi chimicorum aliorum auctorem operum laudat) *Summario Summæ.*

Libro *Denudatorum.*

De tribus ordinibus medicinarum.

Libro *Regni.*

Clavi Theſaurorum.

Gemma ſalutis.

Artis chimicæ. Omnibus ſcilicet his ex eodem Nazario.

Laudat quoque Aldemanum canonicum Carthuſianum, & Guilielmum quendam, qui gloſſam ad lib. Gebri *De perfecto magiſterio* ſcripſere. Diverſus forſan ab aliis liber hic eſt *De perfecto magiſterio*, quem laudat Raymundus Lullus, ſive alius quilibet ſit auctor *Codicilli*, ſeu *Vade-mecum.* De quo nos in Lullo lib. 9. cap. 3.

H

HAJAN, aliàs IBNU HAJAN, è Luſitania, ut videtur, nam Luſitaniæ chronographum affirmavit eum Ioannes Leo Africanus in libro ſuo *De Arabicis Scriptoribus* ab Hottingero edito [s], ubi de Rhaſe agit. Eius hæc ſunt verba: *Dixit Ibnu Hajan Luſitaniæ chroniſta, quòd Rhaſis in ſuis cauſis minus fortunatus exſtiterat.*

[s] Pag. 254.

HALI UXAFAL neſcio quis Maurus laudatur in ſuo *Iudiciario* à Franciſco Ximen in ſuo magno opere *Chreſtià*, ſeu *De regimine principum & republica* nuncupato, par. 1. cap. 24. quem ex coniectura Hiſpanum credimus, eò quod aſtrologicum ex eo *Iudiciario* adducitur iudicium de Barcinonenſi utbe.

HAMECH BEN SERIF, ut Scriptor libri *De virtutibus plantarum & lapidum & animalium uſibus medicinæ deſervientium* laudatur à Monarde in libello Hiſpanico *De lapide Bezoar* fol. 112.

HANI, aliàs IBEN HANI, Andaluſius poeta fuit, cuius carminum opus inter alios Hottingerus laudat *Smegmatis orientalis* lib. 3. par. 2. cap. 2. pag. 265.

HASEN, aliàs IBEN HASEN, Granatenſis, ab eodem Hottingero ibidem laudatur pag. 279. tanquam Scriptor cuiuſdam tractatus inter alios aliorum, quod ad philologiam ſpectare ait, nec tamen ulterius aliquid de eius argumento.

I

JAAFAR, aliàs ABU JAAFAR EBN TOPHAIL, ſive ABU BECR, Hiſpanus homo fuit vel Andaluſius, quo nomine ſe Hiſpani cives Mauri vernaculo appellabant. Huius memoriam Eduardo Pocockio Anglo linguarum orientalium eruditiſſimo debemus, ex quo eius epiſtolam (ſic enim breviores quoſque tractatus appellare ſolent Arabes & Iudæi) de Hai Ebn Yordhan ex Arabico ſermone Latinis communicavit Oxonii anno MDCLXXI.

Hunc nempe Hajun Yordhani filium auctor fingit epiſtolæ in inſula quadam inhabitata è terra natum, ſive derelictum infantem, abſque ullo hominum commercio, nedum præceptore ullo, ſcientiam omnem naturalem & artificialia multa unius naturæ ductu didiciſſe. Quam epiſtolam bonæ frugis plenam etiam Hebræi in linguam ſuam verterunt, & ad eam commentarium Moſes Narbonenſis Judæus confecit; qui ſimul & Mardochæus Comtino eiuſdem gentis virum non ſemel laudans, *Abu Becr* nominant, iuxta morem Arabum pluribus ſe nominibus compellandi.

Æqualem hunc Averroi Pocockius exiſtimabat, ex eo quòd Ebn Abi Oſaibea, qui *De medicorum vitis* hiſtoriam ſcripſit, in vita Averrois diſquiſitionum quarundam inter iſtum & Abu Becrum Ebn Tophail meminerit, itidemque Moſes

ſes Narbonenſis iam laudatus, in ſua ad hanc epiſtolam ſuoſque commentarios præfatione annotaverit ipſum Averroem ubi de epicyclis & eccentricis agens circulos, ipſos negat ex principiis naturalis philoſophiæ conſiſtere poſſe, hunc noſtrum his verbis compellâſſe & laudâſſe: *Amico autem noſtro honorato iudici Abu Becro Ben Tophail, ſunt in hac re fundamenta egregia, quæ in ſubſidium vocanda ſunt in hac diſpoſitione.* Atque idem Averroes in commentario ad lib. ſecundum *Meteor.* Ariſtotelis: *Et ſocius noſter* (dixerit) *Abu Becher filius Tophail bonum tractatum in intentione propoſitionum quas ipſe fecit in hac declaratione, etiam ipſe deſtruxit ipſum* &c. Ubi diſputat Averroes, utrum loca iuxta æquinoctialem ſint habitationi idonea. Quibus argumentis extra dubium poni ait Pocockius Abu Jaafarum hunc vixiſſe ſimul cum Averroe, qui anno Hegiræ DXCV. ſive Chriſti MCXCVIII. obiiſſe dicitur.

Sed ne prolixus ſim, digitum ad Pocockii hos fontes intendere, quam dicta eius tranſcribere, ſatius duxi; apud quem videre lector poterit ſcopum epiſtolæ, atque eius magnam Arabes inter & Hebræos exiſtimationem, ut à pluribus commendaretur, immo & commentariis exornaretur, propter eius elegantiam, dictorumque ſubtilitatem & fructum, quouſque enim diſputat ratio hominis ſuis viribus, nec aliunde adiuta, in rerum ſublimiorum cognitione pertingere poſſit. Locum verò ex ipſamet epiſtola libens huc advocabo pro aſſerenda Jaafari huius Hiſpalenſi habitatione ſive patria, unde & ſtudia noſtrorum Hiſpano-Arabum quæ eo tempore florerent, non obſcurè lector deduxerit.

Duo contemplationis genera (ex Avicenæ doctrina ut videtur) diſtinguit auctor (ut poſſit utique Chriſtianus homo aſceticâ doctrinâ exercitatiſſimus) alteram ſpeculativam apprehenſionis, quæ elicitur ratiocinationibus, alteram practicam comprehenſionis veri, ſive cum Deo coniunctionis. Priorem ſcripturæ incapacem affirmat, poſteriorem verò uſque ad illud tempus vix aliquo verbis tentatam, utpote quæ, iam verba eius audis: *Rarior ſit ſulphure rubro, & præcipuè in his regionibus, in quibus nos degimus: quoniam adeò peregrina eſt, ut non aſſequatur, vel parum aliquid de ea, niſi unicus poſt unicum (id eſt, ſingulis ſæculis aut ætatibus ſinguli) & qui conſequuti ſunt de ea aliquid, illud hominibus non declarârunt niſi per obſcura quædam indicia. Si quidem ſecta Hanifitica & lex Mohammedica vetat homines in eam ſe immittere, & cavere ab ea monuit. Neque putes* (inſit) *philoſophiam, quæ ad nos pervenit in libris Ariſtotelis, & Abu Naſri, & in libro Alſepha abſolvere hunc ſcopum quem voluiſti; neque quemquam ex Andaloſenis ſcripſiſſe de eo aliquid quod ſufficere poſſit: idque quia qui in Andaluſia educati ſunt ex viris indole præſtantibus, antequam in illa propagata eſſet ſcientia logicæ & philoſophiæ vitam ſuam impenderant diſciplinis mathematicis, & gradum in eis excelſum aſſequuti ſunt, nec pluſquam illud præſtare potuerunt. Deinde ſucceſſit illis ætas hominum qui illos aliquâ logicæ peritiâ ſuperârunt, cui operam dederunt; ita tamen ut non deduceret eos ad veram perfectionem. Dixit ergo ex his quidam:*

Malè me habet quòd ſcientiæ hominum duæ ſint, nec ſit quod iis addatur.

Vera, quæ difficulter acquiritur; & falſa, cuius acquiſitio nihil prodeſt.

Deinde ſucceſſerunt illis & alii perſpicaciores, & qui ad veritatem propiùs accederent, inter quos haud fuit alius ingenii acutioris, nec qui res melius perſpiceret quàm Abu Becr Ebn Al Sajeg &c. Tranſit inde ad hunc Abu Becrum Al Sajegui filium & opera eius laudanda, de quo nos ſuo loco. Ceterùm quod de patria apud nos coniectatum ivimus, expreſſum eſt in vita eius à Ioanne Leone Africano conſcripta, quæ inter alias eius legitur in Hottingeri *Bibliothecario* [t], quam, cùm brevis ſit, & liber non omnibus ad manus, hîc dabimus.

IBNU Tophail ex civitate Siviliæ nobili genere ortus, cuius prædeceſſores venerunt cum exercitu ex Syria, qui oppugnârunt Bæticam, ſui etiam adſtiterunt ſemper ſervituti Pontificum [u]. *Poſtquam verò defecit dignitas illa & titulus, multi in ea provincia rebellaverunt, & pater eius omni officio omnibuſque bonis ſuis privatus fuit. Quapropter filius eius literis incubuit, adeoque præſtantiſſimus philoſophus effectus fuit ac medicus, à quo etiam didicerat Averroes & Rabbi Moſes Ægyptius, & multi alii. Omnes Ariſtotelis textus ab eo audierunt, quem multoties in ſuis commentariis citaverat Averroes. Mortuus eſt autem iſte, qui totius hæreſiæ cauſa exſtitit, anno DLXXI. in civitate Siviliæ.* Hucuſque Bibliothecarius Hottingeri ex Ioanne Leone, quem Pocockium non vidiſſe mirum valdè eſt. Planè hinc egregiè confirmantur quæ de Abu Becri huius cum Averroes amicitia, & ſynchroniſmo aliunde is collegerat, & poſt huius

[t] Pag. 270.

[u] In Arabico videtur fuiſſe ..... vel ..... quorum illud regionis, hoc potiſſimùm religionis ſignificatum includere annotat in ora libri Hottingerus.

ius mortem, quæ incidit in annum MCLXXIV. aut ſequentem, viginti alios quatuor annos Averroem vixiſſe.

[s] Catalogus pag. 302.

JAHIA (quod eſt *Ioannes*) filius MUHAMED, filius ABI SIUKER Africani, Andaluſius, auctor eſt *Theoriæ planetarum demonſtratæ, & ſecundum novas obſervationes emendatæ* quam arabicè ſcriptam Lugduno-Batava bibliotheca inter Warnerianos libros ex oriente allatos, atque eidem donatos, poſſidet [x]. Ibidem quoque exſtat *Theodoſius De ſphæricis figuris, continuante* (fortè interpretem denotat) *Jahiâ filio Muhammedis* Andaloſeno [y]. Eſt ne hoc diverſus

[y] Pag. 336.

JAHIA IBEN HAMETIS IBN EDDEN? cuius liber *De re medica* completus & integer in Eſcorialenſi bibliotheca exſtare dicitur [z], dicatus Regi Albuhacem ad examinandos ſuæ civitatis Granatæ medicos, & totius regni, ſcriptus, ut notatur in eo, à fuga an. DCCXIX. ideſt Chriſti alius ab MCCCXLI.

[z] Catal. Caſtilli apud Hotting. in *append. biblioth. orient.* pag. 14.

JALJAL, aliàs EBEN JALJAL Andaloſenus, adducitur in teſtimonium pro medico Baſorenſi quodam à Gregorio Abulfaraio in hiſtoria Dynaſtiarum Pocockianæ verſionis [a] ita loquente: *Refert Ebn Jaljal Andaloſenus Maſerjauvaihum medicum Baſorenſem linguâ Syrum, Religione Iudæum fuiſſe.* Nec titulum operis adiungit.

[a] Pag. 126.

JASÆ GAFEKÆI Andaluſii *Hiſtoria orientalis* laudatur inter hiſtorias Arabicè ſcriptas de rebus Aſiaticis & Africanis in *Bibliotheca orientali* lib. 3. par. 2. cap. 2. [b]

[b] Pag. 268.

IBEN IBRAHIM Hiſpanus, *De ſupputatione temporis* Scriptor Arabicus, aſſervatur inter Warnerianos libros Leidenſis bibliothecæ [c] cum aliis in eodem codice.

[c] Catal. pag. 369.

IBNU LCHATIB, celeberrimus inter Arabes theologus, philoſophus, poeta, & hiſtoricus, ad Hiſpanam rem pertinet, quamvis exterus. Natus is in *Ray* civitate, ut Ioannes Leo in elogio eius docet [d]. Hæc Parthiæ urbs, eademque Phaſis medici famigeratiſſimi patria, aliter *Reha*, cuius in quarto climate Alferganus in *elementis aſtronomicis* meminit, ad quem Iacobi Golii nota locuples & luculenta conſuli poteſt [e].

[d] In *Bibliothecario* Hottingeri pag. 280.

[e] Pag. 210. editionis Amſtelodamenſis MDCLXIX.

Hic inter alia multa ſcripſit *Chronica Granatæ, omniumque hominum notabilium, doctiſſimorum, & dominorum, qui ingreſſi fuerant in Granatam*, duodecim voluminibus. Quam quidem diſtinguit idem Ioannes Leo ab *Hiſtoria Regum ac dominorum Granatæ*, quam deinde laudat. Aliquando enim apud nos, & in hac urbe Granatenſi fuiſſe dicitur, indeque expilato Regis Abu Habdillæ theſauro in Fezam diſceſſiſſe, quo in loco ob hæreſin & furtum hocce anno Hegiræ DCCLXXVII. qui, ſi hæc incœpit anno DCXXII. anno Chriſtiano MCCCXCIX, reſpondet, ſuffocatus fuit, eiuſdem Ioannis Leonis teſtimonio. Verumtamen ſi extremo hoc ſæculo vixit deceſſitque, falſum Leo dixit, æqualem eum Averroi, famaque eius permotum, venire ad hunc voluiſſe, in principio elogii referens. Averroes etenim, uti ſuprà annotavimus, ante ducentos præter propter obierat annos.

JOLEUS JOLI Toleti civis anno MCCLIX. collectionem ex variis auctoribus compilatam *De virtute plurium herbarum & plantarum* in literas retulit; cuius operis & auctoris mentio eſt in catalogo regiæ bibliothecæ Eſcorialenſis, in qua exſtabat.

ISAACUS ABEN ZULAIME Iudæus profeſſione, Murciæ ſcripſit anno Pſeudo-Prophetæ DXC. hoc eſt Chriſti MCXCIV. medicum quendam commentarium, qui inter libros exſtitit bibliothecæ regiæ Eſcorialenſis, ut ex catalogis conſtat.

ISAI IBEN CAADA EL LAUXI EL GARNATI, qui ſe vocat diſcipulum Muhammedis Aben Icam El Rocati, Granatenſis videtur fuiſſe, cuius *De re medica* liber Arabicus exſtare dicitur abſolutus in Eſcorialenſi bibliotheca [f].

[f] Eius Catal. apud Hotting. pag. 4.

ISMAEL Andaluſius *De lectionibus* opus confecit, quas ad Coranum inter commentaria ſive obſervationes Hottingerus refert, qui laudat in *Biblioth. orientalis* lib. 3. parte 2. cap. 2. [g]

[g] Pag. 162.

K

KOTOBI Caſtilienſis (hoc eſt, è Caſtellæ regno) ſcripſit aliquid *De theologia aſcetica*: inter cuius doctrinæ Scriptores, quæ Perſis maximè, & in iis Zophorum ordini potiſſimùm curæ eſt (Hottingerus ait) dedit huius auctoris & operis memoriæ locum lib. 2. *Bibliothecæ orientalis* par. 2. cap. 2. [h] Idem, nec diverſus eſſe videtur Katabus Caſtilienſis, qui in *Sunæ* librum ſummæ poſt Coranum auctoritatis inter Mahometanos quicquam ſcripſit, laudante eodem auctore [i].

[h] Pag. 207.

[i] Pag. 169.

L

LESANODDINUS, filius CHATIBI, videtur poſſe Hiſpanis Scriptoribus Arabicis annumerari, cùm Granatenſem conſcripſerit hiſtoriam, Hottingero teſte lib. 2. par. 2. cap. 2. *Bibliothecæ orientalis* [k].

[k] Pag. 269.

MA-

M

MAGRIBI Hiſpani *Commentaria in Coranum* ſervantur in bibliotheca Lugduno-Batava inter libros Warnerianos, ut in eius catalogo legitur [l].

[l] Pag. 333.

MOHIDDIN IBEN ARABI, vide ſuprà in ARABI.

MUGARIBUS Granatenſis. De eo Ioannes Leo Africanus in deſcriptione Africæ, ubi de Feſſæ urbis rebus, & in ea alchimiſtis agit [m], *Scripſit quoque* (ait) *eius artis* (chimicæ) *cantica ſeu articulos Mugaribus quidam Granatenſis, quem commentatus eſt Mammalucus doctiſſimus, patriâ Damaſcenus; ſic tamen ut multò faciliùs textum quàm commentaria intelligas.* Hæc ille. Paſchalis in *Bibliotheca medica*, & ex eo Petrus Borellus in *Bibliotheca chimica* pag. 164. laudant opus *Mugaribi* ſcilicet *Granatini articulos de alchimia per cantica deſcriptos, & in eadem commentaria Mammaluci cuiuſdam.*

[m] Pag. 352.

MUHAMMED ABEN ISAAC Iudæus profeſſione, commentarium quendam *De re medica* Toleti anno MCCLXV. elucubravit, qui inter libros regiæ bibliothecæ Eſcorialenſis erat, ut ex eius conſtat catalogo.

MUHAMMED IBEN CACIM IBEN ADEME EL GAFIQUE ſcripſit *De re medica* librum, quem abſolutum exſtare in Eſcorialenſi regia bibliotheca ſcriptum Malacæ anno à fuga DCCXCI. qui eſt annus Chriſtianus MCDXIII. ex eius catalogo apud Hottingerum conſtat.

MUSLIMUS Cordubenſis quicquam ſcripſit circa librum *Sunæ*, qui continet ius Muhammedicum univerſum, cæremoniale civile, & forenſe, ſummæ poſt Coranum (inter Muhammedi conſecraneos) auctoritatis ait [n] Hottingerus lib. 2. *Bibliothecæ orientalis* part. 2. cap. 2. qui hunc librum Muslimi paulò pòſt laudat.

[n] Pag. 169. & 170.

P

PHATECHADDINUS, filius SEID ALPHAS, Andaluſius (ut & Muslimus nuper laudatus) aliquid circa *Sunæ* Muhammedanorum librum ſcripſit, laudatus ab eodem Hottingero, ubi de *Muslimo*.

R

RASIS ſeu RASES. De hoc vide tomo I. pag. 503. num. 283. & ſeqq.

S

SAED, aliàs ALKADI SAED EBEN AHMED, Andaloſenus, iudex urbis Toleti. Hunc adducit ex quodam opere, ubi *De Arabum generibus* egit, Georgius Abulfaraius in *Hiſtoria dynaſtiarum*, quam habemus ex interpretatione Eduardi Pocockii in Anglia editam. Hic nempe auctor in *Dynaſtia* 9. hoc nomine eum vocat, adiuncto quòd iudex fuerit urbis *Tolaitelæ*, hoc eſt Toleti omnibus Arabicè ſcribentibus & Arabicum interpretantibus. Dynaſtiam hanc nonam, quæ ad Arabes & Mohammedanos ſpectat, Pocockius ſeorſum edidit [o], doctiſſimis Notis lectuque digniſſimis illuſtratam, ut noſtri homines non ignorent quàm ſubtiliter Arabum populi, etiamſi falſis præventi perſuaſionibus, & iniqua Corani lege excæcati, in omnes ferè quæ nunc in ſchola vigent philoſophicas theologicaſque quæſtiones ingenii aciem iecerint, & ſcriptis libris ſenſa quique ſua & ſectam cui adhærebant expoſuerint.

[o] Oxonii MDCL. in 4.

Quicquid autem Abulpharaius in fragmento iſto *De Arabum populis eorumque moribus*, quomodo inſcripſit opus interpres Pocockius, ex Saed Eben Ahmed ferè auſit, ut idem ait interpres in præfatione. Verùm autem huius Scriptoris nomen *Saed* fuiſſe exiſtimo, filii Ahmed, & Alkadi muneris eſſe vocabulum, quo nomine eum iure laudat Theophilus Spizelius [p]. Idem forſan eſt cum Abu Hamed, quem ex Bocharto ſuprà laudavimus.

[p] In fac. *Biblioth. illuſt. arcanis retectis*, ibique ſpecimine Bibliothecæ univerſalis in *Abulfaraio*.

SAIGH, aliàs ABEN, ſive IBNU SAIGH, Bæticus, de quo unicum Ioannis Leonis Africani teſtimonium, quod proferamus habentes, tranſcribere integrum, nonnullis gloſſæ in ſpeciem aliunde additis, è re lectoris duximus. *Ibnu Saigh in civitate Mariæ natus eſt.* Exſtat in Bæticæ ora *Portus S. Mariæ* in conſpectu Gadium: quod tamen oppidum nondum tempore iſto ditionis Chriſtianorum factum, vix potuit Chriſtianum hoc nomen iam accepiſſe, cùm ante Maurorum in Hiſpanias ingreſſum (Romanorum ſcilicet an Hiſpanorum veterum nomenclatura?) ſive *Meneſtei*, ſive *Gaditanus portus*, appellatus vulgò exiſtimatur [q].

[q] Carus in *Chorographia Conventûs Hiſpalenſis* c. 28.

Cuius anteceſſores fuerunt Hebræi, qui maximus inter philoſophos & medicos erat; quam quidem didicit ab Ibnu Soharſen (fortè *Ibnu Zohar*) *philoſophiam autem à Maſlama. Compoſuit librum epiſtolarum, & alios quamplures, inter quos compoſuit epiſtolam Cervæ, quæ Arabicè dicitur* Epiſtola Simonis (*fortè* Tinonis, *à*..... *quod* lutum *ſignificat*) *quoniam nomen habuit ab eo qui natus eſt ex luto. Edidit etiam* Epiſtolas *ad fratres claros in vita* (lego *in via*) *philoſophorum, quæ omnia ſa-*

pientiâ ſcientiaque humanâ plena ſunt. Commentatus eſt etiam librum Euclidis & quando pater Averrois fuit iudex Cordubæ dictus Ibnu Saigh, miſſus fuit in carcerem propter hæreſin. At multi principes pro eo deprecati ſunt, eoque à iudice liberatus eſt. Dixit Ibnu Giulgiul (in *Philoſophorum vitis*, quem eius librum ſæpè auctor laudat) *Neſcit pater Averrois filium ſuum eo multò peiorem fore. Mortuus eſt anno quingenteſimo* (Hegiræ ſcilicet) *in civitate Mariæ provinciæ Bæticæ.* Hucuſque Ioannis Leonis elogium.

Circa id verò quod de patria, eodemque emortuali huius docti philoſophi loco ſuprà diximus, an ſuſpicari lubet, non alium deſignari à Leone quàm hodiernum *S. Mariæ Portum*? quod quidem eò referendum ſit, ut vel antiquæ ſub Mauris appellationi recentiorem ſibique bene notam Leo ſubrogavit, vel iam olim Gothi, aut Gothis ſuperiores Bæticæ incolæ Chriſtiani, Deiparæ Virginis nomine hunc locum vocaverint; quod nomen ſibi aliàs, quamvis infidelibus venerationi habitum, conſervaviſſe Mauros, à vero non abludit. Nam in *Geographia Nubienſi*, cuius auctor hoc eodem vixit ſæculo [r], mentio eſt *Faucium S. Petri*, hoc eſt illius anguſti freti, quo Gadium inſula à continenti ſeparatur, ubi nunc viſitur *S. Petri* dicta inſula.

[r] Præfationem conſule Gab. Sionitæ & Io. Heſronitæ ad ſuam editionem Pariſien. anni MDCXIX.

Quinimmo ſub Maurorum eadem ditione conſervabat nomen ſuum à Maria Deipara olim ei dictum, cum cognomine quodam à novis incolis Arabicè loquentibus impoſitum, *Civitas S. Mariæ de Hairum* in Luſitaniæ, ſive Algarbiorum regni ora maritima, quæ meridiem ſpectat, eo ſcilicet anno quo Anglicas quaſdam naves Riccardum Regem in Palæſtinam vecturas illac tranſire contigit. *Deinde tranſierunt* (ait Rogerus de Hoveden in Annalium poſteriori parte [s]) *per civitatem paganorum, quæ dicitur S. Mariæ de Hairum*, &c. cum iis quæ ſequuntur, ad rem valdè aptis quam proſequimur, aſſerendi Aben Saigh patriam S. Mariæ hodiernum Portum. Quominus autem non ſtatim hac via ſpontè incedamus, facit ſilentium de hoc oppido in eadem *Geographia Nubienſi*; cuius auctor iter ab *Inſula viridi* quæ ad fretum fuit Hiſpalim uſque idque maritimum deſcribens, nullam huius oppidi S. Mariæ mentionem fecit. Cùm verè omnem oram huius tractus maritimam veluti deſcripſerit.

[s] In *Anglicarum rerum Scriptor.* Francofurti editis MDCV. pag. 670.

Nec abſtinebo meam huc loci deve-

niens operam in conferendo cum Arabe iſto geographo præſentem huius oræ & locorum conſpectu. *Ab inſula viridi ad Siviliam* (inquit [t]) *habetur iter quinque dierum, & inſula viridis*, Arabicè *Gezira Alhadra* (ut notavit Rodericus Toletanus lib. 3. cap. 19.) eſt locus ille, quo veſtigia urbis, olim *las Algeziras* dictæ, conſpiciuntur. Faciem loci deſcribit paulò antè idem geographus: *Inter inſulam Tarif & inſulam viridem intercedit ſpatium xviij. paſſuum millium. Egrediens enim ex inſula, deveniens ad Vadi-lneſa amnem fluentem, indeque ad inſulam viridem, quam fluvius interſecat, fluvius Mellis vocatus; eſt enim dulcis, & potum civibus adminiſtrat.* Non potuit expreſſiùs oppidum *las Algeziras* deſtructum hodie ſignificari.

[t] Climatis 4. 1. part. pag. 154.

Inſula Tarif urbs eſt *Gibaltar* hodierna, corrupto nomine à *Gebel*, quod eſt *mons*, & *Tarif* [u], ſeu *Tarec*, filio Abdallahi Maurorum duce, qui copias eorum in Hiſpanias hac parte invexit, ut apud eundem auctorem ſtatim [x] legitur. Hanc non ideo *Gezira* inſulam vocat urbem, quòd inſula ſit, ſed quòd Arabes verbo iſto pro urbe etiam utuntur [y]. Nec parum melius ab hoc uſu Algeiræ urbis Africæ notiſſimæ, *Geſeir*, hoc eſt inſulæ, ab Afris dictæ, nomenclaturam deduxeris, quàm (id quod Ioanni Leoni Africano valdè abſonè placuit [z]) ab inſulis Baleáribus, quibus adiacere eam dicit. Planè inter *Gibaltar* urbem & ſitum, ubi *las Algeziras* quondam fuere, XVIII. paſſuum millia geographus noſter, ubi duodecim non plus, hoc eſt quatuor leucas, novit recens geographia. Quæ differentia fortè venit ex diverſa paſſuum Arabes inter & nos menſura.

[u] Aliàs à Gebel Tar, quod eſt *Mons ſummus*, Alderete *Antig. de Eſpaña y Africa* lib. 2. cap. 2.

[x] Eadem pag. 154.

[y] Notat Alderete eiuſdem operis lib. 4. cap. 3. pag. 524. Aliter tamen Didacus de Haedo in *Hiſt. urbis Algerienſis* Hiſpana in *Deſcriptione*.

[z] In *Deſcriptione Africæ* lib. 4. *De Algeira*.

Locus tamen quòd idem ſit, ex his quæ ſubſequuntur ſignis patebit. Egrediens enim ex inſula (*Tarif*) devenies (inquit) ad *Vadi-lneſa* [a] *amnem fluentem.* Hic unus è duobus eſt fluviis, qui hoc in ſpatio mare ſubeunt; quorum prior à Gibaltar duabus leucis, *Guadarranque*; ulterior unà abhinc leucâ, *Rio de Palmones*, audiunt. *Indeque ad inſulam viridem, quam fluvius interſecat, fluvius* (inſit) *Mellis vocatus.* Non potuit inſulam, ſed urbem fluvius ſecare, hoc eſt in duas partes dividere. Hic ſanè fluvius antiquum vel hodie nomen retinens, ac *de la Miel* vocatus, bipartitam urbem *las Algeziras*, ideo dictam plurativo numero, utrimque habuit. Sed pergamus in legenda ora, ſeu itinere maritimo ab inſula Viridi ad Siviliam, hoc eſt Hiſpa-

[a] *Flumen mulierum.*

lim, iuxta geographum anonymum deſcribendo.

Ab inſula viridi ad Arenas, quæ in mari cernuntur, indeque ad oſtium fluminis Barbate, xxviij. habentur millia paſſuum.

Exſtat nunc oppidum *Barbate* in hac ora, quindecim tamen leucarum intervallo à fluvio *de la Miel* & *Algezirarum* loco diſſitum, quæ XLV. paſſuum millia conficiunt. Error forſan in geographi milliarium ſedit numero.

Ad oſtium fluminis Vacca ſex millia paſſuum.

Totidem, hoc eſt leucæ duæ, inter *Barbate* & *Conil* oppidum numerantur; iuxta quod tamen nullum recentiores geographi fluvium agnoſcunt.

Tum ad fauces S.Pietro *dictas xij. millia paſſuum.*

Hæc eſt inſula *S. Petri*, iuxta breviſſimum inter Gades inſulam & continentem ſpatium, quod trium arcuum ſternitur ponte, *de Suazo* vulgò dicto. Huc tamen loci à *Conil* iam laudato oppido, nonniſi duarum leucarum, ſex millium ſcilicet paſſuum, conſtitui ſolet intervallum.

Inde ad Alcanater (*Arcus*, ſive *pontes* vertit interpres) *quos fretum ſex milliaribus in latitudinem porrectum ſeparat ab inſula Gades, quam proſpectant xii. quoque mill. paſs.*

Nihil variat ferè numerus leucarum, quas à ponte *de Suazo* ad oſtium fluminis *Guadalete*, quod urbem *Portus S. Mariæ* dictam alluit, interiacet, nec ab eo quod Nubienſis notat ſex milliarium ſpatio abludit ſinus maris illius, quod ad Gadium uſque inſulam ſolventes è Portu traiiciunt, latitudo. Quare hîc conſtituendi ſunt, ubi Lethe fluvius in mare influit, *Alcanater*, ſive *arcus* aut *pontes* geographi. Convenitque hodierna loci facies. Veſtigia enim & pilæ magni cuiuſdam pontis in oſtio ipſo fluminis, quod Maurorum fortè opus fuit, conſpiciuntur. Indeque ad *Rotam* oppidum, quod *Speculam Rotæ* Nubienſis appellat octoque millium paſſuum intervallo diſſitum ponit, leucarum duarum ſpatium hodie ſtatuimus.

Nec tamen (ut iam poſt aliquantum à via diſceſſum ad Aben Saigh redeamus patriam, & iudicium noſtrum, ex coniectura tamen, proferamus) contendat aliquis ex ſilentio geographi, Mariæ oppidum, rerum cùm Mauri potirentur, nullum hic exſtitiſſe. Oram enim legentibus maritimo itinere opus non fuit appellare urbem, quæ quidem ſi ab eo quod olim fuit, loci nîl mutavit, adverſo flumine ab oſtio ipſo ſemileucâ diſtabat. Inclinamus ergo, ut non de alio oppido quàm de iſto loquutus ſit Ioannes Leo, ſive is quem ille in prodenda Aben Saigh patria ante oculos habuit; nec aliter intelligendum eſſe quàm de inſtauratione loci iam olim habitati, Alphonſi Regis X. cognomento *Sapientis* circa hunc operam; cuius Stephanus Garibaius lib. 13. cap. 9. & Ioannes Mariana lib. 13. cap. 15. meminere.

SAMUEL EBEN IUDA. De eo Georgius Abulpharaius in *Hiſtoria dynaſtiarum*, dynaſt. 9. [b] *Hoc tempore* (ait loquens de Califa Almoſtadio Almoſtaniedi filio, qui an. Hegiræ DLXVI. hoc eſt Chriſti MCLXXXVIII. regnum ſuum inchoavit [c]) *è medicis in oriente celebribus fuit Samuel Ebn Iuda Mogrebinus* (occidentalem ſonat) *Andaloſenus, medicus Iudæus, qui unà cum patre in orientem venerat. Pater aliquid in philoſophia didicerat. Filius verò ipſius Samuel varias philoſophiæ ſpecies legit, & ſcientiis mathematicis operam navavit, earumque fundamenta, & quicquid in eis utile & rarum eſt, probè calluit. Suntque ipſi his de rebus libri.*

Libros etiam in arte medica compoſuit *in Adarbijanum* (Mediam, ut interpretatur Pocockius ad Alfargani elementa [d]) *migrans operam collocavit Pahlavvanidis & imperii ipſorum principibus. In urbe Maraga commoratus, ubi filios genuit, qui eius veſtigiis in medicando inſtiterunt. Deinde Iſlamiſmum* (Muhammediſmum) *amplexus, librum compoſuit ad retegenda Iudæorum vitia, & locos unde conſtaret illos legem immutâſſe. Obiit Maragæ prope annum quingenteſimum ſeptuageſimum.* Hæc ille. At hic eſt annus Chriſti MCXCII. Maraga autem eiuſdem provinciæ Adarbigianæ urbs, ſive Media, cuius ſæpè alibi Abulpharaius idem meminit.

SIEKOURI LACHMENS Granatenſis, *De remediis morborum omnium partium humanarum* ſcripſit commentarium, qui exſtat Arabicè in bibliotheca Leidenſi inter libros Warnerianos, cum Iben Chatiji *Praxi medica*, de quo ſuprà. Vide huius catalogum [e].

[b] Pag. 298.

[c] Pag. 265.

[d] Pag. 226.

[e] Pag. 318.

Z

ZOURUS neſcio, quis SAPIENS cognominatus, qui ab Alphonſo Garzia Matamoros in *De academiis & doctis viris Hiſpaniæ* inter Arabo-Hiſpanos laudatur, non eſt alius ab Aben Zoar.

FRAG-

FRAGMENTUM
CHRONICI FLAVII MARCI DEXTRI
MAXIMI CÆSARAUGUSTANI EPISCOPI
EIUSDEM CHRONICI CONTINUATIO:
EUTRANDI TICINENSIS DIACONI CHRONICI,
SIVE SUPERIORUM CONTINUATIONIS FRAGMENTUM.

Hoc est germana & legitima, si quæ è Germana, & Fuldensi bibliotheca in Hispaniam superiore sæculo transmissa sunt, horum historicorum monumenta.

Ex codice, qui Gasparis Escolani Valentini historici olim fuerat, postea D. Ioannis à Fonseca, serenissimi deinde Ferdinandi Hispaniarum Infantis, & nunc Estepani Marchionis in bibliotheca adservatur, fideliter exscripta.

CHRONICON FLAVII MARCI DEXTRI ACEPHALON.

Chronici nuncupatoria epistola occurrit ante alia: non parùm tamen ea mihi suspecta.

Sanctissimo domino Paulo Orosio presbytero Tarraconensi Flavius Marcus Dexter.

POsteaquam ex oriente [ubi, sicuti nôsti, Præfectus prætorio fui [a]] domum redii, cœpit me vehementer tædere functionis munerum publicorum, totumque me converti ad ea studia, in quibus bonam vitæ meæ partem transegi, si non cum laude, citra notam pudoris tamen. Porrò *Omnimodam historiam*, quam ab orbe condito ad hæc nostra tempora [b] produxeram, & S. Hieronymo dedicaveram, quoniam ad manus eius iam defuncti pervenire non potuit, auctam & locupletatam tibi nuncupo, ut historiarum Scriptori, & patris mei amantissimo. Vale.

[c] AUGUSTO ET SYLVANO COSS. CHRISTUS NASCITUR. ANNO URBIS DCCLII.

Iacobus ad Hispaniam venit. XXXVI.

Iacobus reliquit in Hispania Athanasium Cæsaraugustæ, & Petrum Bracaræ Episcopos. XLV.

Petrus ad Hispaniam venit, & Sexi-Firmi [d] Episcopum reliquit. LVII.

Prima sub Nerone persecutio. Multi ubique patiuntur. LXV.

Paulus in Hispaniam venit [e].

S. Maria Magdalena in Gallia moritur. [f] XXXI.

Mantius Christi discipulus Eborensibus in Lusitania prædicat. LXXXII.

Theodosius primus Barcinone Episcopus floret. LXXXVI.

Marcus Marcellus, Marci Marcelli Urbis Præfecti filius, qui & Eugenius, quondam S. Petri Apostoli, postea verò S. Clementis Papæ discipulus, ab eodem & Dionysio Areopagita missus in Hispaniam prædicat, & Toletanos docet. XCV.

S. Mantius sub Pallidio patitur. CIII.

S. Pelagius Episcopus Toletanus XXIV. annos. CXXXII.

S. Victor Barchinonensis Episcopus. CXLII.

Patruinus fidelis Dei servus Toleti Episcopus XIX. annos. CXVI.

Facundus & Primitivus ad amnem Coam [g] patiuntur. CLXXI.

Turibius Toletanus Episcopus pro Fide multa patitur XXVIII. annos. CLXXXIV.

Lucius Barchinonensis quatuor annos. CLXXXVIII.

Fulca Barchinonensis Episcopus XII. annos. CC.

Vincentius Toleti XVIII. CCII.

Adeodatus Barchinonensis.

Theodorus Barchinonensis.

Leodegarius Carcilonensis.

Parelatus [h] Toletanus.

Lucius XXIX. Barcilonensis ad annum CCL.

Alexander Barcilonensis.

Albertus [i] Barcilonensis.

Armegaldus Barcilonensis.

Gandemarus Barcilonensis.

Olympius Toletanus Episcopus ad annum CCCXLVIII.

Severus Martyr Barcilonensis.

Pater meus.

Cætera desunt ad annum CCCL.

[a] (An. CDXVI.) hæc nota hîc inserta legitur, quam ut peregrinam huc secedere fecimus.

[b] (Idest, ad an. CDXXX.) æque hanc notam, ut superiorem, à textu epistolæ migrare huc fecimus.

[c] Consequuntur epistolam brevia hæc summaria diligissimorum memoria eventuum, quarumdamque in Toletana & Barcilonensi Ecclesiis successionum, quas excerptor præcipuas habuit.

[d] *Expeneti* nomen fortè prætermisit properans excriptor.

[e] Deest numeralis nota.

[f] Fortè LXXI.

[g] *Caamnè?*

[h] *Paulatus* inferior multò est: quare nil muto.

[i] Inauditum eo tempore nomen.

Deinde ordinatè & integrè gestorum series, & in dextro latere urbis conditæ, in sinistro CHRISTI anni curiosè digesti.

1102 Occiso Constante Magnentius tyrannus imperium occidentis invadit.
1103 Olympio decrepito Episcopo Toletano Audentius, acri vir iudicio & mira eruditione, succedit. 350 351
1104 Hosii diligentiâ Cordubæ Synodus collecta in causa Athanasii. Interfuerunt illi Audentius Episcopus Toletanus, Sempronianus Hispalensis, Augustalis Illiberitanus, Costus Cæsaraugustanus, Annianus Castulonensis, Domitianus Pacis-Augustæ, Florentinus Emeritensis, Prætextatus Barcinonensis, & alii numero quadraginta, Hosio præside, qui omnes Athanasium præsentem [x] absolverunt. 352
1105 Synodus Mediolanensis contra Athanasium.
1106 Liberius Papa á Constantio Augusto in exsilium mittitur. Liberio pulso Felix intruditur. 353
Hosius Cordubensis exsulat. 354
1108 Synodus Ancyrana. Concilium Sirmiense. Hosius minis & verberibus exterritus hæreticis consentit. 356
1109 Hosius se Catholicum testamento posteritati testatus, maior centenario decedit Cordubæ. 357
1110 Felix Papa causâ Fidei martyrio coronatur.
1111 Synodus Ariminensis. 358
1112 Synodus Achastanorum [Acacianorum] Constantinopolitana. 359
1113 Synodus Cæsariensis. Iulianus imperium iniit. 360
1114 Constantius Imperator obiit. 361
Scribit Audentius Toletanus Episcopus contra Arianos. 362

x Forsan *præsentes*, ut significetur interfuisse & aliorum procuratores.

IULIANUS IMPERATOR.

Synodus Alexandrina.
1115 Martinus militare incipit. Synodus Macumena [l]. 363
Iulianus occiditur. Illi succedit Iovinianus [m].
1116 Synodus Laodicena [n]. 364

l Fortè Antiochena; de qua Baronius hoc anno sect. 140. Meminit Eusebium continuans Hieronymus anno CCCLXVII.
m Iovianus.
n De qua dubitat Baronius in appendice tomi 4.

VALENTINIANUS IMPERATOR.

1117 Synodus Arianorum Lampsacena.
1118 Damasus ex Hispania Lusitanus post Liberium in Sede Romana locatur. 365
1119 Ursicinus [Antipapa] causâ decidit. 366
1120 Synodus Romana contra Arianos. 367
1121 Ambrosius Mediolanensis Episcopus consecratur. 368
1122 Evagnus [o] Episcopus Homousianus Athanasio succedit. 369
Basilius Magnus Cæsareæ Episcopus obiit. 370
1123 Petrus Homousianus floret.
1124 Gregorius Nazianzenus Episcopus dictus floret theologus. 371
Aquilius Severus Toletanus floret. 372
1125 Synodus Valentiæ in Gallia. 373
1126 Achilius Severus in Hispania claret, *Toleti natus* [p] *regit*. 374
1127 Valentinianus Imperator obiit creato Gratiano Imperatore. 375

o Athanasii successor fuit Petrus, de quo statim.

GRATIANUS IMPERATOR.

1128 Dorotheus Arianus Episcopus Antiochenus.
1129 Ulphilas Gothorum Episcopus, qui & literas eorum invenit. 376
1130 Priscillianus Hispanus hæreticus, audax, laborum patiens, subdolus & arrogans. Hoc anno Valens occiditur. 377 378
1131 Igitur [q] Valente à Gothis in Thracia concremato, cum fratre Valentiniano Gratianus regnat annos sex. Hic parvulum fratrem habens regni consortem probatæ ætatis virum, Theodosium Hispanum in regni societatem adsciscit. Hic Gratianus valdè religioni favens & Ecclesiis, per omnia promtus fuit. 379
1132 Martinus Turonensis Episcopus Apostolicis virtutibus insignis habetur.
1133 Theodosius in orientis partibus rempublicam reparavit. 380
1134 Maximinus [r] tyrannus in Britannia à militibus Imperator constituitur. 381 382
Incursantes Pictos & Scotos Maximus strenuè superavit.
Priamus quidam regnat in Francia [s].
Meritæ [t] in Lusitania Idatius Concilium habet.
Synodus Cæsaraugustæ cogitur contra Priscillianum hæreticum: illi præfuit Fœtiadius [u] Episcopus Aquitanus. Interfuere Delphinus Burdegalensis, Itatius Emeritensis, Ithatius Ossonobensis, Audentius Toletanus, & alii Hispani & Aquitani; in his Martinus Episcopus Turonensis.
1135 Ambrosius libros contra Arianorum perfidiam luculentissimos ad Gratianum Augustum scribit. 383
Audentius Episcopus Toletanus [x] contra Priscillianum, & Gnosticorum fæditatem libris editis egregiè depugnat.
1136 Maximus in Gallias transfretavit, & conflictu contra Gratianum habito, eundem fugientem [y] necat. Post Damasum [z] Syricius Romanæ Ecclesiæ regimen accipit. 384

q Abhinc Prosper incipit Aquitanus ferè iisdem verbis ex edrione Pithœi & Labbei in Bibl. MS. vol. I. pag. 56. excepto quòd non utitur in margine, nisi annis Imperatorum. Notabimus nos quænam sequentium in eo desint.
r Immo *Maximus*, ut statim.
s Addit Prosper: *quantum altius colligere potuimus.*
t *Emeritæ.* Deest id in Prospero, cum sequenti nota de Concilio Cæsaraugustano.
u Phœbadius.
x Rem Hispaniæ propriam omisit Prosper.
y Lugduni adiunxit Prosper.
z Deest in Prospero.

THEODOSIUS IMPERATOR.

1137 Maximus timens orientalis imperii principem [a] cum Valentiniano fœdus iniit. 385
Burdigalæ coacta Synodo damnatus Priscillianus ad Maximum provocat [b].
1138 Iustina mater Valentiniani Arianis favens in Ambrosium, & omnem Mediolanensem Ecclesiam diversa injuriarum genera congerit. 386
Reliquiæ Gervasii & Protasii ab Ambrosio primùm Mediolani repertæ.
1139 Hymni ab Ambrosio compositi. Qui numquam antè ab Ecclesiis Latinis modulis canebantur. 387
Maximus indignum ducens contra Ecclesiæ statum agi, locum rumpendi, quod cum Valentiniano iunxerat, fœdus reperit. Valentinianus veritus imminentem iam cervicibus suis tyrannum ad Theodosium confugit.
Augustinus Mediolani rhetoricam apprimè docens, omissis scholis, ad Fidem rectam convertitur, cùm antea Manichæus fuisset.
1140 Theodosius cum exercitu in Italiam transgrediens Maximum interfecit, & Valentinianum proprio regno reddidit. Iustina, quæ Ecclesias vexaverat, ne regnum cum filio reciperet, morte præventa est. Immane Thessalonicæ gestum facinus extincti populi egregio pœnitentiæ exemplo Imperator religiosus elicit [c]. Galla Placidia Theodosio nascitur. 388
1141 Hæresis Apollinaristarum ab Apollinari cœpta. Prima [d] Synodus Arausicæ collecta, cui Hilarius præfuit. Interfuere Audentius Toletanus Episcopus, Augustanus Illiberitanus, Theodosio Augusto II. & Cynegio Coss. 389
1142 Ariani, qui totum penè orientem atque occidentem commaculaverant, edicto gloriosi principis Ecclesiis expoliati. Quæ catholicis deputatæ sunt. 390
1143 Ioannes [e] Ægyptius monachus, qui ob vitæ puritatem gratiam prophetiæ à Domino meruit, insignis habetur. 391
Paciano Barchinonensi Episcopo parenti meo succedit Lampius, & Augustano Illiberitano Maturius [f]. Apud Alexandriam defuncto Petro Timotheus [g], & post hunc Theophilus, Episcopi constituuntur. Hierosolymis post Cyrillum Ioannes [h] Ecclesiam recipit. Apud Antiochiam defuncto Meletio substituitur Flavianus [i].
1144 Ingens inter nostros contentio suborta, quòd scilicet Episcopi qui ab hæreticis depulsi fuerant nollent iis ab Imperatore delectis alios quàm se substitui sacerdotes. Terribile in cælo signum columnæ per omnia simile apparuit. 392
1145 Apud Alexandriam templa destructa, in quibus Seraphis [k] antiquissimum & notissimum templum, quod quasi quædam columna ruentem sustinebat idolatriam.
Maturio [l] Illiberitano Gregorius Episcopus ex Præfecto prætorio Galliarum substituitur.
Valentinianus Viennæ ab Argobausto [m] Comite suo extinguitur [n], in cuius locum Eugenius tyrannidem invadit.
1146 Ad vindicandum Valentiniani interitum [o], & opprimendam Eugenii tyrannidem Theodosius in Italiam transgreditur aperto Dei favore, & conspirantibus in id ipsum elementis. 393
1147 Audentio [p] Asturius Toletanus succedit. 394
Eugenio superato Theodosius undecimo [q] sui regni anno diem obiit.

a Theodosium quod Prosper expressit.
b Prosper: *Arcadio & Bautone Coss.* is scilicet quem communiter Eusebiano, & Hieronymiano adnectunt Chronico, non hic noster, in quo id desideratur.

HONORIUS IN OCCIDENTE.

1148 Constantinopolis imminentem iram Dei [r] igne super nube terribiliter fulgurante formidans, toto ad pœnitentiam animo conversa subterfugit. 395
Rufinus Bosphoritanus [s] cùm ad summam militiam pervenisset, sibi præfecti Stiliconem non ferens, ab eodem interficitur, Hunnorum [t], quo fulciebatur, præsidio superato.
Claudianus poeta admiratione dignus habetur.
1149 Gildo Africanus [u] rebellione commota consueta Romanis stipendia subtrahit. 396
[x] Vigilantius hæreticus natione Gallus Barcinonensem maculat Ecclesiam, contrà quem Hieronymus, & alii [Hispani [y]] doctores editis libris fortissimè dimicant [ex quodam Chronico].
1150 Prudentius lyricus poeta [Hispanus [z]] noster ingenii sui robur exercet. In pervigilio pascatis [a] Ambrosius Mediolanensis decedit. 397
Emerio Episcopo Tarraconensi Paulus Episcopus ex monacho sufficitur, homo impensè turbulentus, inquies, & negotiator. Rufus ex laico Episcopus in Hispania creatur [b], qui post aliquot annos Pseudo-Christum quendam adorans deponitur.
[c] Magister militiæ in Mauritania interficitur, Africa ad pristinum ius redacta.
1151 Anasthasius XL. Papa Syricio succedit. Toto orbe Romano [d] antiqua superstitionis templa destructa. Paulinus Romanus [e] à Lampio Barcinonensi Episcopo factus presbyter, postmodum vero Episcopus, admirabili exemplo venditis omnibus, cùm esset dominus innumerabilium prædiorum, religionem expeditus eligit. 398
1152 Ioannes Constantinopolitanus Episcopus dictis factisque clarescit. Martinus post egregiè actam vitam corpore exuitur [f]. 399
Pelagius Britannus [g] doctrina exsecrabili Ecclesias maculare conatur. Frequentes Synodi Toletani [h] habentur. Simplicianus Mediolanensis Episcopus floret.
1153 Contentio ex doctrina Origenis Synodum apud Alexandriam [i] movit, cuius exit sententia, ut extra Ecclesiam fieret quicumque supradicti viri opera probavisset. 400
Romanæ Ecclesiæ cathedram Innocentius XLI. tenet [k].
Asturius Toletanus corpora Iusti & Pastoris martyrum [l] Compluti divinitùs invenit.
1154 Solis [m] defectio. Augustinus Episcopus Hipponensis plurima libris innumerabilibus disputat. 401
1155 Severus ex disciplina S. Martini ejus Vitam tribus [n] explicat libris. 402
1156 Sæva Italiæ barbarici motus tempestas incumbit: siquidem Radagaisus Rex Gothorum Italiæ limitem transgreditur. Ex hoc Ariani, qui Romano procul fuerant orbe fugati, barbararum nationum, ad quas se contulere, præsidio erigi cœperunt. 403

c *Eluit.* Ita Prosper.
d Desiderantur hæc in Prospero usque ad sequentis anni res gestas.
e Hujus meminerunt Rufinus 2. 32. Theodoretusque 5. 24.
f Mentio Paciani & reliquorum Hispaniæ Episcoporum deest apud Prosperum: qui tamen hic Damasi Papæ obitus, & Syricii exaltationis meminit.
g Baronium vide anno CCCLXXX. 16. & CCCLXXXV. 30.
h Baron. CCCLXXXVI. 57.
i Baronius CCCLXXXI. 40. & 51.
k Serapidis vid. Baron. CCCLXXXIX. 73.
l Desideratur hoc in Prospero.
m *Arbogaste.*
n Baron. hoc eodem an. CCCXCII. 3.
o Paululum discedit Prosper.
p Abest à Prospero.
q Numeralis nota XVI. aut XVII. (quot annis regnavit) facili errore declinavit in XI. certè ita est in Prospero, uti nos editum habemus hunc Dextri locum.
r Baronius CCCXCVI. 4.
s Mirum, cùm ex Claudiano lib. I. in Ruffinum, allisque *Eluranum* è Gallia fuisse constet.
t Meminit horum Claudianus.
u Prosper: *Africa in rebellionem* videtur legendum: *in Africa rebellione.*
x Deest in Prospero.
y Glossa videtur, quam comprobare glossographus volens, adjecit, *ex quodam Chronico.* quod auctor non solet.
z Abundat *Hispanus*, cùm idem importet *noster.* Sed Prosperum exscripsit, qui ita habet: *Poeta noster Hispanus genere.*
a Deest in Prospero Ambrosii obitus mentio: sicuti & Emerii Tarraconensis.
b Rem narrat Sulpitius Severus *De Vita S. Martini* cap. 25. non Prosper.
c Prosper habet: *Stilico magister militiæ Gildonem Mauritaniæ interfecit.*
d Baron. CCCXCIX. 54. hic tamen ponit Prosper Innocentii ingressum, nulla Anastasii habita mentione.
e Prosper: *Paulinus Nolanus postmodum Episcopus.* Romanum haud fuisse, sed Aquitanum, Uranius docet Vitæ eius Scriptor, & alii. Lampii non meminit Prosper: meminit Paulinus ipse ep. 45. ad Alipium.
f Baronius anno CDI. 49.
g Vix est ut hoc anno Pelagius grassari occeperit. Prosper habet: *Pelagius: vetanus.*
h Fortè excidit *& alibi.* Sed quæ occassione Toleti? Deest quidem id in Prospero.
i Baron. ad ann. CCCXCIX. 36.
k Baron. anno CDII. assumtam fuisse refert, sed Prosper ante biennium Innocentio Pontificatum addidit.
l S. Ildephonsus *De Script. Eccles.*
m Idatius Arcadii & Honorii anno VIII.
n Tria opuscula sunt non unius generis: vitæ, epistolæ, dialogi. Similiter omnino Prosper.

o Baronius hoc anno XLIII. Desideratur hæc nota in Prospero, uti & sequens de Ioannis Chrysostomi morte.

p Interserit hoc loco Prosper Cælestini Papæ initium.

q Baronius eodem anno sect. 53.

r Conjungenda videntur hæc ex Prospero, lacunaque complenda. *Uticæ in foro Traiani*; nisi legere mavis utrobique: *Urbe in foro Traiani*. Marcellinus tamen Comes Basso & Philippo Coss. contigisse hoc ait in *foro Facis*.

s Nestorius Felice & Tauro Coss. fuit ordinatus, hoc est post XX. fermè annos. Vide Baron. CDXXVIII. 19. Prosper habet: *vertitur*. melius.

t Deest Prospero.

u *Proculus* corrige: nam ita Prosper: *Proculus Massiliensis Episcop. clarus habetur. Quo annuente* &c.

x *Remedii* Prosper.

y Prosper *funditus attenuatæ Britanniæ Saxonum incursione devastatam Galliarum partem Wandali atque Alani vastavere.*

z Conjungit hæc Prosper cum sequentibus. *Quod reliquum fuerat Constantinus tyrannus obsidebat.* Deinde: *Hisp. p. m. Suevi occupavere.*

a Non meminit Prosper.

b Diversè ista in Prospero. *Iovinus tyrannidem invadit. Seorsimque Industria viri strenui, qui S. T. non cessit, Dardani Athaulphus qui post Alaricum Gothis imperabat, à societate Iovini avertitur.* Iovinum & Sebastianum fratres arripuisse tyrannidem referunt Idatius, & Comes Marcellinus.

c Desunt in Prospero, sicuti sequens de Toletanis Episcopis nota.

d Imò *Asturio*. Ita notatum erat in ora MS. quo usi sumus.

e Suspicor glossema esse, quod de præsentia Toletani Episc. dicitur in Concil. Carthaginensi.

f Discerpta hæc sunt à superioribus.

g *Sarus* non *Sallustius* forsan: *Sari* enim tyranni meminit Sozomenus lib. 9. cap. 13. Sallust. tamen est apud Idatium.

h Meminit idem Sozomenus 9. 13. & Orosius 7. 42. Deest tamen in Prospero.

i Cessa ei ab Honorio, ut ait Iornandes *De Reb. Geticis*.

k *Heraclianus*. sic enim vulgò audit.

l Prosper id non habet, sed Placidiæ hic meminit, ut postea dicemus.

m Prosper Tiro Labbeanus. *Prædestinatorum hæresis, quæ ab Austino accepisse dicitur initium* &c. Sed in margine Labbeus adnotat in Oyselliano quodam codice ita legi alfa mænu *ab Augustini libris male intellectis*, ut hic.

n Deest in Prospero mentio Gregorii.

o Prosper Innocentio hic Xystum subilcit, manifesto errore, & exscriptori adiudicando.

p Desideratur hæc nota in Prospero.

q Quæ de Placidia & Gothis à Constantio repressis hic noster ante prædestinatorum hæresis mentionem Prosper collocavit.

r Bonifacii non meminit Prosper; qui Zosimo successit.

s Deest Toletana hæc memoria in Prospero.

t Desiderantur hæc in Prospero.

u Prosper *Constantio dignitas imperii ab Honorio delata, qua vix viii. menstibus usus interiit, Valentiniano octo annorum filio derelicto.*

x Prosper *Honoratum, & Iovianum* appellat.

y Haud meminit Prosper; uti neque Aviti neque Orosii.

z Ante Placidiæ hanc mentionem recordatur Prosper, Maximi tyranni nempe. Qui antea notaverat Maximum tyrannum Hispaniarum dominatum vi obtinuisse, adiungit hoc loco: *Maximus tyrannus De regno deiicitur, ac Ravennam perductus sublimem spectaculorum pompam tricennalibus Honorii præbuit.* Cur autem noster omiserit, scire desidero. a Prosper: *& Roma in exilium relegata.* b Desunt hæc in Prospero. c Honorii obitus Prosper meminit & Ioannis tyranni. d Non meminit Prosper Toletanarum rerum: nec Cælestini Papæ. e Prosper: *Sigisvuldus ad A. c. Bonifacium properavit.* f Deest iterum hoc loco Ioannis tyranni mentio, quam Prosper habet. g Prosper habet: *Counnis*, suo more. h Nihil de eo Prosper. i Hæc ex margine huc transierunt, ex scholiis in contextum, quod apertissimum est.

1157	Multis antè vastatis urbibus Radagaisus occubuit, cuius in tres partes per diversos principes divisus exercitus aliquam repugnandi Romanis aperuit facultatem. Insigni triumpho exercitum tertiæ partis hostium circumactis Hunnorum auxiliaribus, Stilico usque ad internecionem delevit.	404
1158	Toleti Synodus o Episcoporum XIX. cogitur, cui Paternus Episcopus Bracarensis præfuit.	
1159	Ioannes Chrysostomus in exsilio moritur.	405
	Arcadius orientis imperium gubernans vitam explet, parvum admodum Theodosium imperii successorem relinquens p. Diversarum gentium rabies Gallias dilacerare exorsa q immissu quàm maximè Stiliconis indignè ferentis filio suo regnum negatum.	406
1160	Uticæ Hispaniæ r.	
	In foro Traiani terra diebus septem mugitum dedit. Inter alia multum reipublicæ morte Stiliconis consultum est, qui saluti Imperatoris tendebat insidias.	407
	Nestorius s Constantinopolis Episcopus ad hæresin, quæ Deum ab homine separat, revertitur.	
1161	Ioannes Comes Africæ occisus est à populo. Asturio succedit t Olympius Toletanus Episcopus, qui libris editis illustris evasit.	408
	Procultans u Massiliensis Episcopus clarus habetur. Theodosius, quo annuente, magna de suscepto adulterio Remedii x Episcopi quæstio agitur.	
	Hac tempestate præ valetudine y Romanorum vires funditus attenuatæ Britanniæ Saxonum incursione.	
1162	Devastatam Galliam, partim Wandali, partim Alani vastavere z.	
1163	Constantinus tyrannus obsidebat Hispaniarum partem maximam, quam Suevi occupavere.	409
	Ipsa denique, orbis caput, Roma prædationi Gothorum fædissimè patuit.	410
	Paulus a Orosius Tarraconensis hortatu Augustini historias scribere incipit.	
1164	Constantinus tyrannus occiditur. Rursus alia prædatio Galliarum, Gothis, qui Alarico duce Romam ceperant, alpes transgredientibus.	411
1165	Iovinus b tyrannidem invadit industriâ viri strenui, qui solus tyranno non cessit, Dardani.	412
	Provincia c Carthaginensis Hispaniæ in Toletanam, seu Carpetanam, & Carthaginensem dividitur.	
	Olympio d Toletano Præsuli Pentadius sufficitur, qui e cum Patribus in Concilio Africano collectis Pelagium damnat. Vincentius Cæsaraugustanus Episcopus Valerio subrogatur, Athaulphus f, qui post Alaricum Gothis imperabat, à societate Iovini avertitur. Sallustius g quoque & Sebastianus occisi.	
1166	Valentia nobilissima Galliarum civitas à Gothis effringitur, ad quam fugiens se Iovinus contulerat.	413
	Maximus h tyrannus dominatum Hispaniæ vi obtinet.	
1167	Aquitania i Gothis traditur. Patroclus Arelatensis Episcopus infami mercatura sacerdotia vendere ausus.	414
	Heraclius k Comes Africæ, qui ad Romanæ urbis reparationem strenuum exhibuerat ministerium, nova quædam molitus interimitur.	
1168	Tumultus l in Hispania magni.	415
1169	Prædestinatorum m hæresis, quæ ex Augustini libris malè intellectis accepisse dicitur initium, iis temporibus serpere exorsa.	416
	Gregorius n Cordubensis Episcopus literis & sanctimoniâ clarus.	
	Mortuo Innocentio o Zosimus Pontifex maximus sufficitur. Olympius p Toletanus Comes Africæ.	
1170	Placidia q soror Imperatoris, priùs captiva, postea Regis uxor, Rege fraude sublato, postmodum Constanti connubio iungitur.	417
1171	Gothi cùm se iterum Athaulpho Barchinonæ perempto movissent, Constantis repelluntur occursu. Solis facta defectio. Bonifacius r Ecclesiam Romanam regit.	418
1172	Pentadio s vitâ defuncto Isitius regit Ecclesiam Toletanam. Signum cælo admirabile apparuit.	419
	Gregorius t Bæticus justum volumen de Fide Gallæ Placidiæ Augustæ dicat.	
	Constans u dignitate imperii decoratur: post octo menses relicto Valentiniano filio infante moritur.	
1173	Honorius, x Minervius, Castor, Iovinianus, singulorum monasteriorum patres, in Galliis florent. Vincentius y ex Palatino monachus fit.	420
1174	Avitus Tarraconensis presbyter floret.	
1175	Orosius peregrinationibus celebris habetur.	421
	z Galla Placidia, cùm insidias fratri tenderet, deprehensa est, Romam a ad exsilium deportata.	422
	Paulo Tarraconensi Episcopo b Bonifacius Caldaquensis ex Hispania Episcopus sufficitur.	

c THEODOSIUS IUNIOR ADHUC.

1176	Isitius d Toletanus successorem habuit Martinum, qui Concilio interfuit Africano. Cælestinus Papa Ecclesiam Romanam gubernat.	423
	Placidia ad Theodosium auxilium precatum mittit.	
1177	Siguiulphus e ad Africam contra Bonifacium. In Galliis Exsuperantius Præfectus à militibus occiditur.	424
	Muro Carthago circumdata, quæ ex tempore, quo vetus illa destructa est, sanctione Romanorum, ne rebellioni esset, munimento murorum non est permissa vallari f.	
	Aetius Gaudentii Comitis à militibus in Galliis occisi filius cum Hunnis g Ioanni opem laturus Italiam ingreditur. Toleti h fit monasterium [i Sancti Augustini dictum Sisla, ex Chronico Sancti Augustini MS.]	

	Valentinianus Romæ Imperator factus. Arelas à Gothis per Aetium liberat.	425
1178	Placidia tandem illata optato regno. Clodius regnat in Francia.	426
1179	Cassianus compertas in Ægypto vitas Patrum, doctrinasque, & regulas libris ad plurimos datis exponens, in Gallia floret.	427
1180	Aetius k Luthungorum gentem delere intendit.	428
1181	Viginti ferè millia militum in Hispaniis contra Wandalos pugnantia cæsa. Wandali in Afri-	429
1182	cam transfretantes laceratâ omni provinciâ Romanis cladem dedere.	
1183	Gregorius l Cordubensis moritur.	430

Explicit fragmentum Chronici Fl. Dex.

Hæ duæ m sequentes epistolæ erant post Chronicon in membrana pervetusta literis Gothicis scriptæ.

EPISTOLA
MAXIMI CÆSARAUGUSTANI EPISCOPI
AD ARGEBATUM EPISCOPUM PORTUGALENSEM.
PRO SUO CHRONICO.

Sancto & venerabili fratri Episcopo Argebato Maximus.

CUM essemus in urbe regia ad Concilium vocati à domino nostro gloriosissimo Rege Gundemaro, sæpe inter nos convenimus, cùm & sermo multus esset de historiis Regum Gothorum, quas non multò antè in lucem ederam, effiagitâsti à me satis verecunde, ut tibi continuarem Chronicon illud, quod nomine Dextri Barchinonensis circumfertur. Et cùm tu pro tua in me benevolentia, & mea in te observantia iubere potuisses; maluit sanctitas tua à me precibus contendere, quod quasi pro iure suo bene poterat iubere vel exigere. Feci quod iussisti, connectens seriem temporum more nostro per eras & annos Christi, prætermisique computandi rationem, quam per annos Urbis & Augustorum Dexter sequitur. Utinam tam diligenter fecerim imperata tua, beatissime Pater, quam conatus sum facere libenter. Perduxi namque rerum narrationem ab era CDLXIX. (hoc est post annum Christi CDXXXI.) ubi finem facit Dexter, produxique ad eram DCXLIV. hoc est usque ad mortem Regis Gundemari. Tu me, Pater, in orationibus tuis Christo commenda. Vale.

CHRONICON
MAXIMI CÆSARAUGUSTANI EPISCOPI
AB ANNO CDXXX.

ERA CÆS.		ANNI CHR.
468	n AUgustinus in Africa moritur.	430
469	o Hispania tumultuatur.	431
470	Asperitas frigoris etiam saluti plurimorum pernicies fuit.	432
	A consulatu Aetius edito Bonifacium, qui à Regina p accitus ex Africa fuerat, declinans ad munitiora contendit.	
	Bonifacius contra Aetium certamine habito percussus, victor quidem, sed moriturus abscedit.	
	Cùm ad Hunnorum gentem, cui tunc Rugila præerat, post prœlium se Aetius contulisset, impetrato auxilio ad Romanum solum revertitur.	
	Gothi ad ferendum Romanis auxilium acciti.	
	Germanus Episcopus Antisiodorensis virtutibus & vitæ districtione claruit.	
471	Aetius in gratiam receptus. q Regila Rex Hunnorum, cum quo pax firmata, moritur, cui Bleda succedit.	433
472	Gallia ulterior Tibatonem principem rebellionis secuta, à Romana societate discessit, à quo tracto initio omnia penè Galliarum servitia in Bagaudam conspiravere.	434
	Isidorus r Cordubensis Episcopus moritur.	
473	Bellum contra Burgundionum gentem memorabile exarsit. Quo universa penè gens cum Rege Peresio s deleta.	435
474	Capto Tibatone, & ceteris seditionis, partim principibus victis, partim necatis, Bagaudarum commotio conquiescit.	436
	t Athaulpho Sigericus, Sigerico Walaia, Walaiæ Theodericus u, Reges Gothi succedunt.	
	Interea à Wandalis x Carthago deletur.	
475	Castinus y post Martinum Toletanus Episcopus efficitur.	437
	Theodosianus liber omnium legum legitimorum principum in unum collectarum hoc anno editus.	
	Lampio z succedit Bangius Episcopus Barchinonensis.	

Sil-

k Labbeus edidit *Ibutungorum* Apud Idatium Iutungi sunt.

l Desideratur hæc nota in Prospero.

m Excidit harum altera, Argebati forsan ad Maximum.

n Chronicon istud Maximi nomine insignitum ex eadem, ac superius Dextri tela. Prosperi Tyronis formatum scias, usque ad ann. CDLVI. Christi. Reliqua aliunde sunt.

o Deest apud Prosperum.

p Deest.

q Rugila Hunnorum Rege, ut infrà. *Rugila*, sic in Prospero.

r Deest in Prospero.

s Omnino legendum *per Aetium*, uti habet Prosper juxta Idatii & P. Diaconi historias: nam Burgundionum Regem Diaconus Gundicarium vocat lib. 14.

t Deest in Prospero Regum Hispanorum hæc series.

u Aliis *Theodoredus*.

x Meminit excidii hujus Prosper, sed non loco isto sed post VII. annos.

y Castini haud recordatur Prosper.

z Desunt in Prospero.

Silvius turbatæ admodum mentis post militiæ in palatio exacta munera, aliqua de religione conscribit. a

476 Pacatis motibus Galliarum Aetius ad Italiam regreditur.

477 Deserta Valentiæ [in b Hispania] rura Alanis, quibus Sambida præerat, partienda tra- 438
duntur. 439

Sabino c Hispalensi Episcopo expulso Epiphanius intruditur.

Britanniæ usque ad hoc tempus cladibus eventibusque laceratæ in ditionem Saxonum rediguntur.

478 Ecclesiæ Romanæ Leo XLV. d recipit principatum.

479 Alani, quibus terræ Galliæ e ulterioris cum incolis dividendæ à Patricio Aetio traditæ fue- 440
rant, resistentes armis subigunt, & expulsis dominis terræ possessionem vi adipiscuntur. 441

480 Sapaudia f Burgundionum reliquiis datur cum indigenis dividenda.

Carthago à Wandalis capta cum omni simul Africa lacrymabili clade & damno imperii Ro- 442
mani potentiam deiicit; ex hoc quippe à Wandalis possidetur g.

481 Thracia Hunnorum incursione concutitur.

482 Bleda Hunnorum Rex Attilæ fratris fraude percutitur, cui ipse succedit. 443

Synodus h Arausicana posterior. 444

483 Nova iterum in oriente consurgit ruina, quâ septuaginta non minus civitates Hunnorum 445
deprædatione vastatæ, cum nulla ab occidentalibus ferrentur auxilia.

484 Morobæus regnat in Francia.

485 Leo i scribit ad Episcopos Hispaniæ, & præcipuè ad Turibium Asturicensem Episcopum. 446

486 Ad k aquas Celenas oppidum Gallæciæ in Hispania conveniunt Episcopi frequentes, sed 447
præcipuè Turibius Asturicensis, Idatius Lamacensis, Ascanius Tarraconensis, Campeius To- 448
letanus, Epiphanius Hispalensis, Valconius Bracarensis, Nundinarius Barchinonensis, Silvia-
nus Calagurritanus, contra errores Priscilliani nondum sopitos l.

487 Eucherius Lugdunensis Episcopus, & Hilarius Arelatensis, egregiam vitam morte consum- 449
mant.

Hæresis nefaria à quodam Archimandrita m Eutychete commota; cui favorem præbens Theodosius, obiit septem super viginti annis in imperio exactis.

VALENTINIANUS ET MARCIANUS.

488 Hac tempestate valdè miserabilis reipublicæ status apparuit, cùm ne una quidem n sit abs- 450
que barbaro cultore provincia, & infanda Arianorum hæresis, quæ se nationibus barbaris
miscuit, catholicæ nomen Fidei toto orbe diffusa præsumat.

Attila Gallias ingresus, quasi iure debitam poscit uxorem, ubi gravi clade inflicta & ac-
cepta, ad propria recedit.

489 Plurima hoc anno signa apparuerunt.

Insperata o Galliis clade accepta, furiatus Attila Italiam petit, quam incolæ metu subito 451
perterriti præsidio nudavere.

490 Synodus Chalcedonensis, ubi Eutychete Dioscoroque damnatis, omnes qui se ab eis re- 452
traxerant, in communionem recepti, confirmata universaliter Fides, quæ de Incarnatione Verbi
per sanctum Leonem Papam prædicabatur.

491 Attila in suis p ædibus moritur.

Galla q Placidia Augusta post irreprehensibilem conversationem vitam explet. 453

492 Petro r Cæsaraugustano, qui successerat Valeriano, subrogatur Simplicius s [primus]. 454

493 t Mortem Aetii mors Valentiniani consecuta est. 455

494 Ex Africa venit Romam Gensericus, illamque occupat u. 456

495 Maiorianus Imperator creatur occiso Sabino x, regnatque quatuor annos. 457

496 Claudianus Episcopus Viennensis floret. 458

497 Sabinus y Episcopus Hispalensis victor è Gallia rediens cum ingenti gratulatione sedem 459
suam repetit.

Theudericus z duce Hunerico Bæticam invadit.

498 Masdra a Suevorum Rex moritur.

499 Sunericus b ad Gallias reddit. 460

500 Sancto Leoni c Hilarius sufficitur. 461

462 Maioriano Augusto ad Detorsuam d Italiæ interfecto succedit Severus.

501 Campiio mortuo Santicio Toletanus succedit, & Trontius e Sabino Hispalensi. 463

502 In conventu Bracarensi duarum naturarum portentum cernitur f, item in tractu Le- 464
gionis.

503 Aiax Gallus g Ariana peste infectus virus suum in Suevos effundit. 465

504 Mortuo Severo interregnum fuit unius anni & novem circiter mensium. 466

505 Ascanius Tarraconensis Episcopus floret. 467

506 Hilarius Synodum Romæ cogit. 468

507 Curicus h Rex Wisi-Gothorum miserè Galliam afflictat, & sanctus Volusianus Episcopus 469
Turonensis in Hispania relegatur.

508 Remimundus i Suevorum Rex Conimbriam, & prodente Lusidio k Ulyssiponem, urbes 470
Lusitaniæ primarias, occupat.

509 Paulus Orosius nonagenario maior adhuc Tarracone superest. 471

510 Sinticione mortuo Praumatus Toletanam sedem regit. 472

511 Hunnericus Wandalorum in Africa Rex catholicos miris modis vexat. 473

512 Hunnerici iussu Liberatus abbas, Bonifacius diaconus, Rusticus subdiaconus, Rogatus, 474
Septimius, Maximus, monachi, pro Fide martyres fiunt.

513 Hildefredus obsessâ Tarraconâ maritimis urbibus potitur.

514 Hunnericus adhuc crudeliùs in catholicos desævit. 475

515 Hunnericus scatens vermibus dignam vitâ mortem obiit. 476

516 Sidonius Apollinaris poeta celebris Episcopus Arvernorum literis & sanctitate micat. 477

517 Petrus Mongus ab Ecclesia Alexandrina detrusus hæresim Eutychianam excitat. 478

518 Mortuo Hunnerico Gundemundus pacem Ecclesiis restituit. 479
480

Eu-

a Subilcit his Prosper Leonis Papæ initium. Qui á nostro anno CDXL. constituitur.

b Id notum glossema est: Prosper habet, *Valentiniæ urbis rura*, scilicet Galliæ, ut mox dicetur.

c Non meminit Sabini nec Epiphanii Prosper, meminit certè Idatius Theodosii iunioris anno XVII.

d Prosper XL. Alius Prosper Aquitanus Eusebii continuator XLIII. designat: uti & Idatius.

e *Si terra Gallia* Alanis traditæ referuntur Valentina urbs, de qua suprà, Gallia erit.

f *Sabaudia* Prospero.

g Hoc non dixisset suo nomine Maximus, cuius tempore iam extinctum erat Wandalorum in Africa imperium.

h Non recordatur Prosper.

i Desunt hæc in Prospero: desumta ex Idatio.

k Non meminit Prosper.

l Subiungit hoc loco Prosper ante mentionem Eucherii & Hilarii, ad Hunnos defectionem.

m Deest in Prospero nomen *Eutychetis*, quod verè tale fuit.

n Ita loquebatur Prosper, rebus quas narrat, æqualis: Maximus verò nihil minus potuit, quàm de præteritis, ut de præsentibus loqui.

o Prosper: *in Galliis*.

p *Seatour*. Ita Prosper, qui alia adiungit.

q Obitus Placidiæ mentionem Prosper eodem, quo Theodosii, anno, habuit: Baronius convenit ad annum CDIX. CDVII. Cur ergo huc videmus transilisse?

r Deest in Prospero.

s Glossa videtur.

t Desunt hic quæ Prosper notat de causa interfectionis Aetii, & de forma necis Valentiniani.

u Hucusque pertingit Prosperi Tyronis Chronicon.

x Nulla huius Sabini, quod sciam, in Romanis historiis mentio Maioriano deiecit solio Avitum, non occidit.

y Sabini reditum Ioannes Vasæus ad an. CDLVII. refert ex Idatio.

z Ex Idatio Maioriani anno II. Sunlericum appellans ducem.

a Ex Idatio Maioriani IV. anno.

b Idatio II. anno Severi.

c Baron. ad ann. CDLXI. ex Idatio.

d Fortè *in reditu suo ad Italiam* ut ex Idatio constat v. eiusdem Maioriani anno: vel potiùs *ad Dertonam*, ut est in Chron. Marcellini Coss. Dagalasso & Severino.

e Zenon est in catalogo Hispal. Præsulum.

f *Cernitur*: seu *oritur*.

g Idatius IV. anno Sever. Galatan. pro Gallo vocat.

h *Ewricus*.

i *Raymundus*.

k Ex Idatio III. anno Anthemii.

519 Euricus Wisi-Gothorum Rex videt Arelatæ tela palatinorum o variis coloribus infecta. 481 o Ex Idatio anno II. Anthemii.

520 Euricus Arelatæ moritur, cui succedit Alaricus filius. 482

521 Felix Papa Simplicii p legatum facit in Hispania Zenonem Episcopum Hispalensem. 483 p Excidit *successor*.
Simplicio Cæsaraugustano succedit Ioannes.

522 Synodus Romana in Vaticano habita. 484

AUGUSTULUS ULTIMUS OCCIDENTIS IMPERATOR.

Petrus in sede Toletana Praumato sufficitur. 485

523 Synodus Romana. 486

524 Epiphanius Episcopus Ticinensis vitæ sanctitate claret. 487

525 Gundemundo catholico Wandalorum Regi succedit Trasamundus hæreticus crudelissimus. 488

526 Fulgentius Episcopus Ruspensis multa pro Fide catholica ab Arianis patitur. 489

527 Clodovæus Rex bellum Turingis movet. 490 r *Cum Odoacre.*

528 Theodericus fœdus init r Idoare de regno partiendo. 491

529 Synodus Epaunensis. 492

530 Synodus Romana. 493

531 Celsius Petro Toletano successit.

Gelasius Papa obiit, cui sufficitur Anastasius iunior. 494

532 Celsius verbo & exemplo floret. 495

533 Olympius in sanctam Trinitatem debacchatus, tribus telis igneis confossus deperit. 496

534 Flavianus Antiochenam regit Ecclesiam. 497

535 Synodi Romanæ sub Papa Symmacho. 498

536 Symmachus ter Episcopos Romæ convocat ad Concilium.

537 Mundabundus cum Avito Viennensi Episcopo disputat. 499

538 Petrus tyrannus in Hispania captus & interfectus est. 500

539 Alaricus in Gallia grassatur. 501

540 Ioanni Cæsaraugustano Vincentius succedit. 502

541 Iustus Episcopus Aucensis floret. 503 s *Clodovæo.*

542 Alaricus Clodovæi s fœdus violat. 504

543 Clodovæus Alaricum hastâ confodit. 505

544 Gasalaricus Rex Wisi-Gothorum ex Hispania fugit. 506

546 Theodericus Ostro-Gothorum Rex in Hispaniam venit; cui nubit Sanctina Toletana virgo 507
nobilissima. 508

547 Tres aliæ Synodi sub Symmacho Romæ. 509

548 Symmachus Papa obiit. Galasius t in Gallia moritur. 510 t Immo *Gasalaricus.*

549 Hormisda Symmacho succedit. 511

550 Hormisda missis literis, Ioannem Episcopum Tarraconensem honestat. 512

551 Synodo Tarraconæ contractæ præsidet Ioannes Tarraconensis metropolitanus & inter alios 513
interest Hector metropolitanus Carthaginis.

552 Severianus ex Sanctina Theoderico Regi nascitur. Synodus habetur in Bætica & Lusitania. 514

553 Hormisda vices suas in Bætica & Lusitania delegat Sallustio Episcopo Hispalensi. 515

554 Canidio Episcopo Vicensi succedit sanctus Iustus. 516

555 Vincentio Cæsaraugustano succedit Ioannes Episcopus. 517

556 Dacius Mediolanensem regit Ecclesiam. 518

557 Gilimer Wandalorum Regem Ildericum regno deturbat. 519

558 Iustinus Imperator edicit, ut Arianorum Ecclesiæ catholicis credantur. 520

559 Belisarius Africam repetit, Constantinopolim ducto Gilimere. 521

560 Agnellus Episcopus Ravennas ingnis. 522
u * * * * *

Synodus Valentina habita sub Celsio Toletano Episcopo. 526 u Lacuna hic est quatuor annorum.

564 Amalaricus Rex Wisi-Gothorum Clotildem uxorem catholicam afflictam habet. 527

565 Celsio succedit Montanus in Toletana sede. 528

566 Ioanni Cæsaraugustano Episcopo Eleutherius. 529 x Immo *Agringius.*

567 Aprungius x Episcopus Pacensis floret. 530

568 Synodus Toletana sub Montano Toletano Episcopo. 531

569 Amalaricus Rex moritur, cui Theudius succedit. 532

570 Agapeto succedit Silverius. 533

571 Sanctus Gaudiosus Episcopus Tirasonensis floret. 534

572 Synodus Aurelianensis secunda. 535

573 Silverius in exsilium mittitur. 536 y Forte *Celso succedens* aut *Celsi successor.*

574 Iulianus succedit sancto Pontifici Montano in sede Toletana, qui Celsus y famâ sancti- 537
tatis clarus pridie non. April. migrat in cælum.

575 Theobaldus Gothorum Rex in Italia regnat. 538

576 Leander Severiani filius Murciæ in Hispania nascitur ex matre Theodosia.

Laureanus in Pannonia Mediolanum, inde Hispalim venit. 539

577 Severiano Theodora, pòst uxor Regis Leovigildi, Murciæ nascitur.

Eleutherio Cæsaraugustano scribit Vigilius Papa.

578 Sanctina Severiani mater, ædificato monachis, quos Benedictus primùm misit in Hispaniam, 540 x Caradinensem.
ad Sanctum Petrum z Radinensem cœnobio, Toleti moritur, & in eodem monasterio conditur. 541

579 Magnus Episcopus Mediolanensis, pulso Dacio, à Gothis creatur. 542

580 Theudius Wisi-Gothorum Rex indignè perimitur.

Theudiselus illi subrogatur. 543

581 Bacauda Toletanam sedem post Iulianum XVI. annos regit. 544

582 Agila Wisi-Gothis imperat, Eleutherio Cæsaraugust. Episcopo succedit Vincentius. 545

583 Synodus Toletana sub Bacauda. 546

584 Synodus universalis Constantinopolitana. a Lacuna trium annorum.
a * * * * * * * * b Ilderici mentio in Bracarensi I. infrà anno DLXI.

587 Prope oppidum Osset Lusitaniæ in diœcesi Pacis-Augustæ fontes divinitùs manant sub b Ilderico. 549

588 Vigilius Papa rescribit ad Profuturum Episcopum Bracarensem.
589 Crispinus Episcopus Hispalensis floret.
590 Athanagildus contra Agilam rebellatur. 550
591 Severianus excisa iterum Carthagine nova, eiusque agro vastato, Hispalim in exsilium mittitur, antè natâ Florentinâ filiâ. 551 552
592 Fulgentius Hispali nascitur. 553
Saturius sanctus eremita in Cantabriâ moritur. 554
Athanagildus Rex in planitie suburbii Toletani ædificat monasterium [c ordinis sancti Benedicti] in honorem sancti Iuliani apud Arvernos passi, dictum Agaliense [sub Agalia villula propinqua, quod distat minus quàm 150. passus ab Ecclesia Prætoriensi SS. Petri & Pauli, inter occidentem & septemtrionem sita] & ibi constituit primum abbatem sanctum virum Euphemium, qui postea fuit vocatus ad primam Toleti sedem.
593 Sanctus Æmilianus monachus & presbyter in Cantabria moritur.
Monasterium Cisiæ Toleti [d ordinis S. Augustini] ab Athanagildo ædificatur.
594 Hermenegildus ex Theodora Leovigildo nascitur.
Isidorus Hispali nascitur. 555
Selvæ Tarraconensi Episcopo succedit Euphemius.
595 In Gallia Gothica mons multos dies mugit. 556
596 Theodemirus Suevorum Rex in Gallia [e] creatur. 557
597 Petrus Bacaudæ suffectus duodecim annos Ecclesiæ Toletanæ præsidet. 558
Reccaredus Hispali nascitur. 559
Leander fit monachus.
598 Severianus Hispali moritur.
Ioannes monachus ex Agaliensi monasterio studiorum causâ Constantinopolim proficiscitur. 560
599 Synodus Bracaræ habetur anno III. Theodemiri Regis, præsentibus Lucrecio metropolitano, Ilderico Pacensi, Andrea Idiensi [f], Suuncio Lamacensi, Martino Dumiensi, Timotheo Asturiensi, Choto Empuritano, Maliolo Tudensi, Episcopis. 561
600 Theodora cognomento Cervilia clarissima Severiani uxor Hispali moritur.
Longobardi Rege Alboino in Italiam irruunt. 562
Dracontius poeta Complutensis floret.
601 Leovigildus dux Regis Athanagildi Vatestanæ [g] & Malacæ regiones vastat.
602 David Stephanus [h] Hispalensis Episcopus succedit. 563
603 Alboinus Longobardorum Rex Beronæ perimitur. 564
Dracontius poeta Cæsaraugustæ moritur. 565
604 Leovigildus, qui postea fuit Rex Gothorum, Constutonenos [i] egregiè depugnat.
Paulo Emeritensi Episcopo succedit Fidelis. 566
605 Theodora Leovigildi uxor Toleti moritur, & [k] Sanctam Leocadiam sepelitur.
Imago Crucifixi à quodam Iudæo Toleti percussa divinitus sanguine permanat, tota urbe regia annunciante admirabilem novitatem, obstupente Petro Toletano Episcopo. 567
606 Leovigildus [l] Gosiuntham Athanagildi viduam uxorem ducit.
Leander abbas presbyter fit à David Episcopo. 568
607 Martinus ex Dumiensi Bracarensis iam Episcopus in Concilio Lucensi præfuit.
Lucensis sedes fit metropolitana. 569
608 S. Massona Episcopus Emeritensis Fideli succedit.
609 Petro Toletano Episcopo suffícitur Euphemius priùs abbas Agaliensis, cui in regimine monasterii succedit Exsuperius. 570 571
Cæsaraugustæ templum Dei genitricis sanctum, & à Divo Iacobo constructum, quod ad Columnam dicitur, celebre habetur.
Synodus Bracarensis sub Martino metropolitano.
610 Leovigildus Agilam Comitem Patrimoniorum ad Brachildem Reginam oratorem mittit, ut illa det Ingundem filiam coniugem Hermenegildo. Re dilata in septimum [m], quòd ea nondum esset viro matura, in Hispaniam revertitur. 572
Post Didymum in sede Tyrasonensi sequitur Sanctinus, & hunc S. Prudentius.
611 Leovigildus Hermenegildum & Reccaredum filios regni successores [n] facit.
612 Severus Malacitanus Episcopus contra Vincentium Cæsaraugustanum Episcopum hæreticum editis libris fortiter depugnat. 573 574
613 S. Donatus [o], qui primus regulam [p Eremitarum] S. Augustini [q locupletiorem] in Hispaniam invexit, & in agro Servitano vivus mortuusque miraculis nobilitatus est, IV. Idus Octobris ad cælum migravit. 575
614 David Hispalensi Episcopo Benedictus Papa scribit. Eodem David mortuo Leander monachus [Benedictinus] Severiani Ducis filius Hispalensem regit Ecclesiam. 576
615 Exorto errore quòd nulli essent spiritus, Epiphanius Toletanæ Ecclesiæ scribit ad Licinianum & Severum Episcopos, qui illi respondent. 577
616 Ioannes abbas, qui postea fuit Biclarensis, anno postquam Constantinopoli rediit, Fidei causâ Barcilonâ exsulat. 578
Leovigildus ædificat urbem Ricopolim, quæ priùs dicta est Haurris, in confluente Tagi & Gudielæ fluviorum, in Celtiberiæ confinio.
Euphemius Toletanus orator in Galliam mittitur multis palatinis comitantibus.
Massona S. Eulaliæ monitu ab exsilio revertitur.
617 Ingundis Sigiberti & Brunchildis Franciæ Regum filia, virgo pulcerrima, sexdecim annos nata ex Francia in Hispaniam deducitur, eam comitantibus Euphemio metropolitano Episcopo, multisque viris palatinis Hispaniæ & Franciæ, & Episcopis, videlicet Fortunato Pictaviensi, Salvino Albigensi, Frontiniano Aquensi, Beltrano Burdegalensi, & Gregorio Turonensi [r] [Episcopo] qui [s] in præsentia istorum Toleti æde S. Mariæ nubit Hermenegildo in ipso anni principio. 579
618 Leovigildus filium Hermenegildum Hispali obsidet. Proditione Arianorum hic patri traditur. Interventione quorundam palatinorum, post diram carceris custodiam priùs Hispali victus, & catenis alligatus, datis obsidibus dimittitur. 580
Priùs tamen contra Leovigildum rebellaverant Hispalis, Corduba, Astigis, Carthago nova, Murcia [t]; quæ Illigartum, Illuct, quæ est Oriola, Toletum, Complutum, Delvoraque, & Aqua-

c Quæ in parenthesi edita sunt, glossemata faciè dixeris.
d Glossa videtur.
e In *Gallæcia*.
g Ioan. Biclarensis anno IV. Iustini *Bastaniæ & Malacitanæ urbis*.
h David Stephano, ut ex sequentibus ad ann. DLXXVI.
i *Contestanos* fortè.
k Ad *S. Leocadiam*.
l Idem apud Ioannem Biclarensem anno IV. Iustini.
m *In septennium* fortè.
n *Consortes* alt Biclarensis anno VII. Iustini.
o Ioannes Biclarensis Donatum abbatem vocat monast. Servitani.
p q Glossemata videntur.
r Redundat.
s *Quæ*.
t Placuit Siruelæ sic legere ab hinc: *Murciaque*; *Bigastrum*, *Ilici quoque & Oriola*, *Toletum*, *Complutum*, *Delboraque & Aquis Carpetaniæ*.

Aqua-Carpetana, & aliæ civitates, quæ postea Regi paruerunt.
619 Leovigildus Hermenegildum obsidet ad Osset oppidum Lusitaniæ, captumque Toletum ducit, ibique carceri mancipat: ibi Synodus, in qua Paschasius Ecclesiæ Toletanæ S. Eulaliæ Episcopus præsidet. Convenerunt autem Vincentius Cæsaraugustanus, Enepotius Emeritensis [Episcopus] Ugnus Barchinonensis, Murila Valentinus, & Valentinus Wigiciseus * Argiduntus Portugalensis, & Gardingus Tudensis, & alii. 581
Episcopi Catholici in exsilium mittuntur. Leander Hispalensis, & Licinianus Carthaginensis, metropolitani, petunt Constantinopolim, Massona Emeritensis Complutum, Euphemius Toletanus & Ioannes abbas Biclarensis Barcilonam, Monitus Complutensis Cæsaraugustam, & alii aliò.
620 Leovigildus Ibadam feminam clarissimam Gothicæ gentis Fonsæ Comitis Patrimoniorum..... 582
[u] uxorem Reccaredo. Ex ea Svinthilam gignit.
Froucistus Oxomensis Episcopus floret.
621 Iterum Leovigildus filium Hispali obsidet. 583
Filius nascitur Reccaredo Toleti ex Florisinda Hispana femina conditionis obscuræ, nomine Sivvia [x], quem intingit Massona Episcopus.
Pestis in Hispania grassatur. 584
622 Leovigildus exercitum contrahit in filium. Mironem Hueurionem [y] Regem in exilium [z] suum vocat.
Arthuagus [a] Coc Gothus [ex ordine [b] S. Augustini] floret.
Vincentio Cæsaraugustano hæretico succedit Simplicius catholicus Episcopus.
623 S. Martinus metropolitanus Bracarensis plenus dierum & bonorum operum miraculis clarus ad Dominum emigrat. 585
624 Hermenegildus Hispali dilapsus, & Cordubæ captus, Valentiæ exsulat sequente eum patre cum exercitu. Nec multò post Tarraconam mittitur, ubi arctissimè carceris custodiæ mancipatus, & ab Euphemio metropolitano Tarraconensi visitatus, in ipso Paschatis pervigilio, quòd de manu Paschasii Episcopi Toletani hæretici communionem noluisset accipere, jussu patris hæretici à Siberto Protospathario perimitur, & martyr miraculis nobilitatur. Hunc Euphemius Tarraconensis & catholici dolentes nocte consequenti vi sublatum in Ecclesia sua mœrentes sepelierunt. 586
Ingundis eius uxor peremto marito primum ad Africam, deinde ad Siciliam delata, erepto sibi filio Theoderico, & Constantinopolim allato, Panhormi moritur.
625 Massona exsul valdè dolet de morte immatura Hermenegildi martyris. Leander Constantinopoli viso infante Theoderico vehementer dolet. 587
Leovigildus Rex rediens è bello contra Suevos Toleti graviter infirmatur.
Venientem de Francia Reccaredum victorem Toletani gratanter excipiunt.
Leovigildum ingravescente morbo verè peccatorum pœnitet, & catholicam religionem amplexus in pace quievit, & in templo S. Mariæ Toleti sepelitur. Morti verò proximus in testamento commendat se, Reccaredum, & regnum, Massonæ & Leandro sanctissimis Pontificibus. Cuius morti ego interfui cùm essem archidiaconus, cum domino meo Simplicio Episcopo. Obiit primâ Aprilis.
626 Theodericus puer Hermenegildi filius Constantinopoli moritur. 588
Sisbertus interfector Hermenegildi martyris ob admissum grave scelus iussu Reccaredi Regis, qui tunc regni infulis iam erat decoratus, Toleti publico supplicio deputatus, turpissima morte parricidii, & aliorum scelerum pœnas luit.
Leander, Massona, Euphemius, & alii ab exsilio revocantur octavo Idus Septembris. Constantinopoli veneno moritur Licinianus metropolitanus, cui sufficitur Dominicus ex presbytero Hispalensi, valdè senex, meritis & sanctitate clarus. Qui subscripsit Concilio Toletano, ubi hæresis Ariana damnata est. Sub principium anni communione facta cum Episcopis, & palatinis Arianis, ut redirent ad Fidem catholicam, restituta & consecrata est Ecclesia S. Mariæ Toleti præsentibus metropolitanis Episcopis. Et ibidem Reccaredus Rex à Massona consecratur & ungitur, ab Euphemio verò & Leandro metropolitanis Toleti & Hispalis coronatur.
627 Severus Malacitanus Episcopus pius vir & doctus ineunte anno moritur. 589
Gosiuntha Regina deprehensa, & de proditione convicta, laqueo Toleti perimitur vicesimâ quartâ Novembris.
Euphemius Episcopus Tarraconensis floret opinione sanctitatis & doctrinæ.
628 Octavo idus Maii Synodus magna XXVII. [c] Episcoporum Hispaniæ, Galliæ, & Galliciæ contrahitur Toleti in templo S. Mariæ. Inter istos erant octo metropolitani, Massona Emeritensis, Euphemius Carpetanus, Leander Hispalensis, Nigecius Narbonensis, Nitigesius Lucensis, per procuratorem Pantardum, Pantardus Bracarensis, Euphemius Tarraconensis, Dominicus Carthaginis Spartariæ, Leandro concionem habente, & eodem cum Eutropio abbate Servitano rerum ad Concilium pertinentium curam habente. 590
Item interfuerunt Rex Reccaredus, & Regina Badda, & abbates Eutropius Servitanus, Exsuperantius Agaliensis, Aurantius SS. Cosmæ & Damiani [qui [d] postea fuerunt Episcopi Toletani], Maximus abbas Cæsaraugustanus sanctarum Massarum, Emila S. Eulaliæ Barcilonensis [qui [e] postea fuit ejusdem urbis Episcopus], Elias abbas S. Leocadiæ Toleti [f] postea Episcopus Salmanticensis], Terechristus abbas S. Eulaliæ Toleti [omnes isti ex ordine S. Benedicti], item Fulgentius presbyter, Maximus Cæsaraugustanus archidiaconus, Eugenius diaconus Toletanus, Isidorus diaconus Hispalensis, Ioannes monachus Agaliensis abbas, postea Biclarensis.
Ex palatinis verò Helladius illustrissimus aulæ Regis Comes, & rerum publicarum Comes, Fonsa Comes Patrimoniorum, & socer Regis, Afrila Comes Spatharius, & procer.... [qui postea etiam fuit Rex], Claudius Comes Limitaneus, & Dux, Witericus Comes-stabuli... [& hic etiam Rex] Argimundus Comes cubiculi, Gusinus Flavius, Avila, Ataulphus, Liuva, Odoacer, Gudila Comes Toleti, Ophilo Comes Hispalis, Athaulphus Comes Cordubæ, ex quibus multi catholici.
Habita est Synodus feriâ tertiâ VIII. die Maii ipso die S. Michaelis Archangeli, qui postea sequentibus annis Gothis celeberrimus habitus est: Leander autem celebravit Missarum solemnia. Et ibi post Evangelium hæresis Ariana, quam privatim abjuraverant Gothi, publicè, consensu Regis, Reginæ, Cleri, procuratorum, & plebium, abiuratur.
Sedebant autem Rex & Regina in throno alto, ad dexteram Episcopi ordine suo, post Epi-

u Deest *dat*, seu *tradit*.
x Lege *Liuva*.
y *Suevorum*.
z *Auxilium*.
a Ita, & *cognomento* videtur significare.
b Hæc glossa est.
c Immo 72. inversis notis.
d Hæc glossa est.
e Glossema id quoque olet.
f De hoc pariter videtur.

Episcopos presbyteri, stabant verò diaconi; ad sinistram verò palatini omnes ordine supradicto.

629 Fides & religio Christiana in Hispania florent. Dominicus Episcopus Carthaginensis Hispaniæ adiutorium [g] per epistolam à Rege Reccaredo petit, accepit verò Fulgentium Hispalensem presbyterum. 591

